
3 1761 06380181 5

GODOFREDI HERMANNI

OPVSCVLA.

VOLVMEN QVINTVM.

LIPSIAE, APVD ERNESTVM FLEISCHERVM.

1834.

22439

INDEX OPVSCVLORVM.

1. De Aeschyli Lycurgia dissertatio . . . . . p. 3
2. Epistola ad Franciscum Spitznerum 31
3. De interpolationibus Homeri dissertatio 52
4. Scholae Theocriteae 78
5. De Pauli epistolae ad Galatas tribus primis capitibus diss. 118
6. De Aeschyli Myrmidonibus, Nereidibus, Phrygibus diss. 136
7. De epigrammatis quibusdam Graecis dissertatio . . 164
8. De fragmentis poetarum in scholiis Vaticanis ad Euripidis Troades et Rhesum dissertatio 182
9. De veterum Graecorum pictura parietum coniecturae . 207
10. De Bachmanni editione Lycophronis 230
11. Adnotationes ad Io. Henr. Neukirchii librum de fabula togata Romanorum 254
12. Excerpta ex censura Henr. Raspii commentationis de Eupolidis *Δήμοις* et *Πόλεσιν* 289
13. Quid sit *ὑποβολὴ* et *ὑποβλήδην* 300
14. Oratio in creatione aa. ll. magistrorum et philosophiae doctorum a. CIↃIↃCCCXXXIII. post obitum Chr. Dan. Beckii 312
15. Indicendis exsequiis Henrici Guilielmi Brandesii . . 327

16. In nuptiis Friderici Augusti, ducis Saxoniae socii imperii, et Mariae Bavarae d. XXIV. April. a. CIↃIↃCCCXXXIII. Academia Lipsiensis . . . . . p. 337
17. Latinae interpretationis Aeschyli specimina 341
I. Initium Agamemnonis . . . . . —
II. Eumenidum prologus et primae scenae . . . 348
18. Graece versa ex Schilleri Wallensteinio 355
19. Carolo Godofredo Siebelis, rectori gymnasii Budissini, exactum quintum lustrum muneris scholastici celebranti 362
20. Bohuslai Hassensteinii L. B. de Lobkowitz epigramma in thermas Caroli IV. 363

GODOFREDI HERMANNI

O P V S C V L A.

VOL. V.

DE AESCHYLI LYCVRGIA DISSERTATIO*).

Nec temere hariolandum est in antiquitatis pervestigatione, neque carere divinationis adiumento possumus. Quare curandum, ut, ubi quid coniectando sumendum est, id aut consequatur probabili quodam modo ex iis quae certa sunt, aut caussam, unde explicari ea de quibus constat possint, contineat idoneam. Hoc qui negligunt, somnia fingunt, quorum neque utilitas ulla, et saepe non levis noxa est, si pro veris habita iustam rerum cognitionem perturbant atque corrumpunt. Nullo in genere id saepius et facilius evenire videmus, quam in iis disputationibus, quae sunt de scriptis quorum paucae servatae sunt reliquiae. Quorum quum saepe vix de argumento, nedum de partibus argumenti rationeque qua tractatae erant aliquid compertum habeamus, nihil reliquum est quam ad coniecturas confugere, quas patet quam lubricas saepe ac dubias esse oporteat, si fontes, ex quibus peti possint, vel nulli reperiantur, vel parum limpidi sint, vel adeo reconditi lateant, ut diligentiam fugiant etiam solertissimam. Nihil horum est, quod non exemplo comprobetur eo, de quo hac in scriptione dicere animus est. Nam quum Aristophanes in Avibus mentionem fecisset Aeschyli Lycurgiae, Lycurgusque fabula ab aliquot esset scripto-

*) Edita est m. Febr. a. 1831.

ribus memorata, Sam. Petito in Misc. V. 9. p. 100. aliisque Edoni, quae eiusdem poetae tragoedia est, una eademque cum Lycurgo esse videbatur. Alii, qui tetralogiam fuisse Lycurgiam intelligerent, ut Stanleius, Edonas unam illarum quattuor fabularum esse existimarunt. In eodem numero, argumenti affinitate motus, *Διονύσου τροφοὺς* fuisse coniiciebat P. Elmsleius ad Euripidis Medeae v. 17. Welckerus autem in eo libro, quem de Aeschyli trilogia composuit, id p. 320. certum habebat atque indubitatum. Sed secus esse fateri coactus est in Appendice eius libri p. 103. postquam ei innotuit scholion antea ineditum ad Aristophanis Thesmophoriazusas v. 135. in quo scriptum: *τὴν τετραλογίαν λέγει Λυκουργίαν, Ἠδωνούς, Βασσαρίδας, Νεανίσκους, Λυκοῦργον τὸν σατυρικόν.*

Res Lycurgi, memoratas primum Homero in sexto libro Iliadis, multi veterum narravere, in primis autem Eumelus, de quo poeta docte disputavit Weichertus in Vita Apollonii Rhodii. Testantur scholia ad illum Iliadis librum v. 131. his verbis: *τῆς ἱστορίας πολλοὶ ἐμνήσθησαν, προηγουμένως δὲ ὁ τὴν Εὐρωπίαν πεποιηκὼς Εὔμηλος.* Homerus quum Bacchi nutrices ab Lycurgo *κατ' ἠγάθεον Νυσήϊον* fugatas dixisset, alii, in quibus tragici sunt, Edonorum in Thracia regem fuisse Lycurgum scripserunt; alii, ut Antimachus, teste Diodoro Siculo III. 65. et Nonnus, res illas transtulerunt in Arabiam. Prior fama vulgatior fuit, sed valde variata est, maxime quod ad poenas atque interitum Lycurgi attinet. Hanc exposuerunt mythographi, Hyginus fab. 132. et 242. Apollodorus III. 5, 1. Diodorus l. c. Ex interpretibus Meziriacus potissimum ad Ovidii Heroidum epistolas vol. I. p. 163. seqq. aliique, quos editores Hygini ad fab. 132. et Heynius ad Apollodorum p. 232. nominarunt, scriptorum qui res illas attigerint mentionem fecere. Aeschylus qua ratione hoc argumentum explicaverit, in tanta Lycurgiae fragmentorum paucitate et plerorumque brevitate adeo nos latet, ut non nisi perpauca sint, quae aliqua cum specie veri possint afferri. Nam

quae Welckerus in libro de trilogia Aeschyli perscripta in Lycurgia fuisse narravit, cognitis veris fabularum nominibus magnam partem ipse in Appendice commutavit cum aliis, quae pari cum fiducia prolata parem ut priora illa fidem habere nemini mirum videbitur. Eorum illa satis erit attingere, quibus fortasse etiam qui non omnia credunt falli possint. Sunt tamen etiam, quae recte perspexisse videatur.

Fatendum est, quae Apollodorus refert, ita esse comparata, ut, quoniam tribus quasi actibus constant, satis aptam videantur condendae trilogiae materiam praebere. Nam postquam Bacchum dixit in Phrygia sacris Rheae cognitis sumptoque usitato in illis vestitu Indos adire per Thraciam instituisse, sic pergit: *Λυκοῦργος δέ, παῖς Δρύαντος, Ἠδωνῶν βασιλεύς, οἳ Στρυμόνα ποταμὸν παροικοῦσι, πρῶτος ὑβρίσας ἐξέβαλεν αὐτόν. καὶ Διόνυσος μὲν εἰς θάλασσαν πρὸς Θέτιν τὴν Νηρέως κατέφυγε· Βάκχαι δὲ ἐγένοντο αἰχμάλωτοι καὶ τὸ συνεπόμενον σατύρων πλῆθος αὐτῷ. αὖθις δὲ αἱ Βάκχαι ἐλύθησαν ἐξαίφνης· Λυκούργῳ δὲ μανίαν ἐποίησε Διόνυσος. ὁ δὲ μεμηνὼς* 5 *Δρύαντα τὸν παῖδα, ἀμπέλου νομίζων κλῆμα κόπτειν, πελέκει πλήξας ἀπέκτεινε, καὶ ἀκρωτηριάσας ἑαυτὸν ἐσωφρόνησε. τῆς δὲ γῆς ἀκάρπου μενούσης ἔχρησεν ὁ θεὸς καρποφορήσειν αὐτήν, ἂν θανατωθῇ Λυκοῦργος. Ἠδωνοὶ δὲ ἀκούσαντες, εἰς τὸ Παγγαῖον αὐτὸν ἀπαγαγόντες ὄρος ἔδησαν, κἀκεῖ κατὰ Διονύσου βούλησιν ὑπὸ ἵππων διαφθαρεὶς ἀπέθανεν.* Heynius in his ex tribus codicibus edidit *ἀκρωτηριάσας αὐτόν*, quod posthabendum arbitror alteri scripturae, quoniam pedem sibi praecidisse Lycurgum et scriptores non pauci tradiderunt et picturae veteres videntur significare. Quod si ad hunc fere modum, ut res illas narrat Apollodorus, argumentum trilogiae compositum est ab Aeschylo, Edonos, quae prima tragoedia fuit, credere licebit incursionem Bacchici gregis in Thraciam, clademque et captivitatem Bacchi comprehendisse; in Bassaridibus solutas Bacchas, insaniam Lycurgi, necem Dryantis fuisse expo-

sitam; Neaniscos denique in poena versatos esse, qua oraculi iussu in monte Pangaeo affectus fuerit Lycurgus. Et quod ad Edonos attinet, fragmenta; quod ad Bassarides, ipsum nomen fabulae hanc coniecturam ex aliqua saltem parte probabilem reddunt, quamquam hae ipsae Bassarides Apollodorum alios auctores sequutum esse ostendunt: simul autem utriusque tragoediae nomen de choro indicium facere videtur, qui in altera ex Edonis, ex Bassaridibus in altera constiterit. Tanto maior de Neaniscis dubitatio est, cuius fabulae nec fragmenta quidquam de argumenti inventione produnt, nec facilis explicatu est appellatio. Sed de his infra. Accedamus ad reliquias Lycurgiae.

ΗΔΩΝΟΙ.

Splendidissimum huius tragoediae monimentum invenitur apud Strabonem libro X. p. 470. (vol. IV. p. 190. seqq. ed. Tzschuckii) qui sic scribit: *τῆς μὲν οὖν Κότυος τῆς ἐν τοῖς Ἠδωνοῖς Αἰσχύλος μέμνηται καὶ τῶν περὶ αὐτὴν ὀργάνων. εἰπὼν γὰρ σεμνὰ Κότυς ἐν τοῖς Ἠδωνοῖς, ὄρεια δ' ὄργαν' ἔχοντας τοὺς περὶ τὸν Διόνυσον, εὐθέως ἐπιφέρει, ὃ μὲν ἐν χερσὶ βόμβυκας ἔχων τόρνου κάματον δακτυλόδεικτον πίμπλησι μέλος, μανίας ἐπαγωγὸν ὁμοκλάν· ὃ δὲ χαλκοδέτοις κοτύλαις ὀτοβεῖ. καὶ πάλιν· ψαλμὸς δ' ἀλαλάζει· ταυρόφθογγοι δ' ὑπομηκῶνταί ποθεν ἐξ ἀφανοῦς φοβεροὶ μῖμοι, τυμπάνου δ' ἠχὼ ὥσθ' ὑπογείου βροντῆς φέρεται βαρυταρβής.* Tyrwhittus in Coniecturis in Strabonem pag. 39. *τῆς* post *Κότυος* deleri volebat, verbis quae sequuntur, *ἐν τοῖς Ἠδωνοῖς*, Aeschyli fabulam significari putans. At nec necessarium erat ut nomen fabulae poneret Strabo, et, si posuit, eadem verba paullo post, ubi iterantur, eo referre praestat. Non enim veri simile est Aeschylum, sicut Euripides saepe articulos apponit, scripsisse *σεμνὰ Κότυς ἐν τοῖς Ἠδωνοῖς*, sed dixisset ille, *σεμνὰ δαίμων Κότυς Ἠδωνοῖς*. Deinde vulgo legebatur *ὄρια δ' ὄργαν ἔχοντα.*

Priora duo verba emendata dederunt codices, ultimum in MSS. etiam ἔχοντες et ἔχοντας scriptum. Quo facilius Meursii, Barthii, Petiti, Tyrwhitti coniecturis carere possumus. Nec quod G. Dindorfio visum est, Aeschyli verba fuisse ὄρει' ὄργαν' ἔχοντες, ego ut credam adducor, qui sic parum dignos Aeschylo numeros evadere videam, sed sic eum scripsisse existimo:

καὶ ὄρεια χεροῖν ὄργαν' ἔχοντες.

Quae sequuntur, uti vulgo legebantur, repetiit Galeus ad Iamblichum p. 227. Aliter paullo scripta dedit Scaliger ad Catulli epithalamium Pelei v. 264. Emendare studuit Fiorillo, de more alienis usus, in Observatt. crit. in Athenaeum p. 39. seq. Pleraque emendate scripta exhibuit Nackius in Schedis criticis p. 24. servans ille tamen et defendens δακτυλόδεικτον, quae librorum est omnium scriptura: sed quem affert Agamemnonis versum 1341. in eo vox illa non secus atque alibi eum significat, qui, ut Horatii verbis utar, digitis monstratur praetereuntium. Lobeckio ad Phrynichum p. 623. scribendum videbatur δακτυλότευκτον. Iacobsii perelegans coniectura est in Exerc. crit. I. p. 145. δακτυλόθικτον. Sed tamen lenior est raro felicis Pauwii δακτυλόδικτον, quocum, etsi in re valde dissimili, comparari potest, quod in Oreste v. 1470. legitur, ἐς κόμας δὲ δακτύλους δικὼν Ὀρέστας. Legitur δακτυλόδικτον, sed perperam pro δακτυλόδεκτον scriptum, apud Hesychium. Dein vitiose Strabonis libri χαλκοθέοις, quod Scaliger in χαλκοθροῖς mutabat, notatus a Porsono in Adversariis p. 122. Non meminerat vir summus Athenaei, qui XI. p. 479. B. sic scribit: καὶ τὰ κύμβαλα δ' Ἀισχύλος ἐν Ἠδωνοῖς κοτύλας εἴρηκεν· ὃ δὲ χαλκοδέτοις κοτύλαις ὀτοβεῖ. Repetiit illa Eustathius p. 1282, 60. fabulae nomine et ὃ δὲ omissis. Scholiastes Homeri ad Iliad. XXII. 34. καθόλου δὲ κοτύλας ἐκάλουν πάντα τὰ κοῖλα· καὶ Ἀισχύλος ἐν Ἠδωνοῖς τὰ κύμβαλα· ὃ δὲ χαλκοδέτοις κοτύλαις ἠχεῖ. Sic MS. Ven. et codex Is. Vossii: sed Victorianus levi aberratione

γα vero στοβεῖ. Attigit hoc verbum ὀτοβεῖν Blomfieldius ad Aeschyli Prom. 591. In iis quae sequuntur iam Naekius ex uno Mediceorum recepit ὑπομυκῶνται: mugiunt enim, non balant tauri. Idem quod codices habent εἰκὼν pro vulgato ἠχὼ restituit*). In ὑπογείου et ὑπογαίου variant libri. Hoc posterius sermoni tragicorum accommodatius videtur. Ex his consequitur, Strabonis ipsiusque Aeschyli verba sic esse scribenda: εἰπὼν γὰρ „σεμνὰ Κότυς" ἐν τοῖς Ἠδωνοῖς, „ὄρεια δ' ὄργαν' ἔχοντας" τοὺς περὶ τὸν Διόνυσον, εὐθέως ἐπιφέρει·

„ὃ μὲν ἐν χερσὶν βόμβυκας ἔχων,
τόρνου κάματον,
δακτυλόδικτον πίμπλησι μέλος,
μανίας ἐπαγωγὸν ὁμοκλάν·
ὃ δὲ χαλκοδέτοις κοτύλαις ὀτοβεῖ·"

καὶ πάλιν·

„ψαλμὸς δ' ἀλαλάζει·
ταυρόφθογγοι δ' ὑπομυκῶνταί
ποθεν ἐξ ἀφανοῦς φοβεροὶ μῖμοι,
τυπάνου δ' εἰκὼν ὥσθ' ὑπογαίου
βροντῆς φέρεται βαρυταρβής."

Libet haec Latine dicere:

sancta Cotys —
cum silvestribus instrumentis,
hic in manibus buxos gestans,
torni fabricam,
digitata ciet cum furibundo
modulamina vociferatu.
ille aera sonit cava collidens,
— pectenque cachinnat:

---

*) Fr. Gr. Schoenius in commentatione de personarum in Euripidis Bacchabus habitu scenico p. 127. scribendum censuit τυπάνων ἀχὼ δ' ὥσθ' ὑπογείου, in dialecto et hic errans et quum, si ὑπομυκῶνται legatur, cui ὑπομυκῶνται ob solam soni suavitatem praeferendum iudicabat, ὑπομακῶνται ponendum esse dixit.

et taurisonum mugit latebris
ex occultis saevum imitamen,
tartareique ut tonitri horrifice
fertur imago typanorum.

Sunt haec chori Edonorum verba, suam deam Cotyn celebrantium, cuius sacris quoniam Bacchica simillima erant, eo magis illos favisse advenienti novo deo credibile est. Hanc ipsam enim similitudinem ut demonstraret Strabo, versibus usus est Aeschyli. Sed Welckerus in Trilogia8 p. 323. finxit, quod menti Strabonis plane repugnat, chorum, ubi Cotyn laudavit, caeteris versibus omnibus detestari Bacchicorum sacrorum strepitum. Idem eodem iure in Appendice p. 105. Bacchas ait in scena apparuisse. Alii, opinor, ita statuent, irruptionem Bacchici exercitus in Thraciam, clademque qua afflictus est Bacchus, ab nuncio potius, ut mos est, esse narratam. Ex illis quidem quos Strabo servavit versibus hoc licet coniicere, hostilem Lycurgi in Bacchum eiusque comites animum improbatum esse a choro. Et profecto pietatis eum, non impietatis decebat esse defensorem.

Appropinquante Baccho regia Lycurgi divinitus quasi furore quodam correpta est. Longinus cap. XV. *καὶ παρὰ μὲν Αἰσχύλῳ παραδόξως τὰ τοῦ Λυκούργου βασίλεια κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν τοῦ Διονύσου θεοφορεῖται·*

εὐθουσιᾷ δὴ δῶμα, βακχεύει στέγη·
spirant furorem tecta, bacchatur domus.

Ibi cod. Vat. 2 δὲ pro δή: sed eo in codice alia quoque mendose scripta. Retulerant hoc fragmentum editores ad Lycurgum: atque ita Brunckius quoque ad Aristoph. Ran. 1124. et Böttigerus in Museo Attico I. p. 358. Sed de primo accessu Bacchi sermonem esse iam Zoega viderat in Dissert. p. 15. quem sequutus est Welckerus et in Trilogia p. 322. et in Appendice p. 105. Qui loquitur, ipse fortasse Lycurgus est, indigne ferens, quod omnia Bacchicam insaniam spirent, eamque ob caussam eiicere e regno suo Bacchum constituens.

Haud multum a vero me aberrare puto, si coniiciam nuncium aliquem, sive illum sponte advenientem, sive explorandi caussa ab Lycurgo missum, referre quam mirus irrupisset advenarum exercitus. Eo adducor verbis quae servata sunt a scholiasta Homeri ad Iliad. IX. 535. sive 539. ed. Bekk. Is sic scribit: *χλούνην, οἱ μὲν ἀφρισμήν. χλουδεῖν γὰρ τὸ ἀφρίζειν τινὲς Δωριέων ἔλεγον· ἄλλοι δὲ κακοῦργον· καὶ γὰρ τῶν ἀρχαίων ἰαμβοποιῶν τινὰ φάναι, ἀνὴρ ὅδ' ἑσπέρης καθεύδοντα ἄπουν ἔδησε χλούνην. Ξενοφῶντα δὲ γένος τι Ἰνδῶν φάναι τὸν χλούνην εἶναι, καθάπερ καὶ παρ' Αἰσχύλῳ ἐν Ἠδωνοῖς, μακροσκελὴς μὲν ἄρα μα χλούνης τις ἦ.* Eustathius p. 772, 53. *ὅτι δὲ καὶ ἐκτομίαν ὁ χλούνης δηλοῖ, οὐ μόνον Αἰσχύλος δίδωσι χρῆσιν, ἀλλὰ καὶ Αἰλιανὸς μάλιστα ἐν τοῖς περὶ προνοίας χλούνην λέγων τὸν ἀπόκοπον· καὶ Ἀριστοτέλης δὲ κατὰ τὸν γεωγράφον χλούνην σὺν τὸν τομίαν λέγει.* 9Eam interpretationem prorsus reiectam narrat ab Aristophane grammatico. Iambographus, cuius mentionem scholiastes facit, scripserat:

ἄνδρα δ' ἑσπέρης καθεύδοντα
ἄπ' οὖν ἔδυσε χλοῦνις.

Nam haec quoque forma videtur in usu fuisse, cui tamen neque ex Orionis excerptis Etymologico Gudiano additis p. 617, 18. neque ex scholiasta Aeschyli ad Eumen. 188. ubi codices *χλούνης* habent, praesidium petam: sed femininum *χλοῦνις* isto in Eumenidum loco castrationem significat*). Edonorum fragmentum Böttigerus attigit in Picturis vasorum vol. I. parte III. p. 110. aeque in Centaurum atque in Satyrum quadrare dicens. Welckerus in Trilogia p. 321. scribit *μακροσκελὴς μὲν ἄρα καὶ χλούνης τις εἶ*, Bacchum eo significatu *χλούνην* dici existimans, quo hoc vocabulum cum *γύννις*

*) Ille locus tamen multae dubitationi expositus est: dicetur de eo infra in censura Eumenidum ab O. Müllero editarum.

coniungi solcat, sed haerens in explicando *μακροσκελής*, neque immerito. Nam constat quidem animalia omnia, quae castrata sunt, in maiorem corporis molem accrescere, diserteque de apris testatur Aristoteles Hist. Anim. VI. 25, 3. ed. Schneid. (28. ed. Bekk.) *τῶν δ' ἀῤῥένων οἱ τομίαι μείζους γίγνονται καὶ χαλεπώτεροι· ὥσπερ καὶ Ὅμηρος ἐποίησε*, (correxi primum poetae verbum)

τρέψεν ἔπι χλούνην σῦν ἄγριον· οὐδὲ ἐΐκει
θηρί γε σιτοφάγῳ, ἀλλὰ ῥίῳ ὑλήεντι.

γίγνονται δὲ τομίαι διὰ τὸ νέοις οὖσιν ἐμπίπτειν νόσημα κνησμῶδες εἰς τοὺς ὄρχεις· εἶτα ξυόμενοι πρὸς τὰ δένδρα ἐκθλίβουσι τοὺς ὄρχεις; et itidem de apris disserens IX. 27, 2. (50. ed. Bekk.) *πάντα δ', ἐὰν μὲν νέα ἐκτέμνηται, μείζω γίγνεται τῶν ἀτμήτων καὶ γλαφυρώτερα*: sed tamen hanc proceritatem vix crediderim Aeschylum eo vocabulo designasse, quo tenuitas potius crurum propter longitudinem et gracilitas significatur. Süvernius in dissertatione de indole dramatis historica p. 40. praetermissa huius vocabuli explicatione, legendum censebat *μακροσκελὴς μέν, ἀλλὰ μὴν χλούνης τις εἶ*, afferens *κερτομίους γλώσσας*, quibus Bacchum ab Lycurgo lacessitum esse in Antigona scripsit Sophocles. Novum quid, virilia amputata Lycurgo esse, invenit G. Bernhardy, sic scribens in vol. II. Dionysii periegetae p. 942. *eadem poena cum alios tradunt divinitus esse affectos, tum Lycurgum Bacchi furore percitum Apollodorus III, 5, 1. auctoritatem Aeschyli secutus: nam Tragicum Edonis sive Lycurgo (quae nomina sunt eiusdem fabulae) istam rationem ascivisse fragmento demonstrabi-*10 *mus vexatissimo ap. schol. Ven. Il. I.* 539. *μακροσκελὴς μὲν ἄῤ', ἄνα, χλούνης τις εἶ.* Hoc quidem animi caussa attuli. Nam et de Apollodoro quam vera praedicet, verba huius scriptoris, quae supra posuimus, docere poterunt, nec multi erunt, quos fallat triplex in correctione versus Aeschylei vitium, prosodiae, usus, sen-

tentiae. Alia quaerere monent ipsa verba scholiastae. Nam quid hoc est: *Ξενοφῶντα δὲ γένος τι Ἰνδῶν φάναι τὸν χλούνην εἶναι, καθάπερ καὶ παρ' Αἰσχύλῳ*? Non suspectos habebat Indos Heinrichius, tum quidem adolescens, ad Hesiodi Scutum v. 168. quos *χλούνας* dici, quod fusci essent, putabat. Hodie, sat scio, si illuc redeat, aliter sentiat vir acutissimus. In Xenophontis libris, quos quidem habemus, nihil istiusmodi invenitur: ut suspicer, non Xenophontem, sed Xenophanem, fortasse in Sillis, ab scholiasta esse nominatum. Maxime vero Indi hinc facessant. Nam nisi egregie fallor, scripserunt grammatici, auctorem illum, quem memorant, *γένος τι ἀκρίδων φάναι τὸν χλούνην εἶναι*. In eam me coniecturam adduxit scholiastes Theocriti, qui ad illud in X. idyllio v. 18.

μάντις τοι τὰν νύκτα χροΐξεται ἃ καλαμαία,

haec adnotavit: *ἴσως οὖν ὁ Θεόκριτος τὴν ἰσχνὴν εἰπεῖν θέλων καὶ διεφθαρμένην τοῦτο φησίν. ἢ τὴν ἐπιβλαβὲς καὶ χαλεπὸν ὁρῶσαν. Ἀρίσταρχος γὰρ ἐν ὑπομνήματι Λυκούργου Αἰσχύλου τὴν ἀκρίδα φησὶ ταύτην, εἰ προσβλέψει τινὶ τῶν ζῴων, ἐκείνῳ κακὸν γίνεσθαι. ἔστι δὲ χλωρὰ καὶ περιμήκεις τοὺς πόδας ἔχουσα καὶ λεπτούς, καὶ συνεχῶς αὐτοὺς κινοῦσα.* Atque in iisdem scholiis, paucis interiectis, ipsa illa vox *μακροσκελής*, sed perperam *μακρόσκελος* scripta, de ista bestiola dicta est in his: *ἢ ἡ σὴ ἐρωμένη ἢ ἐοικυῖα τῇ ἀκρίδι τῇ καλαμαίᾳ ὀνομαζομένῃ, τῇ πρὸς μαντείας ἐπιτηδείᾳ, περιβαλεῖται τὸν χρῶτά σου κατὰ τὴν νύκτα· τουτέστιν, ἡ ἰσχνὴ καὶ λεπτὴ καὶ μακροσκελὴς συγκοιμηθήσεταί σοι.* Retulerunt haec, qui fragmenta Aeschyli ediderunt, ad Lycurgum: verum neque an illud Aristarchi *ὑπόμνημα Λυκούργου* universam tetralogiam complexum sit scimus, neque, ut in solo Lycurgo constiterit, non potuit etiam eorum aliquid explicari, quae in praegressis legerentur tragoediis. Ac profecto vix dubitari posse arbitror, quin quae disseruit Aristarchus ad illum ipsum versum, cuius emendatio-

nem quaerimus, pertineant. Nam et μακροσκελὴς illa locusta est, et eadem, quia nocere adspectu suo dicitur, χλούνης vocatur, si id κακοῦργον significat: ut, si Ho- 11
meri scholiastam cum Theocriti interprete componimus, manifestum sit, cur ille, ubi χλούνην dixit κακοῦργον esse, ad illud locustae genus, versumque Aeschyli transierit. Ea autem ratione egregie confirmatur, quod sagaciter suspicatus erat Böttigerus, in capripedem Satyrum quadrare illud fragmentum. Sic autem scribendum videtur:

ΛΥΓ. μακροσκελὴς μέν. ΛΥΚ. ἆρα μὴ χλούνης τις ἦν;

NVNC. praelonga certe crura. LYC. num locusta erat?

Nam si, ut consuetudo tragoediae suadet, nuncius aliquis referebat, quam mira atque incredibili specie quidam advenissent semihomines viri, consentaneum erat, contemptorem Bacchi Lycurgum irridere haec nuncianti, et vertere in ludibrium, quaerentem, num illud longis et gracilibus cruribus imbelle monstrum locusta esset visu nocitura. Caeterum nisi diserte masculinum apud Homeri scholiastam scriptum legeretur, facile crederem feminino genere locustam χλοῦνιν esse appellatam, id ut esset adiectivum intellecto ἀκρὶς substantivo.

Captum esse ab Lycurgo Bacchum, ex scholiis ad Thesmophoriazusas infra memorabitur. Itaque, quod etiam ex Apollodoro cognoscitur, proelio conflixisse Edonos cum Bacchi grege iure statuemus. Hanc quoque rem ab aliquo nuncio descriptam esse constans usus tragicorum credi iubet. Eo fortasse pertinet, quod Hesychius, Suidas, Favorinus satis perplexa oratione referunt. Hesychius: *αἰγίζειν, διασπᾶν. ἐκ μεταφορᾶς. παρ' ὃ καὶ αἰκίζεσθαι ἀπὸ τῶν καταιγίδων. Αἰσχύλος. ὁ δ' αὐτὸς ἐν Ἠδωνοῖς* (codex *ἡδονῇ*) *καὶ τὰς νευρίδας οὕτω λέγει.* Suidas: *αἰγίζειν, διασπᾶν. ἐκ μεταφορᾶς, παρ' ὃ καὶ τὸ αἰγίζεσθαι, ἀπὸ τῶν καταιγίδων. Αἰσχύλος. ὁ δ' αὐτὸς ἐν Ἠδωνοῖς καὶ τὰς νεβρίδας*

οὕτω καλεῖ. Idem: Ἠδωνὰ ἱμάτια. Θρᾳκικά. Ἠδωνίς, Ἠδωνίδος, χώρα οὕτω λέγεται. καὶ Ἠδωνοί, ὄνομα ἐθνους. Αἰσχύλος. ὁ δ' αὐτὸς ἐν Ἠδωνοῖσι καὶ τὰς νεβρίδας οὕτως καλεῖ. καὶ ἔστιν ἐν τῷ αἰγίζειν. Favorinus: αἰγίζει, διασπᾷ, καταιγίζει. ἐκ μεταφορᾶς, παρ' ὃ καὶ τὸ αἰκίζεσθαι, ἀπὸ τῶν καταιγίδων. ἔτι ὁ αὐτὸς ποιητὴς ἐν Ἠδωνοῖς αἰγίζειν τὰς νευρίδας λέγει, ἀντὶ τοῦ διασπᾶν καὶ καταιγίζειν. Haec si recte interpretor, Edoni deripuisse Bacchi comitibus pelles hinnuleorum ac dilacerasse dicebantur, et quidem quas illi Thracum hinnuleis detractas humeris circumiecissent: ut verba poetae haec fuisse videantur:

12 νεβρίδας δ' Ἠδωνίδας
ἤγιζον.

pellesque hinnuleorum Edonides carptim revellunt.

Memorabo hic, quae potuerunt in proelii descriptione, potuerunt etiam alio loco esse. Hesychius et Favorinus: ἄσσιστα, ἔγγιστα. Αἰσχύλος Ἠδωνοῖς. Codex Hesychii ἡδωνῶν.

Idem Hesychius v. ἀμφίδρομος: δηλοῖ δὲ καὶ ἐξ ἑκατέρου μέρους θεώμενον ἢ προηγούμενον ἢ ὁρμᾶν δυνάμενον, ὡς Αἰσχύλος ἐν Ἠδωνοῖς. Eadem, sed omisso auctoris et fabulae nomine, habet Favorinus.

Captus est in proelio Bacchus, adductusque ad Lycurgum. Eam in rem memorabilis est oratio, qua Mnesilochus apud Aristophanem in Thesmophoriazusis v. 134. seqq. Agathonem poetam perstringit. Qua oratione quoniam mirum in modum abusus est Welckerus in Appendice p. 106. ut quam plurima inde verba Aeschylo vindicaret, sic versus illos scriptos dabo, quemadmodum ille quae Aeschyli esse putat spatio inter litteras maiore distinxit.

καὶ σ', ὦ νεανίσχ', ὅστις εἶ κατ' Αἰσχύλον
ἐκ τῆς Λυκουργίας ἐρέσθαι βούλομαι.
ποδαπὸς ὁ γύννις; τίς πάτρα; τίς ἡ στολή;

τίς ἡ τάραξις τοῦ βίου; τί βάρβιτος
μέλει κροκωτῷ; τί δὲ λύρα κεκρυφάλῳ;
τί λήκυθος καὶ στρόφιον; ὡς οὐ ξύμ-
φορον.
τίς δαὶ κατόπτρου καὶ ξίφους κοινωνία;
τίς δ' αὐτὸς ὦ παῖ; πότερον ὡς ἀνὴρ
τρέφει;
καὶ ποῦ πέος; ποῦ χλαῖνα; ποῦ Λακωνικαί;
ἀλλ' ὡς γυνὴ δῆτ'; εἶτα ποῦ τὰ τιτθία;

In his verbis valde torsit Welckerum speculi et gladii mentio, quae instrumenta non habebat quibus testimoniis, quae idonea essent, ad Bacchi ornatum referret. Nimirum ipse finxit Aeschyli verba esse, quae sunt Aristophanis, quoniam κροκωτὸν videbat Baccho convenire*). At quivis, qui incorrupto iudicio fruatur, videat oportet, illa, τίς ἡ τάραξις τοῦ βίου, quaeque reliqua adduntur, nihil ad Bacchum, sed ad solum Agathonem spectare, quem irridendi caussa sic exornatum produxit Aristophanes. Scholiastam si audimus, nihil nisi ποδαπὸς ὁ γύννις Aeschyli esse certo sciri fatebimur. Sic enim scribit: λέγει δὲ ἐν τοῖς Ἠδωνοῖς πρὸς τὸν συλληφθέντα 13
Διόνυσον, ποδαπὸς ὁ γύννις. Non refragabor tamen, ac potius veri simile duco, quum scholiastae saepe modo initia versuum ponant, totum hunc versum Aeschyli esse:

ποδαπὸς ὁ γύννις; τίς πάτρα; τίς ἡ στολή;
unde ista mulier? patria quae? quae haec vestis est?

Atque hoc suaserat Böttigerus in Musei Attici vol. I. fasc. II. p. 358.

---

*) Pro certo hoc arripuit C. O. Müllerus in Notitiis litt. Gotting. a. 1832. m. Febr. n. 19. p. 184. Κοινὰ γὰρ τὰ τῶν φίλων, quodque unus excogitavit, credunt sodales. Ita novae antiquitates procuduntur. Quin istius Aeschylei ut volunt Lycurgi etiam affinitatem quamdam cum Demo, quem diversissimos mores repraesentantem Parrhasius pinxit, Mülleri invenit divinatio.

Corruptissimum exstat fragmentum apud scholiastam Aristophanis ad hunc versum, qui est in Avibus 277.

τίς ποτ' ἔσθ' ὁ μουσόμαντις ἄτοπος ὄρνις ὀριβάτης;

Ibi ille haec dicit: *ὁ μουσόμαντις, ὁ κομπώδης. τοιοῦτοι γὰρ οἱ μάντεις καὶ οἱ ποηταί. ἄτοπος ὄρνις. τοῦτο εἶπεν εἰς τὸ τερατῶδες τοῦ ὄρνιθος ἀφορῶν, οὐ δὲ* (legitur *οὐδὲν*) *πρὸς τὸ προκείμενον. παρὰ τὸ ἐξ Ἡδωνῶν Αἰσχύλου· τί ποτ' ἔσται ὁ μουσόμαντις. ἄλαλος. ἀβρατεὺς ὢν σθένει.* Suidas: *μουσόμαντις, κομπώδης. τοιοῦτοι γὰρ οἱ μάντεις καὶ οἱ ποιηταί. παρὰ τὸ ἐξ Ἡδωνῶν Αἰσχύλου· τίς ποτ' ἔσται ὁ μουσόμαντις ἄλλος ἀβρατεύς.* Pro *ἄλλος* codex Suidae Leidensis, de quo me certiorem fecit Seidlerus, *ἄλαλος*, ut scholastes. Brunckius ad Aves v. 276. coniiciebat, *τίς ποτ' ἔσθ' ὁ μουσόμαντις, ἄλαλος, ἄβροτος, ὢν θένει;* Bothius, *ἄλαλος, ἁβρός, ἀσθενής.* Reisigius, qui ad Xenoph. Oecon. p. 228. Brunckii *ἄβροτος* et *θένει* non probabat, in comment. crit. ad Oed. Col. 1050. p. 328. legendum censebat, *τίς ποτ' ἔσθ' ὁ μουσόμαντις, ἄλαλος, ἄβροπος, ἐν στέφει;* Quae a Pergero ad Hesychium v. *ἄβαρχνα*, et a Welckero in Appendice p. 113. qui de Sileno sermonem esse sibi in animum induxit, prolata sunt, sciens praetereo. Latissimus hic coniecturis campus patet: sed apertum est nihil agere, si quis satis ducit verba ponere, quae et Graeca sint et metro conveniant, nisi afferat, quod propter argumentum fabulae aliquam probabilitatis speciem ostendat. *Μουσόμαντιν* quum scholiastes *τὸν κομπώδη* significare dicat, quod hoc vatum sit et poetarum vitium, nemini non statim in mentem veniet, quem eo nomine designaverit Aeschylus, Orpheum esse. Hunc enim, ut videtur, in proxima fabula a Bassaridibus discerptum fecit. Neque vero negligendum puto, quod et scholiastes et Suidas *τίς ποτ' ἔσται* habent: quam scripturam etsi falsam esse vel imitatio Aristophanis monstrat, tamen ex ea coniici potest, scholiastam *ἔσθ' ὁ* pro *ἔσται ὁ* dictum credidisse. Ex

quo veri simile est in altera versus parte verbum aliquod futuri temporis latere: idque bene cum iis quae de argu- 14
mento fabularum cognita habemus congruit. Nam si in Bassaridibus interitus descriptus est Orphei, credibile est mentionem eius factam esse in Edonis, quo praepararentur ea, quae sequutura essent, animique spectatorum ad ea quae deinceps visuri essent adverterentur. Aptissime vero sive Lycurgus, sive aliquis alius, sive etiam ipse Orpheus monere Bacchum poterat, quid periculi isti advenarum gregi a vate immineret, qui *si arte materna* uti vellet, vel saxa Haemi et silvas in aciem educeret. Id si dictum putabimus, saltem non inepte, opinor, coniiciemus sic scriptum fuisse versum illum, quo ad ista ipse fortasse Bacchus respondebat:

τίς ποτ' ἔσθ' ὁ μουσόμαντις, ἄλαλ' ὃς ἄβροτ' εὐθυνεῖ*);
quis istic est praestigiator, muta qui insensata aget?

Superest ut de singulis verbis dicam. Et ἄλαλα quidem, praesertim quum ἄλαλοι καὶ κῶφοι coniungi soleant, recte dici patet. Nam qui ipsi fari nequeant, eos canta non moveri per se consentaneum est. Ἄβροτα autem sensu carentia significare Suidas docet, apud quem legimus: ἄβροτον, ἄψυχον, ἀναίσθητον. Postremo εὐθύνειν de agendo grege dixit Xenophon Cyrop. I. 1, 2. πορεύονταί τε γὰρ αἱ ἀγέλαι ᾗ ἂν αὐτὰς εὐθύνωσιν οἱ νομεῖς.

Ad idem colloquium pertinere potuit, quod Photius et Hesychius adnotarunt. Hic: ἄδασμος, οὐδένα δασμὸν ἐκτίνουσα, οὐδὲ μερίζουσα δασμὸν τῆς οἰκήσεως. οὕτως Αἰσχύλος. Hesychius autem: ἄδασμος, οὐδένα δασμὸν ἐκτελοῦσα, οἷον τελοῦσα ἐνοίκιον. Αἰσχύλος

*) Debebam id ἄλαλ' ὃς ἄβροτά τ' εὐθυνεῖ scribere. Coniecturis late campus patet. Potuit de ipso Baccho dici: τίς ποτ' ἔσθ' ὁ μουσόμαντις ἀμαλὸς ἁβροβάτης σθένει; F. V. Fritzschius: τί ποθ' ὁ μουσόμαντις ἄλαλος ἁβροβάτης τόσον σθένει; non bene tamen collocato μουσόμαντις.

Ἠδωνοῖς. Codex *ἡδονήν.* Minabatur, nisi fallor, Baccho vel Lycurgus, vel quisquis cum eo colloquebatur, *αἰέγην ἄδασμον,* non *οἰκίαν,* qua voce non usi sunt tragici, carcerem dicens *domum gratuitam.* Nisi illa Bacchi verba fuerunt, in specu inclusum iri Lycurgum praedicentis.

Alius verbi memoriam servavit Erotianus p. 192. *ἴκταρ, ἐγγύς, παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς, ὡς Αἰσχύλος ἐν Εὐμενίσι φησίν, ἴκταρ ἥμενοι Διός. μέμνηται δ αὐτὸς τῆς λέξεως καὶ ἐν Ἠδωνοῖς. οἱ δὲ περὶ Ἰσχόμαχον καὶ Κυδίαν τὸν Μυλασέα ἔγραψαν ἴκμαρ. αἴτιον δὲ τούτου ἡ τῆς λέξεως ἄγνοια.*

Haec quidem sunt, quae diserte ex Edonis afferuntur. Sed latent fortasse alia in iis fragmentis, quae ad quas fabulas pertineant non est traditum. In his numerem illud, quod a Suida indicatum, *ἄναξ θηλυκῶς· οὕτως Αἰσχύλος,* Orio Thebanus in Etymologico p. 26, 4. servavit: *τὰ δὲ εἰς ξ μὴ ὄντα ἐθνικὰ ὁμοίως λέγεται καὶ ἐπὶ θηλυκῶν. Αἰσχύλος·*

δέσποινα νύμφη δυσχίμων ὀρῶν ἄναξ;
regina nympha gelidum custos montium.

Quadrant haec certe in Cotyn illam ab Edonis cultam.

Certior etiam suspicio est de illo, quod affert scholiastes Apollonii Rhodii I. 473. ubi quum editum esset *Αἰσχύλος δὲ καὶ τὰς Βάκχας χαλιμίας φησὶ λέγεσθαι,* codex Parisiensis autem praeberet *καὶ Αἰσχύλος τὰς Βάκχας χαλίδας ἔφη,* hoc verum esse contendit Barkerus ad Etym. M. p. 1128. auctore Hesychio, apud quem est: *χαλίς, ὁ ἄκρατος οἶνος. καὶ ὁ μεμηνὼς καὶ κεχαλασμένος τὰς φρένας;* Naekius autem in Choerilo p. 217. scribendum censuit, *Αἰσχύλος δὲ καὶ τὰς Βάκχας χαλιμάδας φησὶ γενέσθαι.* Cui de postremis non assentior, sed corrigi malo: *Αἰσχύλος δὲ καὶ τὰς Βάκχας χαλιμάδας, φασί, λέγει.* Etymol. M. p. 805, 10. *καὶ τὰς Βάκχας χαλιμάδας ἔλεγον, τὰς χαλωμένας πρὸς συνουσίαν· καὶ χαλιμάζειν τὸ περὶ τὰς συνουσίας πείθεσθαι.* Suidas: *χαλίμα, ἡ πόρνη, ἀπὸ*

τοῦ χαλᾶσθαι τὸ σῶμα ἀπὸ μέθης ἢ μανίας. Emendatius scriptum apud Eustathium p. 1471, 3. χαλιμὰς γυνή, ἡ ὑπὸ μέθης χαλωμένη τὸ σῶμα. Hesychius et Favorinus: χαλιμάδες, ἀναίσχυντοι καὶ θρασεῖαι. Credo χαλειμάδας, *laxivestes*, dictas.

Ad unam ex Lycurgiae fabulis pertinebat fortasse hoc, cuius meminit Eustathius p. 827, 30. οὕτω δὲ καὶ Αἰσχύλου μάχλον φασὶν ἄμπελον εἰπόντος τὴν ῥεομένην, ἡ κωμῳδία μάχλον εἶπε τὸν ὑπὸ κατωφερείας δίνγρον. Irriguam vitem si Aeschylus *lasciam* dixit, debuit id ex verbis quae adiecerat cognosci.

B A Σ Σ A R I Δ E Σ.

Si in Edonis captus est Bacchus cum comitibus suis, ordo rerum postulabat, ut in Bassaridibus, qui modo victi et in vincula coniecti erant, divina ope liberati cladem acceptam ulciscerentur. Ac solutas inopinato esse Bacchas, Lycurgum autem, insania correptum, postquam et filium Dryantem interemerat et sibi pedem praeciderat, resipuisse, Apollodorus tradidit. Horum etsi veri simile est aliquid tractatum ab Aeschylo in Bassaridibus esse, tamen, quum bis tantum, quod sciamus, diserta, eaque admodum brevis huius fabulae mentio apud veteres 16
scriptores inveniatur, plane nihil haberemus, quod de inventione argumenti coniiceremus, nisi tertia quaedam memoria satis certo ad hanc pertinere tragoediam videretur. Nam in Catasterismis Eratostheni tributis cap. 24. quem locum attigerunt Valckenarius ad fragmenta Callimachi p. 186. et Gaisfordius ad Hephaest. p. 71. haec narrantur de Orpheo: ὃς τὸν μὲν Διόνυσον οὐκ ἐτίμα, τὸν δὲ Ἥλιον μέγιστον τῶν θεῶν ἐνόμιζεν εἶναι, ὃν καὶ Ἀπόλλωνα προσηγόρευσεν, ἐπεγειρόμενός τε τῆς νυκτὸς κατὰ τὴν ἑωθινὴν ἐπὶ τὸ ὄρος τὸ καλούμενον Πάγγαιον προσέμενε τὰς ἀνατολάς, ἵνα ἴδῃ τὸν Ἥλιον πρῶτον. ὅθεν ὁ Διόνυσος ὀργισθεὶς αὐτῷ ἔπεμψε τὰς Βασσαρίδας, ὥς φησιν Αἰσχύλος ὁ ποιητής, αἵτινες αὐτὸν διέσπασαν καὶ τὰ μέλη διέῤῥιψαν

χωρὶς ἕκαστον. αἱ δὲ Μοῦσαι συναγαγοῦσαι ἔθαψαν ἐπὶ τοῖς λεγομένοις Λειβήθροις. Hyginus in Poet. Astron. II. 7. p. 438. seq. *sed, ut Eratosthenes ait, in Pangaeo sedens, quum cantu delectaretur, dicitur Liber ei obiecisse Bacchas, quae corpus eius discerperent interfecti: — Musas autem collecta membra sepulturae mandasse.* Hoc Catasterismorum testimonium quum solum sit, ex quo aliquid de argumento Bassaridum cognoscamus, non liquet, utrum tota tragoedia ad Orphei interitum spectaverit, an aliqua eius pars in Lycurgi quoque rebus sit versata. Orpheus certe amplissimam praebebat tragoediae scribendae materiam: quumque maxima fuerit Aeschyli in inveniendis argumentis simplicitas, mihi quidem veri similius videtur, in solo Orphei casu hanc tragoediam constitisse. Et commendatur haec suspicio mentione Orphei in Edonis, si *μουσόμαντις* ille Orpheus est. Chorus fabulae dubitari potest fueritne, ut nomen suadet, Bassaridum, an, quod ex Catasterismis colligere quis possit, Musarum. Ad argumenti rationem accommodatior est concitatus ille et pene furibundus Bassaridum, quam, quas graves et moderatas esse decebat, Musarum chorus, praesertim si, ut alio loco conieci, secundarum in trilogiis fabularum virtus praecipue in canticis conspiciebatur. Sed, si Bassarides chorum agebant, tamen quae in Catasterismis de Musis scripta sunt, suadent ut putemus has in fine fabulae, similiter ut illi in Eumenidibus *πρόπομποι*, in orchestram esse ingressas, ut et lugerent Orpheum et ossa eius ad sepulturam in Libethris efferrent. Non pertinent huc illae, quas Masas esse in antiquo monumento, quo res Lycurgi continentur, Zoega existimabat, cuius monumenti
17 imago et dissertationibus eius adiecta est, et in picturis Creuzeri Symbolicae additis tab. VI. inspici potest. Nam illas Parcas esse, Welckero assentior ad Zoegae dissertationes p. 359. seq. Significatur ea pictura quomodo in furorem actus sit Lycurgus, quod ei fatale fuisse.

Non patet, qua de re scriptum fuerit, quod scholiastes Nicandri ad Ther. 288. affert: *σημαίνει δὲ ἡ*

λέξις τρία. ἔστι γὰρ ψολόεν (sic scribendum pro *ψόλον*) *τὸ μέλαν, τὸ σποδοειδές, τὸ λαμπρόν. Εὐφορίων, ἢ Λίτυην ψολόεσσαν, ἐναύλιον Ἀστεροπαίου· καὶ ἔτι· λιγυὴν δὲ ψολόεσσαν ἀϊδνήεντά τε καπνόν. καὶ Αἰσχύλος ἐν Βασσαρίσι·*

κάρφει παλαιῷ κἀπιβωμίῳ ψόλῳ,

arae favilla et vetere paleae fomite.

Κάρφει recte edd. Codex *σκάρφει*. Meminit huius loci Ruhnkenius ad Longin. c. 3. init.

Hesychius et Favorinus: *ἐλλόμενον, ἐργόμενον. Αἰσχύλος Βασσαρίσι.* Codex Hesychii *Βάσσαρες.*

NEANIΣKOI.

Si de Bassaridum argumento recte indicavimus, consequitur, quae Apollodorus narrat, ex aliis auctoribus, non ex Aeschylo esse sumpta. Eo magis dubitandum est, an etiam interitum Lycurgi Aeschylus alium fecerit, quam quem dixit Apollodorus. Sed tamen ut poenam, quam luerit Lycurgus, tertia trilogiae fabula expositam credamus, res ipsa videtur admonere. Traduntur autem de exitu Lycurgi diversissima. Auctoribus a Salvagnio ad Ovidii Ibin v. 347. et a Munkero ad Hygini fab. 242. memoratis addendus Nonnus Dionys. XXI. v. 164. sqq. qui Homero duce ab Iove eum caecum redditum esse scripsit. Ab equis distractum Welckerus in Trilogia p. 325. devoratum Zoega in dissertatione, quam de eo scripsit, p. 16. finxit. Aliquanto humanior, quem illi auctorem habuere, Apollodorus, *διαφθορὰς* dicere satis duxit. Ipse se interemisse dictus est Hygino fab. 242. Saxeo carcere inclusum esse scripsit Sophocles in Antigona, ubi ad v. 955. Triclinius quum alia, tum hoc adnotavit: *ἕτεροι δέ φασιν ὡς λαβόντες αὐτὸν οἱ πολέμιοι συμποδισθέντα καὶ εἰς ἄντρον ἐμβαλόντες καὶ τὴν εἴσοδον κλείσαντες ἐλιμαγχόνησαν.* Hi hostes si, ut Welckero visum, Bacchi exercitus fuerunt, illud tamen vereor ut multi persuaderi sibi patiantur, quos *νεα-*

Θρίαζους introduxerit Aeschylus, chorum fuisse Satyrorum, seria quidem agentium, quales scilicet monumentum Lysicratis in Stuarti Antiquitatibus Athenarum vol. I. pict. 4. ostendat. Pugnantes Satyros habet illud monumentum: et pugna certe res seria est. Sed longius progreditur Welckerus. Vinctum esse ab his Satyris coniicit Lycurgum in Appendice p. 118. seqq. atque adeo non nimis argutari putat, qui suspicetur, quos Apollodorus equos appellet, iis eum Satyros designasse, quod illi in monumentis et picturis antiquis saepe caudas equinas habeant. Video miraturos esse nonnullos chorum in tragoedia iuvenum cum caudis equinis, dubitaturosque fortasse etiam de eo, an nomen fabulae Νεανίσκοι non sit a choro ductum. Sed habuerit fabula chorum iuvenum: num hos Satyros esse oportebat? Illud quidem recte dicit Welckerus, si illi pastores fuissent armenta in Pangaeo pascentes, a vitae genere potius quam ab aetate inditam fuisse appellationem. At quidni fuerint iuvenes Edoni, recepto novi dei cultu sacra Bacchica celebrantes? Id mihi quidem haud paullo credibilius videtur, quam iuvenum appellationem praetextam esse parum tragicis caudis equinis. Habeo vero aliud quoque, quod ita est cum hac coniectura coniunctum, ut simul aliquid de argumento fabulae aperire videatur. In dissertatione illa, quam de compositione tetralogiarum scripsi, dubitare me sum professus, an, quae tribus tragoediis addebatur fabula satyrica, non debuerit cum illis tragoediis argumenti perpetuatione copulari. Absonum enim et tum mihi videbatur et videtur etiamnum, virum insignem, cuius adversi casus modo miseratione atque horrore animos spectatorum implessent, inter Satyrorum ioculares lusus petulantemque lasciviam in scena conspici. Tametsi enim recreandis atque exhilarandis post seria et tristia animis inservire concedimus fabulam satyricam, tamen id non sic erat efficiendum, ut recordatio illorum, quae paullo ante admirati essent spectatores, humili ista levitate Satyrorum tamquam labe adspersa contaminaretur ac penitus corrumperetur. Quid igitur dicemus, quod Lycurgia Aeschyli apertissimo et

luculentissimo exemplo refutare hanc opinionem videtur? Welckerus, qui in Trilogia pag. 505. seq. mecum consentiebat, in Appendice p. 121. satis habuit, memoratu dignum dicere, quod Lycurgia exemplum praebeat fabulae satyricae, in qua et persona eadem quae in trilogia, et, quantum coniici possit, etiam argumentum idem aut valde simile illi, quod tragoediae habuerint, cum Satyrorum lu- 19
dibriis in scenam fuerit producta. Quod quoniam ita esse putabat, propterea, ut opinor, iam non, ut in priore libro, ab equis distractum esse Lycurgum in tertia tragoedia, sed modo vinculis constrictum ab illis quos finxit Hipposatyris vel Hipposilenis ait, quo scilicet superstes in fabula satyrica partes suas agere posset. Musgravium ad Eurip. Rhes. 975. qui audiret, fortasse in vitam revocatum esse Aesculapii ope Lycurgum putaret. Sed falsus est Musgravius. Nam qui hoc tradidit, Stesichorus, non illum regem Edonorum, filium Dryantis, sed alium Lycurgum dicebat, Pronactis filium. Id non latuit Heynium ad Apollodorum. Vide Kleinii fragmenta Stesichori p. 74. seq. At alia ratio est, quae ostendat quomodo sine offensione spectatorum redire inter Satyros Lycurgus in scenam potuerit. Est enim Lycurgus, postquam vita excessit, dei loco habitus cultusque a Thracibus. Strabo lib. X. p. 471. ubi illa quae supra posuimus attulit, sic pergit: *ταῦτα γὰρ ἔοικε τοῖς Φρυγίοις· καὶ οὐκ ἀπεικός γε, ὥσπερ αὐτοὶ οἱ Φρύγες Θρᾳκῶν ἄποικοί εἰσιν, οὕτω καὶ τὰ ἱερὰ ἐκεῖθεν μετενηνέχθαι. καὶ τὸν Διόνυσον δὲ καὶ τὸν Ἠδωνὸν Λυκοῦργον συνάπτοντες εἷς ἕν, τῶν ἱερῶν τὴν ὁμοιοτροπίαν αἰνίττονται.* Eodem referenda recte existimasse videtur Musgravius, quae de Rheso loquens in cognomine fabula obscurius prodit Musa his verbis v. 970. sic codicum auctoritate scribendis:

κρυπτὸς δ' ἐν ἄντροις τῆς ὑπαργύρου χθονὸς
ἀνθρωποδαίμων κεῖσεται βλέπων φάος,
Βάκχου προφήτης ὥστε Παγγαίου πέτραν
ᾤκησε σεμνὸς τοῖσιν εἰδόσιν θεός.

Apertius autem, quem ipsum quoque memoravit Musgra-

vius, Nonnus Dionys. XXI. 155. seqq. nisi quod res illas in Arabia collocavit. Apud eum sic est de Iunone:

> *δυσαμένη Λυκόοργον, ὅπως ἐναρίθμιος εἴη*
> *ἀθανάτοις. Ἄραβες δὲ πολυκνίσων ἐπὶ βωμῶν*
> *ὡς θεὸν εἶα Λρύαντος ἐμειλίξαντο θυηλαῖς,*
> *ἀντὶ Διωνύσοιο μελιῤῥαθάμιγγος ὀπώρης*
> *λίθρον ἐπισπένδοντες ἀβακχεύτῳ Λυκούργῳ.*

Intelligitur ex his, tantum abesse ut erroris per Lycurgum arguantur quae in illo de tetralogiarum compositione libello scripsi, ut accedat Lycurgia quoque iis exemplis, quibus comprobatur illa sententia. Nam qui in fabula satyrica vel conspiciebatur vel audiebatur Lycurgus, mutatus in deum, non erat idem, quem in tragoediis viderat theatrum. Revertor nunc ad Neaniscos. Si recte coniecimus, qui in satyrica fabula introductus est Lycurgus, iam non hominem, sed deum fuisse: consentaneum est, illam humanae naturae cum divina commutationem in extremis factam esse Neaniscis, postquam impietatem in Bacchum satis luisset. Atque etsi quas poenas apud Aeschylum sustinuerit nescimus, tamen, quoniam et Sophocles eum *πετρώδει κατάφρακτον ἐν δεσμῷ* dicens et Rhesi scriptor Pangaei rupem habitare scribens notam omnibus famam sequi videntur, eaque percommoda transformationis ratio est, si in specu inclusus, remotoque saxi obiectu non inventus pro deo est habitus: tali fere modo rem illam ab Aeschylo expositam esse crediderim. Quare de universa trilogia sic sentio: in Edonis, ferociter grassante Lycurgo, Bacchum, clade accepta, cum suis esse captum; in Bassaridibus solutas ex vinculis Bacchas superiores evasisse, infensumque Baccho discerpsisse Orpheum; in Neaniscis iuvenes Edonos, agnita dei potentia, sacra eius amplexos, quum etiam Lycurgus impietatem luisset suam, deorum eum numero additum coniunctis cum Baccho sacris coluisse. Nam et Strabo Bacchum et Lycurgum *εἰς Ἓν συνῆφθαι* tradit, et Nonnus ei pro Baccho sacra facta esse scribit, et Rhesi scriptor eum *Βάκχου προφήτην* appellat. His

adducor, ut fragmentum, quod non nominata fabula Plutarchus servavit in libro de *ει* Delphico p. 389. A. B. in fine Neaniscorum scriptum fuisse putem, defendendamque ab eo emendationem esse censeam, quam fecit Porsonus. Sic autem Plutarchus: *μιξοβόαν γάρ, Αἰσχύλος φησί, πρέπει διθύραμβον ὁμαρτεῖν σύγκοινον Διονύσῳ.* Eleganter quidem Porsonus in adnotationibus ad Toupii emendationes Suidae p. 490. *σύγκωμον* scribendum coniecit: sed, si haec ad Neaniscos pertinent, illi quos dixi auctores verissime scriptum esse *σύγκοινον* ostendunt. Versus Porsonus recte distinxit:

μιξοβόαν πρέπει
διθύραμβον ὁμαρτεῖν
σύγκοινον Διονύσῳ·

mixtisonum decet
dithyrambum aditare
communem Dionyso.

Quae diserte ex Neaniscis allata sunt fragmenta, de21
argumento fabulae nihil produnt. Habemus autem haec quattuor.

Hesychius: *ἀρείφατον λῆμα, ἰσχυρόν, ἀντὶ τοῦ Ἄρει ἐοικώς. Αἰσχύλος Νεανίσκοις.* Sic etiam Favorinus, apud quem *ἐοικὸς* legitur. Lycurgusne sit, an alius, an omnino quicumque fortis est, quem ***Mavortium cor*** appellavit poeta, quis sciat?

Idem Hesychius: *ἀφοίβαντον, ἀκάθαρτον. Αἰσχύλος Νεανίσκοις.* Ita correxerunt viri docti, quod et apud Hesychium et apud Favorinum, qui auctoris et fabulae nomen omisit, mendose scriptum legebatur, *ἀφοίβαιον, ἀνακάθαρτον.* Dubitari potest an error sit in fabulae nomine, quum *ἀφοίβαντον χέρα* in Eumenidibus v. 237. inveniatur, quod scholiastes ipso illo *ἀκάθαρτον* est interpretatus.

Athenaeus XI. p. 503. C. *Νίκανδρος δ' ὁ Θυατειρηνὸς καλεῖσθαί φησι ψυκτήρια καὶ τοὺς ἀλσώδεις καὶ συσκίους τόπους τοὺς θεοῖς ἀνειμένους, ἐν οἷς ἔστιν ἀναψῦξαι. Αἰσχύλος Νεανίσκοις·*

σαύρας ὑποσκίοισιν ἐν ψυκτηρίοις:
gelidis lacertos nemorum in umbrosis locis.

Posui librorum scripturam, nisi quod olim in edd. legebatur *ὑπηκόοισιν*. Valckenarius ad Hippol. 199. p. 184. b. valde probabili coniectura *σ* in *σαύρας* e praegresso vocabulo adhaesisse putans, *αὖρας* scribi iussit, cui fidenter obsequendum censuit, quamvis et codd. et Epitome *σαύρας* teneant, Schweighaeuserus, quia non umbrosis, sed apricis locis lacertae gaudeant. Verum hoc quidem, sed prava ratiocinatio est, qua versum Aeschyli corrigendum iudicat. Quid reprehenderet enim, si dixisset Aeschylus, *οὐδ' εὕροι τις ἂν σαύρας ὑποσκίοισιν ἐν ψυκτηρίοις*? aut si scripsisset, *ὥστε καὖθ' ὑπεκφυγεῖν σαύρας ὑποσκίοισιν ἐν ψυκτηρίοις*, ut Virgilius Ecl. II. 9.

nunc virides etiam occultant spineta lacertos.

Certe quis ausit contendere, non in comparatione aliqua mentionem fieri lacertarum potuisse? Quare ego quidem Valckenarii coniecturam, etsi valde placet, non continuo veram esse dixerim.

Nimis mirum est, quod apud Hesychium legitur, *ὀκτώπας, ποταμούς*, nullo auctore nominato. Nam neque fluvium aliquem Octopam quisquam novit, nec, si illud adiectivum est, quid significet ea vox aut quomodo emendanda sit, ut fluvio conveniat, apparet. Omisit istam glossam Favorinus: habet autem Photius in loco aperte
22turbato, in quo hae quattuor continuae glossae sunt scriptae: *Ὀκτώπιχυς καὶ ὀκτώπους: Φιλήμων. Ὀκτώπαν ποταμόν: Λίσχύλος διαπέπλευκε Νεανίσκοις. Ὀκτώπας: ἤτοι ὁ σκορπίος. Ὀκτώπους: ἢ ὁ μακρὸς ὀκτὼ ποδῶν.* In his illud mihi facile concedetur, discerpta esse, quae cohaerere debebant, idque etiam ordine verborum confuso: sed quo pacto emendanda sint, vereor ut ad liquidum perduci possit nisi reperto alius scriptoris testimonio. Tria tamen in his glossis non dubia esse puto: primo aut haec verba, *Λίσχύλος Νεανίσκοις*, aut illa, *ποταμὸν διαπέπλευκεν*, vel ex margine, vel quod supra versum adscripta erant, locis non suis esse inserta;

deinde ἤτοι ἢ indicio esse, non quod vocabulum in capite glossae posuerat Photius, sed illud, quod scriptoris ab eo commemorati est, explicari; postremo ὀκτώπαν et ὀκτώπας indocto librario deberi, qui quum in codice quem ante oculos habebat scriptum videret ὀκτώπουν et ὀκτώπους, utrique autem voci supra appictum esse α, hoc α non, uti debebat, mediae, sed ultimae syllabae correctionem esse crediderit. His positis emendatio quidem inveniri probabilis potest, sed incertum relinquitur, verba illa, ποταμὸν διαπέπλευκεν ὀκτάπους sintne Aeschyli nomini an Philemonis adiicienda. Quoniam magis comoediae quam tragoediae convenire videntur, hunc fere in modum corrigendas esse Photii glossas arbitror: ὀκτώπηχυς καὶ ὀκτώπους. Αἰσχύλος Νεανίσκοις. Φιλήμων ὀκτάπουν·

ποταμὸν διαπέπλευκεν ὀκτάπους·

ἤτοι ὁ σκορπίος ὁ ὀκτώπους, ἢ ὁ μακρὸς ὀκτὼ ποδῶν. Caeterum qui hoc dixit, ***fluvium tranatavit octipes***, scorpiumne an cancrum in mente habuerit, dubitare poterit, qui meminerit horum Nicandri verborum in Ther. 605.

σὺν δὲ καὶ ὀκταπόδην ποταμοῦ ἀποσυληθέντα καρκίνον.

ΛΥΚΟΥΡΓΟΣ.

De Lycurgo satis disputatum est supra in Neaniscis. Argumentum fabulae quale fuerit, ex fragmentis, quae perpauca sunt, erui non potest. De iis haec dicenda habeo.

Athenaeus, ubi de vino hordeaceo disserit, lib. X. p. 447. B. sic scribit: τὸν δὲ κρίθινον οἶνον καὶ βρῦτον τινὲς καλοῦσιν, ὡς Σοφοκλῆς ἐν Τριπτολέμῳ· βρῦτον δὲ τὸν χερσαῖον οὐ δυεῖν· καὶ Ἀρχίλοχος· ὥσπερ αὐλῷ βρῦτον ἢ Θρᾷξ ἀνὴρ ἢ Φρὺξ ἔβρυζε, 23
κύβδα δ' ἦν πονευμένη. μνημονεύει τοῦ πώματος Αἰσχύλος ἐν Λυκούργῳ· κἀκ τῶν δ' ἔπινες βρῦτον

ἰσχναίνων χρόνῳ καὶ σεμνοκόπτει τοῦτ' ἐν ἀνδρείᾳ στέγῃ. Sophoclis versus, quem audaci hariolatione emendavit Casaubonus, ab libris auxilium exspectat. In Archilochi fragmento, quod quintum apud Liebelium est, in sexto et vicesimo autem apud Blomfieldium legitur, Toupius *Θρῃξὶ* restituit, G. Dindorfius probabiliter coniecit *παρ' αὐλῷ*: *πονευμένη* frustra tentatur, quod est obsceno significatu dictum. Neque enim dubium videtur, perstringi his Neobulen. In Aeschyli versibus verbum aliunde non adnotatum *σεμνοκομπεῖν* reponendum esse intellexit Lobeckius ad Phryn. p. 416. Eamdem viam, sed laesis legibus grammaticis, adiecta horrida versione Germanica, ingressus est I. H. Vossius in censura Creuzeri Symbolices in Diar. Ienens. 1821. m. Maio, v. 86. p. 202. Dindorfius, quod in codice B. *ἔπεινε* scriptum videret, utrumque verbum ad eamdem personam referri ratus, *ἔπινε* edidit. Non videntur, qui hoc fragmentum attigerunt, quaesivisse, quomodo *βρῦτον* dici potuerit *ἰσχναίνεσθαι χρόνῳ*, praesertim quum *ἰσχναίνειν*, in quo arefaciendi significatio inest, minime aptum rei vocabulum sit: *ἀνδρεία* autem *στέγη* tam singulari modo dicta est, ut ipsa quoque suspecta esse debuerit. Haec omnia removebimus certa emendatione:

κἀκ τῶνδ' ἔπινες βρῦτον ἰσχναίνων χρόνῳ,
κἀσεμνοκόμπει τοῦτ' ἐν ἀνδρείᾳ στέγῃ·

ex his bibebas zythum tempore aridis,
atque in virtute iactitabat hoc domus.

Colloquitur nescio quis cum Lycurgo: qui quum *ἐκ τῶνδε* dicit, vel calvas intelligit vel utres ex coriis factos hospitum, quos occidisset Lycurgus: quorum ille dissecta membra postibus domus suae affigere consueverat. Id copiose descripsit Nonnus XX. v. 149—181. Hinc quod ille sic de more capita et pelles arefaceret, tempore praesente dictum *ἰσχναίνων*; quod autem in fronte domus arescerent, tecta hanc crudelitatem in virtutis loco cum iactatione testari dicuntur. Ipse eam feritatem iactat Lycurgus apud Nonnum XX. 311.

ἡμετέρων ὁράᾳς ἀναθήματα ταῦτα μελάθρων;

et pluribus in illa oratione.

Aliud fragmentum habet scholiastes Aristophanis ad Equites v. 1147. qui varios significatus quibus *κημὸς*24 dicatur enumerans, hoc inserit: *Αἰσχύλος ἐν Λυκούργῳ ἀλληγορικῶς τοὺς δεσμοὺς κημοὺς εἴρηκε διὰ τούτων·*

καὶ τούσδε κημοὺς στόματος·
et oris haec capistra.

Böttigerus, qui Marsyam in Lycurgo introductum putabat, in Museo Attico vol. I. p. 358. negabat haec verba alio quam ad *φορβειὰν* Marsyae posse referri. At neque omnino de Marsyae partibus in hac fabula quidquam fidem facit, nec, si *φορβειὰν* significari voluisset Aeschylus, id scholiastam *δεσμοὺς* dixisse credam. Adhibuisset enim ipsum illud nomen *φορβειά*, ut alius ibidem scholiastes, qui scribit *καὶ αἱ αὐλητικαὶ φορβειαί· καὶ κρίκου τι γένος*: quorum posterius illud esse videtur, quod alter *δεσμοὺς* appellat. Itaque sic potius statuendum arbitror, sermonem esse de quopiam, cui, fortasse quod loqueretur petulantius, os capistro vel colligandum esset, vel esset iam colligatum.

Scholiastes Sophoclis ad Oed. Col. 674. *ἀνέχουσα κισσόν. ὑπὲρ ἑαυτὴν ἔχουσα τὸ φυτόν, ἄνω ἔχουσα τὸν κισσόν· ὡς ἐν Λυκούργῳ Αἰσχύλος·*

ἄκουε δ' ἄν' οὖς ἔχων·
aurem arrige, ut audias.

Suidas et Favorinus: *ἄν' οὖς ἔχων, ἀντὶ τοῦ ἄνω τὸ οὖς ἔχων.* Est hic versiculus ex melico carmine depromptus, numeris rei accommodatissimis: quo minus assentior G. Dindorfio, aut *ἄκουε δὲ* in fine trimetri positum, aut cum Butlero *ἄκου' ἄν' οὖς ἔχων* scribendum censenti. Locutione illa usus est etiam Theognis v. 883.

μηδὲ λίην κήρυκος ἄν' οὖς ἔχε μακρὰ βοῶντος.

Hesychius: *ἀνούτατος, ἄτρωτος ἐκ χειρός. Αἰσχύλος Λυκούργῳ.* Non esset, opinor, sic interpreta-

tus grammaticus, nisi adiectum fuisset aliquid, unde appareret proprie accipiendum esse vocabulum, ut apud Homerum Iliad. XI. 659. XVI. 25.

> *βέβληται μὲν δ Τυδείδης κρατερὸς Διομήδης·*
> *οὔτασται δ' Ὀδυσεὺς δουρικλυτὸς ἠδ' Ἀγαμέμνων.*

Itaque quum idem Hesychius alibi posuerit: *ἄβλητος, ἄτρωτος ἐκ βέλους*: hoc quoque ex illo Aeschyli versu sumptum videtur, in quo scriptum fuisse puto:

> *ἄβλητος ὤν, ἀνούτατος·*
> ***non vulneratus eminus, non comminus.***

EPISTOLA AD FRANCISCVM SPITZNERVM*).

Francisco Spitznero,
viro celeberrimo
S. D.
Godofredus Hermannus.

Quum me nuper viseres, Spitznere, vir clarissime, quaerebas quid sentirem de dissertatione illa, qua de duabus Graecae linguae praepositionibus *ἀνὰ* et *κατὰ* explicasses. Non habebam tum, quod responderem, nisi illud universe, valde eam mihi placuisse. Sed promisi, ubi denuo legissem, accuratius meam sententiam ad te perscribere. Id, otium nactus, eadem qua tu lingua usus es, et publice faciendum duxi. Nam quum in fine dissertationis illius spem quidem feceris magni operis praepositionesque omnes complectentis, quod profecto nemo non cupiat a te perfici, eam spem autem rursus pene ita ademeris, ut illud negotium aliis videaris relinquere: sic existimavi, si quid a me afferretur, quod aliquam esset utilitatem habiturum, id ad eum pertinere, quicumque illius materiae tractationem susciperet.

*) Edita est in Jahnii Annalibus Supplem. vol. I. parte prima.

Atque priusquam ad rem ipsam veniam, quoniam tu quaedam praefatus es, ego quoque mihi ab his ordiendum puto. Dissentis enim a me de tmesi quam vocant, negasque disiunctam a verbo praepositionem anastrophen accentus admittere. Et mihi quidem ad praepositionem sic a verbo, ut volunt, avulsam nomen supplendum esse videbatur, videturque etiamnum. Nam quod obiicis, saepe ne inveniri quidem posse nomen, quod quis apte suppleat, ut in illo,

ἂν δ' ἄρα Μηριόνης πελέκεας δέκα πάντας ἄειρεν,

eo nihil moveor, quia aliarum quoque multarum ellipsium haec est origo, quod, si quid obscurius cogitatur, id omitti solet, quia quid sit dici non potest. Similis ratio est, qua in nominibus adiectivis saepe neutrum genus usurpatur, ut aliquid, quidquid velis, possis intelligere. Sed praepositio, sive illa pro adverbio, ut tibi videtur, est, quum est a verbo separata, sive, ut ego existimo, non additum est nomen, necessario sibi poscit anastrophen. Nam accentum propterea in ultima habent praepositiones bisyllabae, quia in pronunciando ad nomen propripitur vox, coniungendam esse praepositionem cum nomine indicans. Quod si postponitur nomini praepositio, non potest non redire qui ei proprius est accentus, qui est in prima syllaba. Idem autem fiat necesse est, si plane abest nomen. Illud vero nullo pacto possum concedere, quod p. 5. dicis, in *ἀνὰ δὲ στήτω Ὀδυσσεὺς* non tantum ponderis et gravitatis inesse adverbio, quantum inferatur inverso ordine verborum, *στήτω δ' Ὀδυσ-*
132*σεὺς ἄνα*: quae tibi Germanice sic sonare videntur: *vòr trete Odysseus*, et *Odysseus trēte vór*. Haec ego confido alios iuxta ac me ipsum omnes negaturos esse, neque illud *vor* non utroque in positu verborum *vór* pronunciaturos. Quin te quoque ipsum mihi assensurum spero, si ex iis, quae eadem pagina et sequente attulisti, ea consideraveris, in quibus praepositioni carenti nomine suo aliud nomen quicum ea construi possit subiectum est, ut *ἀνὰ τρίχας ἕλκετο χερσίν, ἀνὰ δ' ἱστία*

λευκὰ πέτασσαν, ἄχνυε δ' ἀν' οὖς ἔχων. Ea evidentissime non possunt sine anastrophe pronunciari. Nam si accentum habebunt praepositiones istae in ultima, nemo quisquam sensum illorum verborum intelliget, sed dici putabit *per crines adduxit manibus; per vela expanderunt; audi in aure habens.*

Vide vero, ne opinio illa, qua praepositio per tmesin seiuncta a verbo suo adverbium potius esse, quam carere nomine quod intelligendum sit putatur, orta sit levius considerata Germanicorum adverbiorum ratione. Nos enim inter praepositionem et illud quod merum et purum adverbium est, tres alias habemus formas, quarum una propior adverbio est, duae reliquae magis ad praepositiones inclinant. Adverbia sunt *oben*, *unten;* praepositiones *über*, *unter.* Adverbiis illis proxima sunt adverbia haec demonstrativa, *droben*, *drunten*, in quibus accedit designatio rei alicuius, ad quam referantur notiones superi et inferi. Sequuntur, quae praepositionis terminationem habent adverbia, *darüber*, *darunter*, quae sunt ex praepositione et rei ad quam referatur praepositio notatione composita; item tertium genus, in quo pro rei illius notatione spatii aliquo pertinentis significatio est adiuncta, *herauf*, *herunter; hinauf*, *hinunter.* Sunt illa profecto, si usum spectas, omnia non dubie adverbia; sin compositionem, illud genus, quod medium posui, *darüber*, *darunter*, quid tandem aliud esse dicamus, quam praepositiones coniunctas cum pronomine, quod pro re ipsa, quae ex reliqua oratione cognoscatur, sit positum? Id manifestissime apparet eo, quod etiam cum ipsis nominibus fit talis coniunctio, ut *bergan*, *bergunter; stroman*, *stromunter.* Nunc Graeci, quorum lingua non patitur praepositionem cum nominibus aut pronominibus in unum confundi, omittunt nomen, sola praepositione utentes. Sic quod Homerus dicit, ἔπι δὲ κρόμυον ποτῷ ὄψον, Germanice dicas *dazu:* Graece quid id est aliud quam ἐπὶ τούτοις? Sed illud si ἐπὶ pronunciaretur, hiaret oratio, exspectareturque nomen aut pronomen. Quo omisso gravius pronunciata praepositio

naturali accentu suo ἔπι, nihil sequuturum esse, sed intelligi debere rem aliquam ostendit, adverbium esse visa, quod Germani quum utimur adverbio, latet nos id adverbium praepositionem esse cum suo pronomine.

Venio nunc ad ipsam explicationem illarum de quibus tu scripsisti praepositionum. Atque illa quidem duo, quae ut fundamentum totius disputationis posuisti, prae-
133positionibus primitus locorum et motuum quasdam rationes indicari, illas autem duas, ἀνὰ et κατά, alteram motum ex inferiore ad superiorem aliquem locum, alteram eum qui huic contrarius est motum significare, tam et vera et plana sunt, ut non videantur ulli posse dubitationi esse obnoxia. Et profecto sapienter intellexisti, non esse singulas praepositiones separatim tractandas, sed coniungi componique debere eas, quae quodam inter se vinculo nexae cohaerent, partesque sunt unius cuiusdam communis rationis. In quo genere vehementer peccatur ab iis, qui in scholarum usum summaria grammatices scribunt. Quorum alii, aliquo illi tamen consilio usi, casuum singulorum explicationi simul praepositiones quae illis cum casibus construuntur adiecerunt, modo ne ea in re fere temere et non iusto ordine significationes enumerassent; alii autem, praepositiones separatim tractantes, sic eas ordinarunt, prouti cum uno vel duobus vel tribus casibus consociantur, illoque inepto in positu singulas secundum litterarum ordinem, ipsi quoque temere omnia permiscentes, explicare studuerunt. Rideas fortasse, Spitznere, credasque me puerilem lusum commendare, si dicam, quoniam propria vis praepositionum in locorum et motuum rationibus cernitur, optime et facillime earum naturam Graece discentibus patefactum iri, si rationes illae figuris quibusdam in tabula delineentur, quarum figurarum quaeque eas praepositiones contineat, quae inter se aliqua similitudinis vel diversitatis communitate sint coniunctae: ut illae, ἐν, ἐξ, εἰς: quas nemo tam hebes erit quin statim videat qua figura comprehendi possint sic, ut si adscribatur ἔν τῳ, ἔκ του, εἴς τι, nemini non ipso adspectu simul et significationes earum

et constructiones pateant. Et tamen sat scio, si hoc adiumento usi essent rerum illarum explanatores, multa eos et rectius perspecturos fuisse et explicaturos distinctius. Sed quaqua via incedere placeat, non est praepositionum iusta explicatio perfacile negotium, quum praesertim saepe una praepositio cum diversis casibus, atque haud raro ita construi soleat, ut neque ipsius, neque casuum propriae significationis ratio haberi, in multis autem usus, arbitrium, libido dominari videantur. Illud quidem apertum est, casuum rectionem eo niti, quod aliqua inter praepositionem et qui ei adiunctus est casum similitudo atque affinitas intercedit. Atque ut praepositiones primitus ad locorum et motuum rationes referuntur, sic etiam casuum eadem natura est. Nam et unde quid veniat, et ubi sit, et quo tendat, casibus significari genitivo, dativo, accusativo, minime est dubium: quare quae unum casum regunt praepositiones, necessitate quadam illum quem habent casum sibi vindicant, ut ἔκ του, ἔν τῳ, εἴς τι. Sed casuum vis latius patet, quumque initio ab loci et motus observatione profecta sit, postea translata est ad ipsam rerum quarum situs et motus cernimus naturam, ut, quemadmodum alibi ostendi, genitivus quam substantiam dicunt philosophi, in qua vis inest aliquid efficiendi; dativus id, in quo vel per quod aliquid efficitur; accusativus id, cuius status vi aliqua effectrice est procreatus, 134
designaret. Ex quibus casuum rationibus non potest non nova quaedam ad praepositionum usum et potestatem accedere varietas.

Quod si quaeritur qua via incedere oporteat eum, qui praepositionum tum singularum, tum earum, quae affinitatis quodam aut diversitatis vinculo cohaerent, significationes dilucide iustoque ordine et modo explicare velit: ante omnia quae prima significatio sit investigandum est: quam patet optime cognosci tum ex cognatis adverbiis, ut in iis quas tu tractasti ex ἄνω et κάτω, tum ex verbis compositis atque iis locutionibus, in quibus nuda et carens nomine praepositio invenitur. Et hac quidem in re plane consentimus, videoque illud te fecisse in his

praepositionibus egregie. Sed est etiam, in quo discedendum mihi a tua sententia esse intelligam. Diligenter enim cavendum arbitror, ne, si quae praepositiones inter se similes aut oppositae esse videantur, eam comparationem ultra persequamur, quam conveniat. Id vero tibi, ut ego existimo, accidit: qui quod ἀνὰ et κατά, si solae per se spectarentur, plane inter se contrarias esse videbas, ita tenuisti hanc comparationem, ut eam fere per totam dissertationem tuam deduxeris. Mihi quidem ad constituendam primariam et principalem potestatem praepositionum non satis videtur cognati adverbii et casu carentis praepositionis significatio, sed vel maxime etiam quos casus quaeque praepositio regat, eiusque rectionis quae ratio sit, considerandum censeo. Id enim plurimum momenti ad cognoscendas earum naturas, similitudines, diversitates habet. Sic illae ἀνὰ et κατὰ similes sunt eo, quod ambae genitivo et accusativo iunguntur; dissimiles autem, quod genitivum ἀνὰ rarissime, saepissime κατὰ adiectum habet; diversae denique eo, quod altera construitur etiam cum dativo, quem casum prorsus ab se spernit altera. Itaque etsi primo adspectu, ut ἄνω et κάτω, sic etiam ἀνὰ et κατὰ plane sibi invicem sunt oppositae, tamen sensisse oportet Graecos, id, quod dativum admitteret, inesse in altera, alteri autem deesse. Affert autem aliquando aliquid adiumenti etiam comparatio eiusdem praepositionis cum eadem praepositione servata in alia lingua. Sic ex illis duabus ἀνὰ aperte eadem est quae nostra *an*, cuius tu mentionem quidem facere non neglexisti, sed vellem tamen ea et saepius usus esses et explicatius. Nam haec nostra convenit illa quidem cum Graeca in eo, quod ad motum qui sursum fit, neque umquam, ne in metallariorum quidem, si recte aestimes, sermone, ad illum quo quid deorsum fertur, spectat: ut quum dicimus *hinan*, *bergan*: sed continet etiam, quod, obscuratum in Graeca, caussam aperit constructionis cum dativo. Nobis enim *an* vel motum, vel situm designat ad aliquam rem eum, quo ea res ab alia re tangatur. Vnde quod Homerus dicit, χρυσέῳ ἀνὰ

σκήπτρῳ, nobis est *an dem goldenen Scepter*. Eiusmodi nihil est in κατά: quare haec, ut carens illo contactus significatu, non construitur cum dativo. Vnde con- 135
iici potest, ne genitivi quidem atque accusativi prorsus eandem rationem esse, si cum κατά, quam si cum ἀνὰ coniunguntur. Cernitur autem illa Graecae et Germanicae praepositionis cognatio etiam in verbis compositis, et quidem duobus modis, uno, qualia sunt quae tu p. 7. attulisti, ἄνα δὲ κρῖ λευκὸν ἔμιξαν· ὕδατος ἄνα εἴκοσι μέτρα χεῦεν, quae nihil aliud significant, quam quod nos dicimus *daran thun;* altero, quo initium fieri indicatur, et quasi iacens quid attolli, qualia sunt ἀναβάλλεσθαι, ἀνιπεῖν, sicuti nos *anheben*, *anfangen*, *ansagen*.

Praeterea in modo, quo de illarum praepositionum usu disseruisti, id videris incommodum lectoribus fecisse, quod saepe praepositionem quidem cum nomine coniunctam attulisti, sed omisisti verbum. At id maxime necessarium est, quia omisso verbo saepe nescimus motumne an quietem an qualemcumque denique rationem significet praepositio.

His praemissis ad ea quae scripsisti me conferam, ut vel observationes aliquas iis addam, vel, si quid mihi aliter comparatum esse aut ordine alio rectius exponi videatur, deinceps afferam atque declarem.

Igitur primo p. 5. seqq. ubi verba attulisti cum ἀνὰ composita vel eam praepositionem per tmesin disiunctam habentia, ἀνέζεσθαι neque in §. 6. differendum, neque, ubi de eo disseris, p. 10. in dubitationem vocandum fuisse existimo. Non pertinet eo, quod ibi prompsisti ex Odyss. XXII, 239.

αὐτὴ δ' αἰθαλόεντος ἀνὰ μεγάροιο μέλαθρα
ἕζετ' ἀναΐξασα.

Nam ibi aperte ἀνὰ μέλαθρα ἀναΐξασα coniungenda sunt, ἕζεσθαι autem per se constat. Sed illa Apollonii dico, I, 1170.

ἄνα δ' ἕζετο σιγῇ
παπταίνων·

et IV, 1331.

αὐτὰρ Ἰήσων
παπτήνας ἂν ἄρ' ἔζετ' ἐπὶ χθονός, ὧδέ τ' ἔειπεν.

Quod tu suspicaris, ἄνα cum παπταίνων et παπτήνας coniungendum esse, ipse, opinor, missum facies, ubi locos illos attente consideraveris. In priore Hercules, remo diffracto, πέσε δόχμιος. Inde dicitur ἀνέζεσθαι. In altero humi iacuerat Iaso, sed vocibus auditis ἀνέζετο, et sic sedens dicit illa, quae eum dicentem fecit poeta. Tum totus surgit:

ἦ, καὶ ἀναΐξας ἑτάρους ἔπι μακρὸν ἄυτει.

Ex his patet, ἀνέζεσθαι dici eum, qui iacens se erigat, ut iam sedeat, nondum autem in pedes consistat.

Exponis deinde §. 5. de genitivo cum ἀνὰ iuncto, quae constructio non nisi duobus in exemplis apud Homerum, quorum in utroque est ἀνὰ νηὸς βαίνειν, sit reperta. Existimas autem poetam numerorum commodi-
136tate suadente et usu dicendi permittente ἀνὰ praetulisse usitatae in ea re praepositioni ἐπί. Id si quis concedat, in unum quadret illorum exemplorum, in quo ἂν δ' ἄρα in principio versus est; non in alterum, in quo est ὣς εἰπὼν ἀνὰ νηὸς ἔβην. Ego de his aliter sentio. Ἐπὶ νηὸς βαίνειν est *navem conscendere*, quod de quo praedicatur, is pedem in navi ponit. Respondet nostro *auf das Schiff steigen*. Id vero etiam sic fieri potest, ut quis ex altiore navi in minorem descendens ἐπ' αὐτῆς βαίνειν dicatur. Sed ἀνὰ νηὸς βαίνειν dicitur, qui ex loco depressiore in navem adscendit, ut deinde in ea consistat: quod nos dicimus *das Schiff hinan steigen*. Recte ergo et distincte loquutus est Homerus, quum eo est casu usus, quo Graeci proprie quidem unde quid moveatur, sed etiam, quoniam invertere haec amant, quo moveatur significant. Neque vero aut ἀνὰ νηΐ dicere potuit, ut πῆξαι ἀνὰ σκολόπεσσι, quod in ea constructione nulla est motus significatio, neque ἀνὰ νῆα, quo indicasset, illum per longitudinem navis incessisse. Adiecisti his locum Apollonii, qui tibi Homerum imitatus scripsisse videbatur III, 199.

ἄφαρ δ' ἀνὰ νηὸς ὑπὲρ δόνακάς τε καὶ ὕδωρ
χερσόνδ' ἐξαπέβησαν ἐπὶ θρωσμοῦ πεδίοιο.

Atque improbas, si recte percepi, eos, qui ex libris Parisinis ἄρα pro ἄνα posuerunt. At, opinor, ipse dudum animadvertisti, rectissime illos ἄρα restituisse, quia ibi de descendendo, non de adscendendo sermo est, omninoque dici non posse ἀνὰ νηὸς ἐξαποβαίνειν.

Progredior ad dativi cum ἀνὰ constructionem. In ea, ut supra dicebam, vellem attendisses ad Germanicam praepositionem, in qua praecipuum quoddam momentum servatum est ad Graecae praepositionis naturam perspiciendam: id quod mox in accusativo magis etiam patebit. Dicitur enim ἀνά, ut nostrum *an*, cum dativo sic, ut intelligatur res alii rei adhaerens eamve contingens: sed differt ille usus ab nostro, ut fere non nisi ad superiores eius rei partes, cui quid inhaeret, referatur. Hinc Homerus Iovem dormire ἀνὰ Γαργάρῳ ἄκρῳ dixit; Pindarus autem atque Euripides, qui in curru stant, ἀν' ἅπποις, ἀν' ἡμιόνοις esse: eodemque modo apud alterum horum ἀνὰ ναυσίν, apud Aeschylum ἂμ πέτραις dictum. Sed tamen propius etiam ad nostrae linguae usum accedit illud, quod p. 6. tetigisti,

ἀνά τ' ἀλλήλῃσιν ἔχονται·

quod dicimus *sie hangen an einander*. Sic enim continua serie volitare vespertiliones observatum est in iis locis, in quibus magna eorum invenitur multitudo, docetque id sibi cognitum esse Homerus illo loco comparatione similiter incedentium animarum.

Quoniam, quod inhaeret alii rei, cum eo etiam res illa coniuncta est, poetae sibi indulsisse videntur, ut inverterent usum praepositionis, et ἀνά τινι esse dicerent etiam id, cui quid inhaeret: quod non magis mirum est, quam ἐν στέμμασιν esse dici, cuius in capite imposita est corona. Hinc est, quod grammatici Doriensibus ἀνὰ 137
idem quod σὺν esse perhibent. Sic ego interpretandum arbitror illud, quod p. 8. ex Iphigenia in Aulide affers:

ἀνὰ δ' ἐλάταισι στεφανώδει τε χλόᾳ
Θίασος ἔμολεν ἱπποβότας.

Quid quod nos illud eodem modo: *an Fichtenstämmen kamen die Centauren.* Neque enim assentior tibi *ἀνὰ* ad *ἔμολον* referenti, quod etsi non repugnat illius loci rationi, tamen non debebas tueri illis in Hecuba verbis:

ἀνὰ δὲ κέλαδος ἔμολε πόλιν.

Nam ibi *ἀνὰ* nullo pacto cum *ἔμολε* coniungi potest, sed constructum est cum *πόλιν.* Alioqui strepitus non per urbem, sed ad urbem iisse diceretur.

In accusativi cum *ἀνὰ* copulatione, de qua et copiosissime et diligentissime exposuisti, credo ego te, si ad dativi rationem animum attendisses, temperaturum tibi fuisse a comparatione oppositarum praepositionum ultra terminum extendenda. Video enim te illa similitudine adductum esse, ut quum alibi, tum p. 11. *ἀνὰ* quoque, ut *κατά*, cum accusativo motum qui ultro citroque fit significare statueres. Id ego prorsus nego, tum usu scriptorum admonitus, tum ipsius adductus natura praepositionis.

Nam quum quod in *ἀνὰ* inest *sursum* illud, ut ex dativi admissione et comparatione Germanicae praepositionis cognoscitur, casu adiuncto ad contactum rei referatur: consequens est, primam significationem esse, accusativo accedente, *sursum ad aliquid;* quod nos dicimus *an etwas hinan*: ut *κίον' ἀν' ὑψηλὴν ἐρύσαι.* Potest autem aliquid vel recta sursum attolli, ut hoc ipso in exemplo, vel per acclive, ut quum dicitur *ἀνὰ τὸν ποταμόν*, quod nos *stroman*, vel etiam per quamvis longitudinem, quae ante oculos protenta quasi paullatim adsurgere videtur: unde *ἀμ πέλαγος, ἀμ πεδίον*, et plurima alia. Quorum tu quum in quibusdam, comparato *κατὰ* permotus, commeatum qui ultro citroque fieret indicari existimasti, tribuisse videris huic praepositioni quod neque inest in ea nec potest inesse: fateorque ego ingenue, in omnibus illis exemplis, quorum illud, quod p. 13. v. 6. ex Iliad. XXI. allatum est, non v. 37.

sed v. 137. legitur, nullum mihi eiusmodi esse videri, eo ut sententia tua comprobetur: immo nihil ego in iis aliud invenio, quam quod Germanice *längs*, *entlang* dicimus, quibus vocabulis etsi non ubique nobis uti licet, ubi Graeci *ἀνὰ* usurpant, notio tamen manet eadem, a qua exclusa est ultro citroque cursio. Vt in illo,

ἔβα καὶ ταῦρος ἀν' ὕλαν,

quod scholiastes, cuius ipse verba apposuisti, *ἐπὶ τῶν μὴ ἀναστρεφόντων* dici testatur. Afferam pauca illorum, de quibus similiter statuis. Commemoras p. 12.

κήρυκες δ' ἀνὰ ἄστυ Διὶ φίλοι ἀγγελλόντων,

id *sursum deorsum per urbem* significare putans; item,

πτωχεύω δ' ἀνὰ δῆμον, 138
νοῦσον ἀνὰ στρατὸν ὦρσε κακήν,
πολλαὶ γὰρ ἀνὰ στρατόν εἰσι κέλευθοι,

et multa alia. Quid his similius, quam illa, quae attulisti p. 29.

Τηλεμάχῳ δ' εἰκυῖα κατὰ πτόλιν ᾤχετο πάντῃ·
ὃς κατὰ ἄστυ
πτωχεύεσκ' Ἰθάκης·

et Iliad. II, 779.

φοίτων ἔνθα καὶ ἔνθα κατὰ στρατόν.

Vides vero in hoc postremo *ἔνθα καὶ ἔνθα*, in primo *πάντῃ* additum. Nimirum valde haec diversa sunt: qui *ἀνὰ ἄστυ* eunt, recta tendere per urbem dicuntur; qui *κατὰ ἄστυ*, ultro citroque. Mendicus *ἀνὰ ἄστυ* mendicans ordine ad singulas aedes accedit; *κατὰ ἄστυ* autem hic illic vagus alias adit fores, alias praeterit. Morbus *ἀνὰ στρατὸν* grassans corripit primos, tum deinceps contagio proximos semper afficit: sed *κατὰ στρατὸν* qui cursitant, huc illuc feruntur. Ipse exemplum in primis luculentum attulisti p. 13.

Θέστυλι, ταὶ κύνες ἄμμιν ἀνὰ πτόλιν ὠρύονται,

quod accurata observatione veri dictum. Nam uno cane latrante proximi vicini canis et sic deinceps omnes in omnibus aedibus per totam plateam excitantur. Eodem modo illud, quod supra afferebam, recte dixit Euripides,

ἀνὰ δὲ κέλαδος ἔμολε πόλιν,

statim ille subiiciens,

κέλευσμα δ' ἦν κατ' ἄστυ Τροίας τόδε.

Nam hoste noctu irrumpente clamor a proximis sublatus deinceps per totam urbem est perpetuatus: sed hostes iam non ordine et iugi tenore se invicem ad caedem adhortabantur, verum huc illuc ruentes aliis atque aliis in locis sibi acclamabant. Si permutasset his in versibus praepositiones illas Euripides, utroque in versu inepte esset loquutus.

Haec si recte dixi, removeri ab *ἀνὰ* debebit illa motus ultro citroque euntis significatio, solusque relinqui is motus, qui coepto semel tenore protenditur. Itaque ne illud quidem opus est, quod dicis p. 13. interdum *ἀνὰ apud* significare, ut in illo:

ἀλλ' αὔτως ἀλάλημαι ἀν' εὐρυπυλὲς Ἄϊδος δῶ.

Nam hoc quoque recte dixeris Germanice *längs*. Eo etiam alia pertinent, quae tibi visa sunt aliter explicanda esse: ut *ἀνὰ μέσον*, quod proprie est, ut nos loquimur, *in der Mitte hin*, et quod p. 14. affers, *ἀνὰ χεῖρα σκαιήν*, nobis *an der linken Hand hin*. Eodemque modo

στησόμεθ' ἀμ πύργους,

auf der Mauer hin. Vnde, ubi aliquid expers motus per *ἀνὰ* cum accusativo describitur, porrectum cogitari videtur. Quare Euripidis illud,

τίν' ἀνὰ χέρα δόμους ἔβα Λοξίου,

139in quo p. 15. merito notasti levitatem eius, qui praepositionum quoque doctrinae tenebras pro luce affudit, ego quidem non de sublato manibus puero, sed de porrecto in ulnis dictum credo.

Eadem ratio cernitur in usu praepositionis ad tempus translato: unde *ἀνὰ τὸν πόλεμον* fieri dicuntur, quae nobis *den Krieg hindurch* i. e. quae simul cum belli tractu fiunt: quod contra quae *κατὰ τὸν πόλεμον* accidunt, non continua intelliguntur, sed aliquando aut saepius, dum bellum est, gesta. Sic *ἀνὰ νύκτα* est *per noctis spatium*, i. e. quamdiu nox est. Haec mihi non videris distinxisse §. 19. quoniam convenire in plerisque *ἀνὰ* et *κατὰ* existimabas.

Indidem explicanda praepositio in numerando, ut *ἀνὰ πᾶν ἔτος*, quod est *continua serie annorum*: et paullo aliter, quum *ἀνὰ πεντήκοντα* dicitur, quod modo de quinquagenis una serie comprehensis, modo de serie usque ad quinquaginta producta, quod nos *an funfzig*, est accipiendum. Eodem pertinet *ἀνὰ κράτος*, et quae huic similia sunt, *quousque robur sufficit.*

Transeundum est denique ad derivatum illum praepositionis usum, quo *contra*, *retrorsum*, *rursum* significatur. Is aperte ex ea observatione ortus est, qua omnia videmus pondere suo deorsum ferri: quorum dura duris illisa sursum repelluntur, aqua fluminum autem mole obiecta aut vento obnitente contra naturalem cursum retruditur atque in se ipsa assurgit. Vnde quum *ἀνὰ ῥόον* ferri dicerentur, quae adverso flumine protruduntur: aqua ipsa si in se remeare cogeretur, perinde erat, sursum eam an retro cedere dicerent. Porro quam propinqua sint *retro* et *rursum*, non eget explicatione. Ad hanc vero rationem ego quidem illa retulerim, quae tu p. 7. alio modo explicas, *ἀναλύειν*, *ἀνανεύειν*, Aratique *ἀναχελεύειν*. Maxime autem a te dissentio de Theocriti versu, quem p. 6. tractasti. Eo in versu mea quidem sententia neque *βαρὺν δ' ἄνα θυμὸν ἔχοισα* significare potest *attollens animum*, quae plane insolita locutio est, neque legi *λάθρια*, quod necessario erat *ἁδέα* scribendum: sed poeta quum scripsit,

ἁδέα μὲν γελάοισα, βαρὺν δ' ἄνα θυμὸν ἔχοισα,

hoc dixit: *dulce quidem ridens*, *sed gravem iram*

reprimens. Non posse alium huius loci sensum esse, res ipsa atque omnis ratio illius carminis ostendit.

Venio nunc ad κατά. Eam praepositionem proprie *deorsum* significare ita est a te demonstratum, ut non sit quisquam refragaturus. Sed vereor ne abusus sis eo significatu, quum inde illud Homeri Odyss. X, 113.

κάτα δ' ἔστυγον αὐτὴν

explicandum putasti, quod est *perhorruerunt*, aliaque permulta, in quibus comburendi, confringendi, obtinendi, comprehendendi, perficiendi notiones insunt. Nam etsi illud concedendum est, quaecumque sint praepositionis
140alicuius significationes, eas cohaerere cum ea quae prima est, ex eaque esse derivatas: tamen ea ratio varia est et multiplex, nec talis, ut in derivatis non possit ac saepe debeat longe aliud quid cogitari, quam in fonte unde illa sunt derivata. Quod nisi in animum induxisses comparari per omnia posse ἀνὰ et κατά, ipsi tibi, opinor, coactae et tortae visae essent illae explicationes. Si verum est, quod supra dicebam, quum ἀνὰ *sursum*, κατὰ *deorsum* significent, aliter tamen illud *sursum*, aliter hoc *deorsum* animo informari: videndum est, quo illa modo inter se differant. Et ἀνὰ quidem casu aliquo adiuncto ad contactum referri supra est observatum, qui distincte in Germanica praepositione expressus, etiam Graecorum in usu cernitur. Non est id in κατά, quae dativum ab se segregat, cum genitivo autem coniuncta aut *de aliquo* aut *versus aliquid*, et cum accusativo *per aliquid* et *in aliquid* ferri significat. Illud *per* quoniam proprie est *ab summo ad imum*, propterea multis in verbis compositis κατὰ significat *penitus*, ut καταχαλύπτειν, κατέχειν, καταρρῆσαι, καταγνύναι, καταλέσσαι, κατακτείνειν, καταθνήσκειν: eoque pertinet etiam illud,

κάτα δ' ἡνία τεῖνεν ὀπίσσω,

et pleraque, quae tu, Spitznere, p. 18. 19. 20. aliter censebas explicanda esse. Porro quod ab summo ad imum in aliqua re cernitur, id per eam rem ubique dis-

persum videtur: eoque factum est ut κατὰ cum accusativo, si de motu diceretur, huc illuc aliquid moveri significaret; sin de quieto statu, locum incertum ac mutabilem cogitari iuberet: ut quum quis κατ' οἶκον esse dicitur. Hinc illa multa apud epicos, quum quis feriri κατὰ στῆθος, κατὰ μηρόν, κατ' ἀσπίδα dicitur, i. e. in parte aliqua pectoris, femoris, scuti. Id vero quum sit idem ac si dicas *qua parte pectus est*, apparet qui factum sit, ut κατὰ cum accusativo etiam *e regione* significaret. Id quo minus dubium videatur, memineris, quaeso, Livium id sine praepositione *regione* dicere, quod plane cum κατὰ convenit. Denique quoniam κατὰ *per* est, si id cui addita est praepositio ipsum movetur, ut κατὰ ῥόον, communis is motus est etiam ei rei, quae per illud versatur. Sic nata est illa significatio, quae est *secundum*, quae translata ad ea, quae aliquam similitudinem haberent, ut κατ' αἶσαν, κατὰ χρέος, κατὰ ζήτησιν, patuit latissime, praesertim quum consociata esse videatur cum illo quem modo dicebam significatu, *regione*: in quo quoniam collocatio talis, qualis pro situ alius rei esse debeat, ideoque quasi proportio quaedam adsignificatur, dicta sunt etiam κατὰ μοῖραν, κατὰ κόσμον, κατὰ κράτος, κατ' ἄνθρωπον, κατὰ γνώμην, aliaque innumerabilia. Haec omnia quum tu summatim, sed alio modo explicabas, attulisti p. 19. Moschi verba IV, 48. οὐ γάρ σφε δόμον κατὰ τοῖχος ἐέργει. Ea vero corrupta esse ego arbitror, tum quod nihil magis absurdum dicere illo loco poeta potuit, tum quod, si ita 141
scripsisset, usus Graecorum non καὶ λίην γε, sed ἀλλὰ λίην γε inferri postulasset. Non dubitandum puto, quin scripserit:

τοίγαρ σφε δόμον κάτα τοῖχος ἐέργει.

Progredior ad genitivum, de cuius constructione cum κατὰ docte atque accurate exposuisti: sed pauca tamen sunt, de quibus mihi alia stat sententia. Quod p. 23. scripsisti, neminem te dissensurum credere, si contendas Minervam caesi Patrocli totum corpus inde a naribus ambrosia et nectare perfudisse dici his versibus Iliad. XIX, 38.

Πατρόκλῳ δ' αὖτ' ἀμβροσίην καὶ νέκταρ ἐρυθρὸν
στάξε κατὰ ῥινῶν, ἵνα οἱ χρὼς ἔμπεδος εἴη,

vereor ne te frustrata sit spes tua, etiam si illud fortasse defensum ire velis his Quinti Calabri III, 533.

στάζε δ' ἄρ' ἀμβροσίην κατὰ κράατος, ἣν ἄρα φασὶν
δηρὸν ἐρυκακέειν νεαρὸν χρόα κηρὶ δαμέντων.

Mihi quidem certe, nec dubito quin etiam aliis, prorsus incredibile videtur, si illud dicere voluisset Homerus, nares eum, non caput nominasse. Praeterea quomodo de toto corpore, nisi id diserte dicatur, cogitari potest in iacente mortuo, cuius si naribus affundetur ambrosia, utrimque per genas et mentum illa, non ad pedes defluet? Tale quid non commisisset poeta accuratissimus. Immo certissimum est, infudisse Minervam naribus illa condimenta. Neque enim latebat Homerum, opinor, per nares et extractum esse ab Aegyptiis cerebrum et instillata medicamina, quibus corpus adversus putredinem firmaretur. Quin etiam si ignotum id ei fuisset, illud non ignorabat, olfactu rei acriter olentis refici vires et redire animam exanimatis.

Eadem pagina et sequente tractasti illa Apollonii IV, 145.

τοῖο δ' ἑλισσομένοιο κατόμματον εἴσατο κούρη
ὕπνον ἀοσσητῆρα Θεῶν ὕπατον καλέουσα
ἡδείῃ ἐνοπῇ θέλξαι τέρας.

Qui locus mihi quidem sic rectissime scriptus videtur. Nam et *κατόμματος ὕπνος* recte est eaque ipsa potestate dictus, qua tu *κατ' ὄσσων* scribendum censes, neque praeterea quidquam in verbis aut perversi aut obscuri invenitur. Hoc dicit: *visum est Medeae, sopire draconem advocando potente adiutore, oculos occupante somno.*

P. 25. in numero versus Theognidei 1279. erratum esse oportet. Ibidem quod eximis Quintum, quasi is novum introduxerit usum, *κατὰ* cum genitivo ad quiescen-

tia referens, id ego non concedam. Nam κεῖσθαι κατὰ χθονός, et quidquid huiusmodi afferri potest, usitata Graecis ratione sic dicitur, ut sit *iacere deiectum in terram.* Quid enim? num εἰς οἶκον εἶναι quum dicitur, aut quum nos *in das Haus seyn*, id motus significatione carere censebimus? De Homeri quidem versu 142
Odyss. IX, 330. poterat non nihil dubitari:

ἦ ῥα κατὰ σπείους κέχυτο μεγάλ' ἴλιθα πολλή.

Neque enim deterius esset κατὰ σπεῖος, si de fimo per omne solum aequaliter sparso esset cogitandum: at non hoc, sed aggestam ad parietes fimi copiam intelligendam esse eo monemur, quod fustem sub fimo occultare volebat Vlixes, cui consilio ille locus solus erat aptus. Quinti autem illud V, 100. de Oceano, quod affers:

οὔνεκ' ἔην ἔκτοσθε κατ' ἄντυγος,

sic accipiendum arbitror, ut inclinari in convexo scuto Oceanus in oram dicatur. Nam ἔκτοσθε non ad κατ' ἄντυγος spectat, sed referendum est ad πάντα, quod praecessit in his:

πάντα δ' ἄρ' ἐστεφάνωτο βαθὺς ῥόος Ὠκεανοῖο.

Non erat autem omnino commemorandum illud in eodem Quinti libro versu 123.

νῦν μὲν δὴ καὶ ἀγῶνος ἀέθλια πάντα τελέσθη,

quod est ἀγῶνος ἀέθλια κατετελέσθη. Illud vero, κατὰ γαστρὸς ἔχειν, sic dictum puto, ut susceptum κατὰ γαστρὸς fetum cogitari oporteat. Et convenit, quod de apibus ex Nicandro affers. Sed duos Quinti locos, quos p. 26. commemoras, in altero κατὰ per tmesin a βαίνων disseptum putans, alterius dictionem condonandam censens illi poetae, eos locos ego corruptos ac plane monstruosos esse existimo. In priore enim, V, 343., quod de aquila Promethei dicitur, κατὰ νηδύος ἐνδόθι βαίνων, aeque foedum atque ineptum est. Quam immani enim magnitudine, praesertim quum aquilam quoque magnam vocet poeta, Prometheum fingere debebimus.

Non ego tam absurdum commentum imputem Quinto, sed, si quid video, scripserat ille:

ὅτε οἱ μέγας αἰετὸς ἦπαρ
κεῖρεν ἀεξόμενον κατὰ νηδύος, ἐγγύθι βαίνων.

Magis etiam depravatus est alter locus, III, 536. ubi quum Minervam dixisset mortui Achillis caput, ne corpus putresceret, ambrosia perfudisse, addidissetque,

θῆκε δ' ἄρ' ἑρσήεντα καὶ εἴκελον ἀμπνείοντι,

sic pergit:

σμερδαλέον δ' ἄρα τεῦξεν ἐπισκύνιον περὶ νεκρῷ,
οἷον ὅτ' ἀμφ' ἑτάροιο δαϊκταμένου Πατρόκλοιο
χωομένου ἐπέκειτο κατὰ βλοσυροῖο προσώπου.

Quae haec, obsecro, oratio est? quae autem sententia, Minervam terribile supercilium circa mortuum fecisse? Turpiter haec corrupta esse quum per se pateat, tum fons ostendit, ex quo sua hausit Quintus. Nam in carmine, quod inter Theocritea est XXIV de Autolyco pugile v. 116. scriptum est:

τοῖον ἐπισκύνιον βλοσυρῷ ἐπέκειτο προσώπῳ.

Iam tu, Spitznere, qui omnium optime scis, quam lace-
143rum et male habitum ad nos pervenerit Quinti poema, facile, spero, mihi assentiere, si et ultimum illorum versuum ab imperito correctore male expletum, et in primo νεκρῷ ex interpretatione superscripta, pulsa alia voce, vel mutilo versu invento, receptum statuam. Aut scripsit Quintus aut scribere debuit:

σμερδαλέον δ' ἄρ' ἄτυξεν ἐπισκύνιον πέρι πάντας,
οἷον ὅτ' ἀμφ' ἑτάροιο δαϊκταμένου Πατρόκλοιο
δεινὸν χωομένου βλοσυρῷ ἐπέκειτο προσώπῳ.

De accusativi cum κατὰ constructione quoniam supra quid mihi videretur exposui, non opus est ut persequar quae tu ea de re disputasti. Ipse enim intelliges, me quidem iudice et *deorsum* illud, quod in multis invenire tibi visus es, argutius quaesitum esse, et ἀνὰ neque per omnia cum κατὰ comparari posse, neque, quod

tibi placet, saepe idem cum *κατὰ* significare, et denique, quod ex his omnibus sequitur, ordinem significationum me probare alium. Quocirca pauca tantum attingam. P. 27. hoc Quinti IV, 254. *κατὰ χθονὸς οὖδας ἐρείδων* interpretaris *ad terram eum affligens.* Id vereor ut recte dixeris. Describens ille luctam Aiacis et Diomedis sic loquitur:

τὸν δ' Αἴας καθύπερθεν ἐπεσσύμενον ποτὶ γαῖαν
ἐξ ὤμων ἐτίνασσε, κατὰ χθονὸς οὖδας ἐρείδων.

At non prostravit Aiax Diomedem, ut ex iis patet, quae sequuntur. Quod si sic scripsit Quintus, *κατὰ* non est cum *οὖδας* construendum, sed dixit *οὖδας ἐρείδων*, ***premens solum***, idque *κατὰ χθονός*, ***contra terram nixus.*** Vide vero an scripserit, *κατὰ χθονὸς οὖδας ἐρείδειν*, ***quo ille humi deiectus solum premeret.*** Nam sic quoque *κατὰ χθονὸς* iungenda puto. Deinde §. 15., ubi *ἀνὰ* et *κατὰ* eodem significatu esse censes, quod p. 29. ais, ubi *κατὰ* et *ἀνὰ* duplicentur, orationi vel copiam vel perspicuitatem afferri, de copia concedo: concedam etiam de perspicuitate, si mecum differre potestates harum praepositionum statueris. Affers haec:

τίς δ' οὗτος κατὰ νῆας ἀνὰ στρατὸν ἔρχεαι οἷος;
Κύρνε, καθ' Ἑλλάδα γῆν στρωφώμενος ἠδ' ἀνὰ νήσους.

Quae si sic dicta sunt, ut *ἀνὰ* recta pergentem denotet, *κατὰ* autem id non adsignificet, tum distincte illi loqui videbuntur. Neque vero *ἀνὰ θυμὸν* et *κατὰ θυμὸν* eadem sunt. Nam *ἀνὰ θυμὸν* de studio dici videtur, quod quasi surgat in animo; *κατὰ θυμὸν* autem cum iis fere verbis coniungi videmus, quae cogitationem, deliberationem, curam, sollicitudinem significant, ideoque huc illuc versari aliquid animo ostendunt. Quamquam cavendum in hoc genere ab nimis exili subtilitate. Nam ut non ubique, ubi *κατὰ* recte usurpatur, etiam *ἀνὰ* aptum sit, at saepe ubi *κατὰ* dicitur, patet etiam *ἀνὰ* ferri posse, dummodo suum utrique praepositioni ius salvum maneat.

Sed ut supra *ἀνὰ* negavi *apud* significare, ita nego etiam, quod tibi p. 30. placet, eo sensu dictum esse Odyss. XI, 571.

144 *ἥμενοι ἑσταότες τε καὶ εὐρυπυλὲς Ἄϊδος δῶ,*

quod est *in domo Orci.* Non debebat his adiungi Odyss. XVI, 159.

στῆ δὲ κατ' ἀντίθυρον κλισίης Ὀδυσῆϊ φανεῖσα,

neque Iliad. XII, 340.

καὶ πυλέων· πάσας γὰρ ἐπῴχατο· τοὶ δὲ κατ' αὐτὰς
ἱστάμενοι πειρῶντο βίῃ ῥήξαντες ἐξελθεῖν·

in quibus *κατὰ* potius est *e regione, contra,* ut quod illa pagina ima commemorasti *κατ' ὄσσε ἰδών.* Theocriti quod affers ex I, 30. pertineatne huc an aliter sit intelligendum, in ambiguo relinquam. Certe autem diversum est quod prompsisti ex eiusdem II, 166.

ἀστέρες εὐκήλοιο καθ' ἅντυγα νυκτὸς ὀπαδοί,

quod est *per orbem noctis dispersae stellae.* Potuerat vero commemorari *δεξιτερὴν κατὰ χεῖρα,* cuius mentionem alio loco, p. 32. fecisti. Denique quod tetigisti p. 34. ex Iliad. XIV, 180.

χρυσείῃς δ' ἐνετῆσι κατὰ στῆθος περονᾶτο,

eo indicatur *in pectore,* i. e. in aliqua parte pectoris peplum fibulis esse constrictum.

Sed satis. Vides quae mihi dissertationem tuam legenti subnatae sint dubitationes. In quibus si quid veri inesse tibi videbitur, non poenitebit me haec scripsisse. Non mirum est autem, alios in hoc genere aliam viam inire. Nam vix quidquam tam lubricum est in syntaxi linguarum, quam hi loci, qui sunt de praepositionibus et de coniunctionibus. De quibus disputari recte non potest, nisi et ingenti copia exemplorum congesta et subtili instituta pervestigatione similitudinum ac diversitatum. Et huius quidem pervestigationis tum labor, tum difficultas eo solent magis crescere, quo maior illa exemplorum est

multitudo ac varietas. Quare vehementer laudo, quod et apparatum instruxisti amplissimum, et in eo ordinando eximiam adhibuisti diligentiam atque sollertiam. Quod si, ut mihi visus es, paullo plus tribuisti quam fortasse debebas illi duarum praepositionum comparationi, intelligo fuisse quae te maximopere ad eam rationem invitarent, quae, etiamsi minus late, ut ego existimo, patet, tamen est verissima. Adducimur autem facillime, si quid saepe et multis in rebus verum esse videmus, ut ei adhaereamus tenacius, nec mittere, etiam ubi mittendum sit, velimus. Quapropter ego et ipse optimum factu atque utilissimum deprehendi, et commendare soleo aliis, ut quis linguarum rationem usu multaque lectione, sicuti vernaculam linguam discimus, cognoscere studeat, postquam autem eo pervenerit, ut obscuro quodam, sed satis certo sensu vera a falsis distinguere sciat, tum demum in fontem et caussas eius sensus inquirat. Sic et citius et certius, quam deficiente vel non exculto illo sensu, pervenitur quo volumus, viaque et planiore et amoeniore. Vale. D. Lips. d. XXIII. Octbr. a. MDCCCXXXI.

3DE INTERPOLATIONIBVS HOMERI DISSERTATIO *).

Gregor. Guil. Nitzschius, vir ingenio doctrinaque excellentissimus, qui novo post Fr. A. Wolfium studio omnem operam ad explicandam Homeri poematum rationem contulit, in Meletematis de historia Homeri p. 112. suam de illis carminibus sententiam his verbis est professus. *Ergo, ut dicam quod mihi nunc maxime probatur, Homerum interpretor eum, qui ex variis antiquiorum carminibus, quae de rebus Troianis fuerint minora, multum profecerit, et qui Iliadem, quae antea de sola Iovis βουλῇ fuisset, conformaverit in hanc quam legimus de ira Achillis, primum Graecis gravi, deinde in ipsum vertente; donec, Priami maxime admonitione, in temperantiam humanaeque sortis conscientiam vocatur. In hoc carmine plurima ex antiquioribus retenta suspicor: Odysseam vero ab eodem fortasse poeta simili quidem antiquiorum usu, sed tamen ita compositam, ut non solum hanc operis descriptionem primus invenerit, sed etiam singula ipse exornaverit pleraque omnia.* Hanc ille sententiam, quam patet multis esse nec levibus dubitationibus obnoxiam, docte atque acute defendit in praefatione secundi adnotationum

*) Edita est m. Mart. a. 1832.

ad Odysseam voluminis: quique de inventione Odysseae similiter iudicaverat, Aristoteles, eius verba enucleatissime tractavit in dissertatione, quam scripsit de Aristotele contra Wolfianos. Fuerunt enim qui ex illo Aristotelis loco, qui est in cap. 8. de arte poetica, demonstrare conarentur, inveniri hodie quaedam in Odyssea, quae non legisset Aristoteles. Et hi quidem, nisi fallor, faciliore opera etiam efficacius potuerant refutari. Nam quum ita scriptum legatur: *Ὀδύσσειαν γὰρ ποιῶν οὐκ ἐποίησεν ἅπαντα ὅσα αὐτῷ συνέβη, οἷον πληγῆναι μὲν ἐν τῷ Παρνασσῷ, μανῆναι δὲ προσποιήσασθαι ἐν τῷ ἀγερμῷ, ὧν οὐδὲν θατέρου γενομένου ἀναγκαῖον ἦν ἢ εἰκὸς θάτερον γενέσθαι· ἀλλὰ περὶ μίαν πρᾶξιν, οἵαν λέγομεν, τὴν Ὀδύσσειαν συνέστησεν*: non interpretando, ut ego quidem existimo, curandum erat ut apta prodiret sententia,4 sed emendando removeri debebat vitium, cui ne illae quidem copiae medelam habent, quibus edendis nuper Academia Regia Borussica eximie de summo scriptore est merita. Pravam enim orationem esse arguunt *μὲν* et *δὲ* particulae pro una *καὶ* dictae, quibus sic demum recte usus esset scriptor, si partes quae inter se opponuntur aliquid commune haberent, ut *ἃ συνέβη μὲν αὐτῷ ἐν τῷ Παρνασσῷ, συνέβη δὲ ἐν τῷ ἀγερμῷ*. Nunc quum ita non scripserit, ipsae quibus usus est particulae sic eum scripsisse monstrant: *οὐκ ἐποίησεν ἅπαντα ὅσα αὐτῷ συνέβη, οἷον πληγῆναι μὲν ἐν τῷ Παρνασσῷ, μανῆναι δὲ προσποιήσασθαι ἐν τῷ ἀγερμῷ οὗ*. Verum etsi hac emendatione planissime confirmatur Nitzschii de Aristotelis mente sententia, eripiturque iis quos reprehendit hoc quod se invenisse putabant interpolationis exemplum: non tamen idcirco statim sic ei assentiar, ut non etiam Wolfianos quoque habere quo se defendant existimem.

Verissime profecto Aristoteles et unum esse debere factum, in cuius explicatione carmen epicum versaretur, et quale factum esset quod unum dici posset ostendit. Ad id illustrandum exemplo usus est aptissimo, quia apertissimum est, Odyssea: obiter tetigit Iliadem, satis

habens dicere ὁμοίως δὲ καὶ τὴν Ἰλιάδα: de illa enim magis ambiguum est iudicium. Similiter Nitzschius Odysseam, quod in ea omnia optime cohaerere videntur, totam ab ipso poeta sic, ut nunc est, designatam atque descriptam esse iudicavit, paucis partibus exceptis, quas ipse et concedit interpositas esse, et interpolationes monstravit. Ac tanta ille arte tamque admirabili acumine de inventione Odysseae in principio secundi adnotationum voluminis disputavit, ut lectorem vel invitum ad suam possit sententiam pertrahere. Sed tamen si quis ea constantia erit, ut animum ab improvida assensione cohibeat, is non inepte, ut ego arbitror, hoc opponet, quod Nitzschius quoque ab opinione videatur et coniectura proficisci. Id in primis conspicuum est in eo, quod p. 43. dicit, primam partem Odysseae, quae de absente Vlixe sit, totam ex earum rerum narratione pendere, quae ad revertentem et procorum temeritates vindicantem pertinerent. Quippe licet rem invertere, primamque Odysseae designationem in solo ponere reditu Vlixis et interfectione procorum. Idque fecit Aristoteles capite 17. Postulat Nitzschius in praefatione illa quam dixi, ut, qui perparva duo Homeri poemata paullatim ab aliis poetis ab hanc Iliadis atque Odysseae magnitudinem aucta esse putet, ostendat quomodo comparata illa duo parva carmina fuerint. Quid igitur, si quis coniiciat, primum auctorem Odysseae sic, ut ipsum poematis exordium indicare videtur, Vlixem statim ab insula illa, in qua eum Calypso retinebat, recta Ithacam deduxisse, ibique mendici habitu, quum forte propositum esset illud certamen, cuius victor Penelopam uxorem acciperet, arcu suo procos perimentem fecisse? Crediderim ego quidem, caetera, quae nunc, quo illa fierent, aptissime inventa videntur, non minus, si illa prius exstabant, ita ut nunc sunt fingi debuisse, ut congruerent cum illis, neque repugnarent. Et si quis neget Telemachi iter ad Nestorem et Menelaum fuisse in antiquissima Odyssea, an non licebit ei id aperte testatum contendere primi libri usque ad v. 87. et quinti exordiis? Aut si quis censeat, quae

in quarto libro v. 613—619. leguntur, postquam contra quam ratio et consuetudo antiquorum epicorum ferat interrupta sit narratio, inepte repeti libri XV. v. 113—119. an ille non dicat illic sequi omissam in quarto libro reliquam partem narrationis? Haec et similia qui consideraverit, aliquid sibi, credo, scrupuli relictum fatebitur, dubitabitque an ille rerum ordo qui nunc est iis debeatur, qui quod diversa ac fortasse etiam diversorum poetarum carmina in unum corpus vellent coniungere, ea non potuerint non ita connectere, ut aliquam rerum aptam perpetuitatem et cohaerentiam consectarentur. Quod Vlixis res componentibus non erat perdifficile, quum eae res fere et circa duos tantum homines versarentur, et in iis hominibus primo separatis, deinde coniunctis, sese alia aliam temporum ordine exciperent. Id enim percommodum accidere debebat, quod, quae coniungenda essent, etiamsi aliquid eorum ab aliis esset poetis aliter narratum, tamen, si deinceps aliud post aliud collocaretur, facile poterant in consensum et conspirationem adduci. Haec quum considero, vereor ne, qui illam totius operis designationem in Odyssea laudibus extollunt, in poetam conferant id, quod vel casu vel necessitate ita ferente ab ipsa rerum tractatarum natura erat repetendum, praesertim quum etiam aliquanto post, arte longe magis exculta, poetae tragici, qui ante oculos habebant illam Odysseam, multo brevioribus in poematis, iisque cum ipsa factorum actione et repraesentatione coniunctis, quid unum esset factum saepenumero non perspexisse reperiantur. Quare licebit opinioni opinionem opponere. Nam quid6 aliud quam opinionem esse dicamus, talem statim ab initio, qualem hodie habemus, descriptam esse Odysseam, quia commode omnia procedere atque ad unum certum finem tendere videantur? Quae coniunctio partium si et potuit et debuit eadem aut simillima evadere, etiamsi non cogitavit de ea primus auctor, non deteriorem videri necesse est contrariam opinionem, meliorem autem et veriorem haberi, si in ipso poemate quae eam confirment documenta, qualia quaedam indicavimus, reperiantur. At-

que ipse concedit Nitzschius, inveniri in nonnullis partibus Odysseae, quae ab aliis addita sint aut mutata: ipsaque illa mira brevitas, qua bellum cum Ciconibus gestum commemoratur, monet ut alia quoque prius multo concisius tractata esse coniiciamus, quae nunc uberrime sunt et copiosissime explicata.

Multo intricatior fit haec disputatio, si ad Iliadem animum convertimus. Nam si quis de industria quaerere materiam velit, quae poetae epico tractatu sit difficillima, vix credo eum inventurum esse accommodatius illi consilio argumentum, quam quod in ipso Iliadis exordio consignavit poeta, quum se iram Achillis Graecis perniciosam cantaturum est professus. Ita enim hoc comparatum est, ut viri primas partes habentis virtus nihil agendo debeat illustrari. Fatetur Nitzschius ipse, saepe sibi visum esse, pristinam Iliadem in solo illo Iovis consilio preces Thetidis implendi constitisse: sed quoniam optima quaeque atque dignissima Homero tribuere mavult, argumentum Iliadis ita determinat, ut irae tempus usque ad postremos eius effectus describatur. Non urgebo hoc, quod quid Homeri sit ex eo aestimat quod optimum sit atque dignissimum: etsi id patet pro arbitrio magis et opinione quadam, quam ex ipsius rei natura et conditione esse iudicatum. Pendet autem ex eo hoc quoque, quod, ut sibi quidem videatur, non potuisse interitum Patrocli omitti dicit; neque in hoc potuisse consisti, sed ulciscendam fuisse caedem interimendo Hectore; neque Hectoris morte finem fieri potuisse, sed reddito demum corpore satisfieri officio humanitatis. Quae etiamsi recte et vere dici videntur, tamen quis non miretur, quaeri ubi finiri non potuerit Ilias, non quaeri autem quale esse debuerit id, cuius de fine est quaesitum? Id enim caput rei, sive, ut rectius dicam, ipsa Ilias est. Concedit*que* hoc Nitzschius quoque, quum pristinae Iliadis ar-
7gumentum ad Iovis consilium restringit. Id consilium, quod poeta his verbis declaravit,

ὣς Ἀχιλῆα
τιμήσῃ, ὀλέσῃ δὲ πολέας ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιῶν,

quum in eo debeat positum esse, ut propter Achillis absentiam vincantur a Troianis Graeci: quaerimus, quomodo id sic potuerit institui, ut quae geruntur non videantur temere et casu evenire. Ac primum occurrit illud, ut Graeci sine Achille vel unum diem Troianis resistere nequeant. At id et ignominiam afferret tanto exercitui totque fortissimis viris, quorum gloria non posthabenda erat laudi barbarorum, neque ira videretur gravis esse, quae altero statim die deponeretur. Ex quo consequitur, longioris spatii multarumque pugnarum descriptione opus esse, ut ostendatur, quamvis summa cum fortitudine hostem arceant Graeci, tamen ita iis fortunam esse adversam, ut sine Achillis auxilio non possint ab se perniciem avertere. Et factum est hoc sane in nostra Iliade, sed tamen vel sic de diebus circiter quindecim, qui sunt inter irae initium et mortem Patrocli, quinque tantum postremorum acta describuntur, ex quibus duo, quibus sepeliuntur caesi et munimenta conduntur, commemorati sunt brevissime; reliquos tres autem iis factis expleri videmus, quae, si verum fateri volumus, non ita inventa sunt, ut aut ex ipsa rei ratione provenire, aut inter se necessitate quadam cohaerere videantur. Ac statim illud mirum est, quod, postquam is in cuius fortitudine maxima posita est fiducia auxilium suum detrectat, spem urbis capiendae Iuppiter per somnium facit Agamemnoni. Deinde cur tandem, nisi carminis producendi caussa, reditum simulari, cognitaque demum simulatione copias adversus hostem educi narratur? Eiusdem generis est, quod, ubi congressi sunt cum hostibus, levi ac potius nulla de caussa bellum singulari duorum pugna dirimere constituunt. Quum autem victus est Paris, Graecique ex pacto Helenam repetunt, Iuppiter non quod exspectabamus facit, sed spondet Iunoni excidium Troiae, consentitque, ut Minerva Troianos ad violandum pactum excitet. Inde dimicatur strenue, valde tamen periclitantibus Troianis: quumque singulari certamine congressi essent Hector et Aiax, neutro victo indutiae fiunt sepeliendis caesis, Graecique muro se circumvallant, et Troiani de

reddenda Helena cogitant, quod tamen consilium repudiat 8Paris, res caeteras restituere, additis aliis donis, paratus: quam conditionem non accipiunt Graeci. At ut Troiani aliquo, licet non in summo discrimine sint, Graeci cur bene gestis rebus munimenta exstruant non intelligitur. Postero die vincuntur Graeci: Troiani victores in campo pernoctant. Agamemnone per legatos exorare Achillem frustra conato, speculatum missi Vlixes et Diomedes, Rheso interfecto, equis eius potiuntur. Luce orta fortissime pugnat Agamemno: inde vario Marte certatum, usque dum expugnatis munimentis Graecisque ad naves compulsis ignem iniici videns Achilles Patroclum in proelium mittit, quo occiso ipse, reconciliatus Graecis, magna strage edita Hectorem interficit, ludos funebres facit Patroclo, corpus Hectoris redimenti Priamo reddit.

Cohaerent haec quidem aliquo modo, sed tam male, ut, nisi singularum rerum descriptio animos lectorum demulceret, nemo non aegre ferret fieri, quae cur fiant non appareat. Nam quis non exspectaret, Hectorem potius ab Iove, dum bello Achilles abstineret, spe victoriae incendi; inde autem Graecos magnis cladibus affectos indutias petere, oratores mittere ad Achillem, non exorato munimenta exstruere, oppugnari in munimentis, proruto muro ad naves repelli, navibus ignem immitti? Quae quum non sint ita facta, perdifficile videtur defendere inventionem poematis, cuius scriptor quum se iram Achillis canere velle dixisset, ea tantum, quae deposita ea ira sunt gesta, recte apteque exposuerit. Etenim quod Nitzschius ait, argumentum Iliadis esse irae tempora et discrimina, id vereor ut aliud sit, quam quod in Heracleidum et Theseidum scriptoribus ab Aristotele est vituperatum, quod omnia ut quaeque deinceps gesta sint, non tamquam unius facti partes necessitate quadam inter se copulatas enarraverint. Ea culpa si liberare volumus Homerum (et profecto liberandus videtur), non intelligo quid reliquum sit, nisi ut solutis compagibus Iliadis multo eum aliam rationem componendi carminis, quam quae nobis in manibus est, inisse statuamus. Admonent autem gra-

vissime etiam interpolationes et multae et apertae. Vt de exemplis, quae eam in rem afferri possunt, unum nunc commemorem, ecquis, qui animo libero nullaque opinione capto hanc nostram Iliadem contempletur, recensum ducum utriusque exercitus non enarrationi potius totius belli, quam descriptioni cladium, quas propter unius viri iram paucis diebus Graeci acceperint, convenire existimabit? Mea quidem sententia, ut id patienter feratur haec dumtaxat caussa est, quod praeter hanc Iliadem non exstat alia, quae omnes ad Troiam gestas res comprehendat. Sed nolo hoc urgere, quia defendentibus istam partem illud tamen reliquum est, ut iudicium poetae reprehendi patiantur. Vtar alio documento, eoque tali, quod et in clara luce conspici posse, et non mediocriter confirmare placita Wolfianorum videatur. Vix enim ulla pars Iliadis tantopere interpolationibus conturbata est, quam quae est a fine libri XI. usque ad mortem Patrocli. Postulavit autem Nitzschius, ut maiorum interpolationum indicia, quae certa essent, afferrentur.

Divinum carmen est illud, quod *Ἀγαμέμνονος ἀριστεία* vocatur: quod libri XI. v. 596. sic, ut par est, finitur:

ὣς οἳ μὲν μάρναντο δέμας πυρὸς αἰθομένοιο.

Sed non longe a fine interpellatum esse alieno additamento vel ipsa rerum perpetuitas ostendit. Nam Troianorum aciem, Aiace in dextro cornu vehementer incumbente, inclinari sentit Hectoris in sinistro pugnantis auriga Cebriones, monetque Hectorem ut illuc se conferat: quod facit ille, pellitque Aiacem. Nunc ante quam illud discrimen Troianorum animadvertit Cebriones, brevis narratio de Machaone inseritur, quem vulneratum in currum recipiat Nestor, abducatque ad naves. Manifestum est, pertinere haec ad ea, quae finito de Agamemnonis strenue factis carmine perscripta sunt a v. 597. Ibi legimus, Achillem conspecto Nestore mittere Patroclum, ut quaerat quem ille saucium reducat. Nestor ubi venit ad tentorium, ipse et Machao intrant, bibunt, sermonibus

sese oblectant. Vulneris nulla cura; immo ne mentio quidem, nisi obiter v. 649. ubi Patroclus Nestori dicit:

αἰδοῖος, νεμεσητός, ὅ με προέηκε πυθέσθαι
ὅντινα τοῦτον ἄγεις βεβλημένον· ἀλλὰ καὶ αὐτὸς
γιγνώσκω, ὁρόω δὲ Μαχάονα, ποιμένα λαῶν.

et v. 662. ubi Patroclo respondet Nestor:

τοῦτον δ' ἄλλον ἐγὼ νέον ἤγαγον ἐκ πολέμοιο
ἰῷ ἀπὸ νευρῆς βεβλημένον.

Neque vero infra, XIV. 1—8. ubi illi etiam usque sedent et bibunt, quidquam de vulnere: nec XVI. 25—27. memoratur Machao in vulneratis, immo curare videtur vulnera aliorum, si quidem in medicis est, de quibus v. 28. dicitur:

τοὺς μέν τ' ἰητροὶ πολυφάρμακοι ἀμφιπένονται
ἕλκε' ἀκειάμενοι.

Torsit ea res iam veteres interpretes, ut fuerint qui negarent vulneratum esse Machaonem: v. schol. ad XVI. 25. Eustath. p. 870, 37. 872, 24. Magis mira atque inter se discrepantia sunt alia. Patroclus, ubi ex Nestore quaesivit quis ille saucius sit, confestim redire vult, ne irascatur non statim redeunti Achilles. At moratur eum Nestor oratione centum et duodequinquaginta versuum. Vbi se tandem proripuit, obvius ei fit claudicans ex vulnere Eurypylus, quem sustentans in tentorium deducit, vulnerique medicamenta imponit. Id accipimus demum libro XV. v. 390—394. his verbis:

Πάτροκλος δ', εἵως μὲν Ἀχαιοί τε Τρῶές τε
τείχεος ἀμφεμάχοντο θοάων ἔκτοθι νηῶν,
τόφρ' ὅγ' ἐνὶ κλισίῃ ἀγαπήνορος Εὐρυπύλοιο
ἧστό τε καὶ τὸν ἔτερπε λόγοις, ἐπὶ δ' ἕλκεϊ λυγρῷ
φάρμακ' ἀκήματ' ἔπασσε μελαινάων ὀδυνάων.

Postremo ubi murum aggredi Troianos sentit, qui dudum, ut ex XIII. 50. 87. aliisque locis patet, prostratis mu-

nimentis introruperant, valedicit Eurypylo, revertiturque ad Achillem. Ad illum autem multis demum interiectis pervenit in XVI. libri principio. Nunc quis non credat Achillem illum, cuius iram Patroclus, ni statim rediret, antea extimuerat, vehementer iratum esse, quod ille tam sero redeat, nuncietque quem Nestor vulneratum adduxerit? Nihil minus. Immo oblitus mandati, oblitus vulnerati illius, oblitus adeo missum ab se esse Patroclum, placide quaerit, quid lacrimetur; numquid Myrmidonibus novi apportet; numquid de Menoetio, de Peleo adversi audiverit; an vero cladis Graecorum eum misereat. Respondet ad haec Patroclus, vulneratos, in quorum numero non est Machao, nominans, de se autem, quid egerit, nihil adiiciens, ut ipse quoque quo missus fuerit oblitus esse videatur. Haeccine vero sic luxata, sic discerpta, sic inter se pugnantia ille *qui nil molitur inepte* Iliadi illi, quam commentatus erat cogitate, riteque perpensa ratione descripserat, tam improvide atque obliviose inseruerit? Valde profecto credulum esse oportet, cui id veri simile videatur.

Credo ego, qui aliquem sensum habeat eorum, quae lex et mos antiqui carminis epici postulet, facile intellecturum esse, verissime iudicasse illos, qui non esse vulneratum Machaonem contenderunt. Haec observatio monstrare videtur, qua ratione, quae nunc temere discerpta habemus, olim comparata fuisse oporteat. Cohaerebant, nisi egregie fallor, in libro XI. haec: 11

496. *ὣς ἔφατ᾽ κλονέων πεδίον τότε φαίδιμος Αἴας,*
δαΐζων ἵππους τε καὶ ἀνέρας ἀσπιδιώτας,

521. *Κεβριόνης δὲ Τρῶας ὀρινομένους ἐνόησεν,*

et quae sequuntur usque ad v. 596. in quo finis erat huius carminis.

Alius carminis initium erat hoc:

498. *Ἕκτωρ μέν ῥα μάχης ἐπ᾽ ἀριστερὰ μάρνατο πάσης*
ὀχθὰς παρ ποταμοῖο Σκαμάνδρου, τῇ ῥα μάλιστα
ἀνδρῶν πῖπτε κάρηνα, βοὴ δ᾽ ἄσβεστος ὀρώρει,
Νέξορά τ᾽ ἀμφὶ μέγαν, καὶ ἀρήϊον Ἰδομενῆα,

506. ἀμφί τ' ἀριζεύοντα Μαχάονα, ποιμένα λαῶν·
508. τῷ ῥα περίδδεισαν μένεα πνείοντες Ἀχαιοί,
μήπως μιν πολέμοιο μετακλινθέντος ἕλοιεν,

et reliqua usque ad v. 520. quem excipiebant v. 618—643. Inde Patroclus, opinor, non Achillis iussu, sed suopte motu sciscitatum aderat quo in statu esset res Graecorum. Cui id explicans Nestor in vulneratis numerabat v. 662. Eurypylum, quem versum, damnatum a criticis, quod nondum vulneratus esset Eurypylus, iam patet vel maxime genuinum esse, parte libri ea, in qua eum vulnerari v. 580. seqq. accipimus, suo carmini restituta, cui hoc continuatum est, in quo Nestor Machaonem reducit. De quo ille v. 664. non dicebat

ἰῷ ἀπὸ νευρῆς βεβλημένον,

sed tale quid, quale v. 509.

μήπως μιν πολέμοιο μετακλινθέντος ἕλοιεν
Τρῶες ὑπέρθυμοι δεδμημένον.

Reliquam Nestoris orationem, quae suam sibi considerationem requirit, nunc non attingam: sed cohaerent omnia recte usque ad finem libri. Inde sequebantur XV. 390—404. et uno fortasse alterove versu interpositis XVI. 2. seqq.

Consideremus iam aliud non minoris perturbationis exemplum. Nestorem videmus in libro XI. cum Machaone 12ex proelio reversum in tentorio suo sedere et bibere. Ita sedet etiam XIV. initio, sed audito strepitu et clamore dicit Machaoni:

αὐτὰρ ἐγὼν ἐλθὼν τάχα εἴσομαι ἐς περιωπήν.

Foras egressus statim videt, quo in loco res sit:

στῆ δ' ἐκτὸς κλισίης, τάχα δ' εἶσιδεν ἔργον ἀεικές,
τοὺς μὲν ὀρινομένους, τοὺς δὲ κλονέοντας ὄπισθεν
Τρῶας ὑπερθύμους· ἐρέριπτο δὲ τεῖχος Ἀχαιῶν.

Ei obvius Agamemno quaerit:

τίπτε λιπὼν πόλεμον φθισήνορα δεῦρ' ἀφικάνεις;

Refert Nestor, prostratum esse murum, permixtosque Graecos Troianis viritim pugnare. At id si stans ante tentorium suum suis oculis videt Nestor, videt etiam Agamemno, quique alii duces eum comitantur, ut nec quaestione opus sit nec responsione. Apparet vero ex illo quem posui versu Agamemnonis, non ex tentorio, sed ex proelio venire Nestorem: sed quoniam, ut nostra in Iliado res dispositae sunt, in tentorio sedebat Nestor, mutari antiqui poetae narrationem oportebat, quique apud illum ex pugna venerat, exire faciendus erat ex tentorio.

Nisi admirabilis illa Homericorum carminum suavitas lectorum animos quasi incantationibus quibusdam captos teneret, non tam facile delitescerent, quae accuratius considerata et pugnare inter se et multo minus apte quam quis iure postulet composita esse apparere necesse est. Id ostendam eorum exemplo, quae in libris XIII. XIV. XV. enarrantur. In principio libri XIII. Iuppiter, neutri exercitui ullum deorum opitulaturum putans, sedet in Ida, Thraciam prospectans. Cur vero id putat Iuppiter, aut quae eius tanta stultitia est, ut nunc, Graecis in summum discrimen coniectis, qui iis favent deos non credat vel maxime auxilio venturos? Absit ut id sapientissimo poetae in mentem venisse adducamur. Non poterat illud credere Iuppiter, nisi modo absterruisset ab isto consilio deos. Vbi autem id fecit? Eo loco, quo si fecit, fatendum est factum esse ineptissime, tum quia nunc, sive legitur Ilias, sive recitatur, obliti sunt et legentes et audientes, tum quia postquam factum est nihil curarunt dii, sed satis securi medio se immiscuerunt proelio: fecit in principio libri VIII. Iam coniungat aliquis VIII. 1—51. cum XIII. 4. seqq. Emergere, opinor, Homerum ex Homero sentiet, quaeque divulsa ineptissima 13
erant, coniuncta fieri aptissima. Iam etiam non mirabimur, quae VIII. 350—484. leguntur, quae perinepta

essent, si praegressa esset gravis illa Iovis comminatio. Non occulte enim Iuno et Minerva curru relinquunt Olympum Graecis opem laturae, quas per Iridem revocat Iuppiter, relicta Ida (v. 438.) in Olympum reversus. In X. autem libro Minerva Vlixem ab nocturna expeditione salvum reducit. Porro Iuppiter ille, qui libro VIII. dictus est in Olympum abisse, in principio XIII. libri praeter exspectationem in Ida sedens conspicitur, ubi eum videt et adit Iuno libro XIV. 153. seqq. Hae perversitates evanescunt omnes, si, uti diximus, VIII. libri initium, ubi v. 47. seqq. ex Olympo ad Idam accedit Iuppiter, ibique in Gargaro considit, cum initio XIII. coniungitur.

Sed progrediendum est longius. Neptunus in libro XIII. ubi Iovem aversis a Troia oculis in Ida sedere vidit, Aegas petit, currum conscendit, et per mare vectus, equis in antro inter Tenedum et Imbrum relictis, in exercitu apparet Graecorum. Splendidissimam hanc descriptionem excipit relatio de singulis, qui ab Neptuno excitati strenue pugnarunt. Permirum vero, ac profecto ei, qui antiquam poesin non obiter cognoverit, vix credibile videri debet, quod multo demum post, in XIV. v. 153. etiam Iunoni in mentem venit, illa Iovis alio aversi opportunitate uti, atque ipsam quoque aliquid ad salutem Graecorum contribuere: tantoque id magis mirum accidere oportet, quod etiam quae de illa narrantur ornatissime sunt et copiosissime explicata; quumque fiant eo consilio, ut quam maxima cum securitate adiuvare laborantes possit Neptunus, ipsis etiam verbis produnt cui loco conveniant. Nam ubi XIII. 38. de Neptuno dictum est:

ὃ δ' ἐς στρατὸν ὦρτ' Ἀχαιῶν·

ibi illa sequi debebant, XIV. 153.

Ἥρη δ' εἰσεῖδεν χρυσόθρονος ὀφθαλμοῖσιν
στᾶσ' ἐξ Οὐλύμποιο ἀπὸ ῥίου· αὐτίκα δ' ἔγνω
τὸν μὲν ποιπνύοντα μάχην ἀνὰ κυδιάνειραν,
αὐτοκασίγνητον καὶ δαέρα, χαῖρε δὲ θυμῷ·

Ζῆνα δ' ἐπ' ἀκροτάτης κορυφῆς πολυπίδακος Ἴδης
ἥμενον εἰσεῖδεν· ςυγερὸς δέ οἱ ἔπλετο θυμῷ·

Ita cingulo a Venere accepto in amplexus suos trahit Iovem adiutore Somno, qui ubi sopitum videt Iovem, iam bono animo esse Neptunum et fidenter opem Graecis 14
ferre iubet. Haec egregie cohaerent usque ad v. 401. Cur vero illa nunc discerpta habemus? Non obscura caussa est. Intexendum Iliadi erat carmen, in quo et Neptunus suppetias fert Graecis, et vigilat Iuppiter. Id ergo non potuit inseri, ubi dormire Iovem scimus. Neptunus autem quoniam praesens est, pars alterius carminis ea, in qua adventus eius describitur, avellenda ab illo carmine erat et ibi collocanda, ubi deus ille nondum advenisset. At id quam male factum sit, etiam aliis argumentis cognoscitur. Illud quod dixi carmen, in quo et adest Neptunus et Iuppiter vigilat, legitur XIII. v. 345—673. Eius ipsum statim initium quid statuendum sit docet:

τὼ δ' ἀμφὶς φρονέοντε δύω Κρόνου υἱὲ κραταιὼ
ἀνδράσιν ἡρώεσσι τετεύχετον ἄλγεα λυγρά·
Ζεὺς μὲν ἄρα Τρώεσσι καὶ Ἕκτορι βούλετο νίκην,
κυδαίνων Ἀχιλῆα πόδας ταχύν· οὐδέ τι πάμπαν
ἤθελε λαὸν ὀλέσθαι Ἀχαιϊκὸν Ἰλιόθι πρό,
ἀλλὰ Θέτιν κύδαινε καὶ υἱέα καρτερόθυμον.
Ἀργείους δὲ Ποσειδάων ὀρόθυνε μετελθών,
λάθρῃ ὑπεξαναδὺς πολιῆς ἁλός.

Nec Iovi haec conveniunt, qui seposita belli Troiani cura in Gargaro sedebat, nec Neptuno, qui post splendidissimum illud iter, quod initio libri XIII. descriptum est, non poterat dici clam e mari emersisse. Quid vero *Ἰλιόθι πρό?* Non nunc ad Ilium, sed ad murum Graecorum ac pene ad ipsas naves pugnabatur. Scilicet tota illa pugna, quae istis versibus continetur, non pertinet ad

ἐπὶ ναυσὶ μάχην, sed ad eas quae vocantur ἐν πεδίῳ. Id quum ex eo apparet, quod nec muri nec navium ulla mentio fit, praeter hos duos locos v. 620.

λείψετέ θην οὕτω γε νέας Δαναῶν ταχυπώλων,

et v. 668. ipsa dicendi forma suspecto:

ἦ μεῖ᾽ Ἀχαιῶν νηυσὶν ὑπὸ Τρώεσσι δαμῆναι,

quorum facile coniici potest in altero νέας pro μάχην, in altero νηυσὶν pro λαῷ esse novatum, tum singulorum demonstrant factorum descriptiones ipsa rerum gestarum conditione naturaque. Accedit illud in hoc carmine memorabile, quod qui aliquem occiderunt, fere aliquid gloriandi caussa dicunt: quo hoc carmen a caeteris partibus pugnae, cui insertum est, insignite distinguitur. Eo carmine exempto iam recte cohaerere XIII. 344. cum v. 674. seqq. et rerum ordo ostendit, et ipse poeta declarat. Nam Idomeneus ubi cum Merione deliberat qua parte succurrant suis, quoniam in media acie Aiaces satis sustineant Hectoris impetum, v. 326. dicit:

νῶϊν δ᾽ ὧδ ἐπ᾽ ἀριστερ᾽ ἔχε στρατοῦ.

Itaque illuc se convertunt, vehementerque premunt Troianos, quod describitur usque ad v. 344. Inde pergit poeta v. 674.

Ἕκτωρ δ᾽ οὐκ ἐπέπυστο Διῒ φίλος, οὐδέ τι ἤδη,
ὅττι ῥά οἱ νηῶν ἐπ᾽ ἀριστερὰ δηϊόωντο
λαοὶ ὑπ᾽ Ἀργείων.

Non quaeram quam longe hoc carmen producatur, sed illud apertum est, non fuisse in eo, quae de Nestore et Machaone XIV. 1—8. nec quae de Patroclo Eurypylum relinquente XV. 390—405. narrantur. Sed qui poeta Neptunum tam insignem et luculentam opem ferre Graecis, quoque ille efficacius pellere Troianos posset, Iovem Iunonis artibus somno sopiri fecit, is profecto non potuit hoc inventum inchoatum destituere, sed referre debuit etiam expergefacto Iove quid evenisset.

Quare necessaria pars huius carminis ea est, quae continetur libri XV. v. 1. seqq. in qua si scriptum fuit illud v. 595. sqq. non prius fugari Troianos velle Iovem, quam ignem iniecissent navibus: apertum est, tum demum finem imponi carmini potuisse. Id quomodo factum sit, in ambiguo relinquam. Longioris enim hoc atque enucleatioris disputationis est, quam cui hoc in libello operam dare possim. Illud non supervacaneum est moneri, scriptorem huius carminis, mirabilia captantem, deorum actis describendis valde esse delectatum. Ac de deorum interventu quum olim qui de poesi epica disseruerunt copiose disputaverint, si quis hodie, rectius cognito Homero, qui fons fuit illarum disputationum, tractare materiam istam voluerit: non debebit illud negligere, quod valde dispar in Homericis carminibus illud deorum auxilium est, moderatum alibi et quale conveniat credentibus magis praesentes esse deos quam videntibus, alibi solutum illa verecundia, actis deorum et sermonibus propalam in conspectum adductis.

Videor consequutus esse quod propositum habebam, ut ostenderem factas esse interpolationes in carminibus Homericis permagnas, neque, ut existimare visus est Nitzschius, in paucorum versuum vel adiectione vel mutatione consistentes. Elegi autem, quum alias potuerim, illam partem Iliadis, quae potissima est, si inventori hoc16
fuit consilium, quod in principio operis indicavit, ut clades caneret propter iram Achillis acceptas. Non minus apertae interpolationes tum in illis libris qui hanc partem praecedunt, tum in iis qui eam sequuntur, possunt monstrari. Nunc, ne quis hanc Iliadem, cuius descriptio sollertissime excogitata esse credita est, temere discerpi et quasi dilaniari queratur, etiam caussam indicare volo, ex qua ortae sint istae interpolationes miraeque partium traiectiones et connexiones. Quamquam id vix opus esse arbitror, quum pridem eius rei rationem explicate demonstraverim in hymnis Homericis Hesiodique Theogonia. Nam eadem res quum ab aliis poetis aliter esset enarrata atque descripta, qui parte antiquioris car-

minis servata, modo ea quae brevius exposita acceperant, novis inventis auxissent, modo quae quamcumque ob caussam aptius posse atque ornatius dici visa erant, pro suo quisque ingenio variassent: habebantur illa carmina omnia, et recte quidem, pro Homericis, sed servari qualia erant non potuerunt, si in unum essent opus coniungenda, quia sic eadem res et saepius et diversis modis et tamen magnam partem iisdem verbis fuerat narranda. Quare nihil reliquum erat, nisi ut iis, quae communia erant diversis carminibus, semel quantum fieri potuisset positis, caetera sic insererentur, ut aliqua tamen cum probabilitate unum quiddam ac totum efficerent. Huius compositionis hic illic satis aperta vestigia sunt. Vt ipsa illa in pugna ad naves, quum unus poeta stantem in navi fecisset Aiacem, atque inde arcentem Troianos, alius autem eum in terrae solo obnitentem hostibus finxisset: alter, ubi ille pellitur, XV. 727. his usus est verbis:

Αἴας δ' οὐκ ἔτ' ἔμιμνε· βιάζετο γὰρ βελέεσσιν·
ἀλλ' ἀνεχάζετο τυτθόν, ὀϊόμενος θανέεσθαι,
θρῆνυν ἐφ' ἑπταπύδην, λίπε δ' ἴκρια νηὸς ἐΐσης·

alter autem, XVI. 102. primum quidem illorum versuum posuit, sed reliqua persequutus est alio modo. Similis semel dictorum ratio. Sic quod supra de principio libri VIII. dixi, non sic accipi volo, ac si illi versus non illic quoque recte sint positi: sed positi erant iidem etiam ante XIII. libri initium. Quod si quis totam Iliadem ea diligentia eaque circumspectione pertractet, quae in hoc genere permagnae adhibendae atque etiam ad minutissi-
17mas quasque res conferendae sunt, non desperem pleraque ex quibus illud poema compositum est carmina satis probabili ratione erui, rhapsodiasque quae in unum corpus coaluerunt propemodum integras in pristinam formam restitui posse. Sed ea re mihi nunc non opus, quum satis pro praesenti consilio factum videatur.

Dum Wolfianorum caussam egi, meam egi ipsius. Nam si dilabitur illa Ilias, cuius integritatem si non

omnem, at multo maximae tamen partis tueri studuit Nitzschius: eo sumus redacti, ut quem ille Homerum conditorem Iliadis atque Odysseae non longo intervallo ab Arctino aliisque epicis abfuisse censet, non poetam, qui magna illa opera ad imaginis cuiusdam animo conceptae descriptionem expresserit, sed diascenastam aliquem fuisse confiteamur, qui collecta quae Homeri esse ferebantur carmina sic, ut ex iis duo magna poemata conficerent, ordinaverit, aliis partibus recidendis, aliis translocandis, aliis mutandis, quibusdam etiam, ut hiantia conglutinarentur, addendis. Atqui haec Wolfianorum aut est aut esse debet sententia. Eam qui probat veramque esse putat, is, ut ego quidem existimo, vix poterit quin eum, a quo Iliadis et Odysseae quam nunc habemus formam adornata est, aliquanto recentiori tempori adscribat, quam quo alia facta sunt longiora epicorum poemata. Nam quae tandem idonea caussa poterit excogitari talis compositionis, nisi quod alia exstarent exempla longorum poematum, quorum ad similitudinem illa quoque, quae Homeri esse dicerentur, in magnorum viderentur operum amplitudinem esse explicanda?

Illi quidem opinioni, quae a F. A. Wolfio defensa est, scholam quamdam et sectam poetarum fuisse, qui una disciplina eruditi pari fere arte carmina illa epica conderent, ex quibus Ilias et Odyssea essent compositae, ego superiore anno in Annalibus Vindobonensibus haec tria potissimum refragari dixi: primo, quod incredibile esset illos poetas omnes nihil nisi iram Achillis et Vlixis reditum cecinisse, praeteriise autem non solum tot alia clarissimorum heroum fortia facta, sed ipsum etiam urbis quam decem annos universa oppugnasset Graecia excidium; deinde quod post Homerum subito conticuisset poesis epica, usque dum a cyclicis qui vocantur poetis quasi denuo in vitam esset revocata; denique quod tanta solus Homerus gloria floruerit, ut et unus ex omnibus poetae appellatione honoraretur et auctoritas eius in rebus omnibus tamquam gravissimi omnique exceptione maioris testis celebraretur, quae auctoritas aperte ab anti-

quitate potius carminum, quam a praestantia esset profecta.

Dissipari vero has dubitationes et solvi ita, ut conciliari cum Wolfii placitis possint, in quibus multum veri inesse, facillima quadam ratione dixi, si statueremus, multo antiquiore tempore, quam visum esset Herodoto II. 53. ac potius, ut Cicero dixit de Senectute cap. 15. multis ante Hesiodum seculis Homerum duo non magni ambitus carmina de ira Achillis Vlixisque reditu composuisse, quae deinceps a multis cantata paullatimque aucta atque expolita Homeri nomen ad posteros ut poetae vetustissimi propagavissent. Nam illum quum constaret illa duo argumenta tractavisse, haec, ut maximam fidei commendationem habentia, prae caeteris et libenter audita et ab omnibus expetita esse, dum, quae alii de rebus Troianis aliisve gestis insignium virorum canerent, quod illa vetustatis sanctitate carerent, non eamdem et famam et diuturnitatem consequerentur. Claritatem illam autem, quam adeptus esset Homerus tantam, ut sua carmina omnium ore celebrarentur, non a praestantia eorum dixi repetendam videri, quae mirum esset si rudi adhuc arte tantaque in simplicitate et facilitate orationis praestinxisset omnes alios atque obscurasset, nisi aliud quid singulare haberet, quo ille poeta hominum admirationem in se converterit.

Non probare haec Nitzschium, ex illa eius praefatione, cuius supra facta est mentio, intellexi. Et hoc quidem, quod ille obiicit, non posse non quaeri, quousque ars eorum, qui antiquissima illa carmina expoliverint, progressa fuerit eo tempore, quo Arctinus Aethiopidem et Ἰλίου περσίδα scripserit, id quorsum valeat fateor me non satis perspicere. Nam neque monumenta habemus, ex quibus aestimari possit, quomodo ad eum perfectionis gradum, quem in Homericis carminibus videmus, paullatim exculta fuerit poesis epica, et formam ei illam Arctini aevo iam firmam ac stabilem fuisse fragmenta ostendunt poetarum cyclicorum, ita quidem, ut illos imitatos esse Homerum, sed tamen deflectere coepisse ab

antiqua illa simplicitate animadvertamus. Omnino autem, quod inveniri non posse patet, ne quaerendum quidem arbitror.

Gravior videri potest multoque ad assensionem impetrandam efficacior alia obiectio. Fingi enim dicit Nitzschius rem parum credibilem, ingens spatium, quo poe- 19
tae, iique tales qui artem illam excolerent, perpolirent, perficerent, non ausi fuerint ex amplissimo illo rerum Troianorum orbe aliud quidquam sibi tractandum sumere, non excidium urbis, non pugnam Achillis cum Penthesilea aut Memnone, denique non interitum Achillis; qui non oppidum ullum aut gentem invenerint, quae aliud quam Achillis iram et reditum Vlixis audire cuperet; qui cognita quidem habuerint vetera carmina, nominatim quae Neoptolemi fortitudinem praedicarent, cognitos *Νόστους* veteres et Heracleas, sed tamen perire ea poemata passi sint, neque ad alium ea adhibuerint usum, quam ut fragmentis eorum duo illa carmina Homeri exornarent.

Sunt haec ea fere ipsa, quae ego Wolfianae sententiae obstare dixi. Ex quo apparet existimare Nitzschium, dubitationes illas non modo non solvi illa quam ego protulerim coniectura, sed manere easdem, nec minus mihi ipsi posse opponi. Non ego id miror: magnam enim speciem habet veri: sed tamen effecturum me spero, ut quam illa nunc visa sunt incredibilia, tam eadem, re penitus cognita, probabilia esse videantur.

Est illa quaestio historica quidem, sed, quoniam versatur in tempore de quo nihil testatum habemus, expers omnis praesidii, nisi quod est in probabilitate situm. Quare aut non quaerendum est omnino, sed credendum quod accepimus, etiamsi incredibile videatur, aut, si quaeritur, videndum ut quae incredibilia sunt ita explanentur, ut et potuisse fieri appareat et facta esse fiat veri simile. Nunc quae cognita habemus haec sunt: exstare duo poemata versantia in perexigua parte nobilissimi belli rerumque post id bellum ab uno redeuntium gestarum; vetustate maiore quam ulla alia monumenta litterarum; claritate atque auctoritate ea, ut nullo aevo exstiterit quod

iis aequipararetur; magnitudine tanta, quantam postea vel in summa aemulatione pauci aequaverint, plerique ne e longinquo quidem sint assequuti, antiquissimum autem aevum ne cepisse quidem videatur, nedum ut caussam continuerit ullam tam longa carmina condendi; denique mira solitudine ex antiqui aevi memoria superantia, ut demum aliquanto post subito magna efflоruerit seges poetarum epicorum, eorumque, quod maxime mirum, ex ipso Homero quasi propullulantium, qui quod ab illo significatum breviter esset, uberiore expositione amplificarent.

In his primo hoc quidem leve est, quod Homerus nihil nisi iram Achillis et Vlixis reditum carmine explicuit. Acquiescendum enim in eo quod factum est, inceptumque est quaerere cur non etiam alias res cecinerit, quum caussae cogitari multae, inveniri autem sine teste idoneo nulla possit. At illud mirum neque credibile est, unum tum poetam Homerum, neque ullum alium fuisse, atque, ut ille fuerit solus poeta, non statim exortos esse qui eum aemularentur, quique, quum non admodum difficilis in tanta linguae commoditate esset ars poetica, alias partes belli Troiani, aliosque aliorum ducum reditus pari dexteritate tractarent. Id igitur quum credi nequeat, relinquitur aut multo recentiore aevo vixisse eum, qui Iliadem atque Odysseam fecerit, eaque Nitzschii sententia est: quod tamen ipsum quoque credere et fama antiquitatis et carminum auctoritas prohibent, illa autem, quae supra de interpolationibus disputavimus, prorsus non patiuntur; aut, qui fuerunt poetae antiquissimi, comprehensos Homeri nomine latere, quae fuit Wolfii opinio: in qua tamen rursum illud redit, ut credere non possimus nihil eos praeter illa duo argumenta attigisse. Vbique igitur occurrunt incredibilia.

Quae mihi consideranti haec una patere videbatur via, ut illam tam admirabilem Homeri nominis celebritatem a tali aliquo merito repeteremus, quod suapte natura ita esset comparatum, ut uno primum illustri exemplo ostensum animos hominum adverterit, novaeque formae illecebris allexerit ac retinuerit. Desinemus enim mirari

unde tanta exstiterit claritas, si hunc primum fuisse putabimus, qui poesin, cuius antiquissimos auctores constans fama est vitae regundae praecepta versibus tradidisse, ab aequabiliore illo et remissiore ac saepe languidiore officio ad alacritatem fortium factorum et fervidam varietatem rerum bellicarum, nullis imaginum aliud quam videntur significantium involucris occultatam, clara in luce secundum rerum veritatem ante oculos audientium uberi et rapido flumine orationis adduxerit. Id si statuimus, Homeri nomen universam comprehendet poesin heroicam, intelligeturque, quomodo, qui patefactam ab illo viam ingressi sunt, ut sectatores eius, eodem sint nomine appellati. Nec profecto aliud est, quod Aristophanes dixit in Ranis v. 1032.

Ὀρφεὺς μὲν γὰρ τελετάς θ' ἡμῖν κατέδειξε φό- 21
νων τ' ἀπέχεσθαι,
Μουσαῖος δ' ἐξακέσεις τε νόσων καὶ χρησμούς,
Ἡσίοδος δὲ
γῆς ἐργασίας, καρπῶν ὥρας, ἀρότους· ὁ δὲ θεῖος
Ὅμηρος
ἀπὸ τοῦ τιμὴν καὶ κλέος ἔσχεν πλὴν τοῦδ', ὅτι
χρήζ' ἐδίδαξεν,
τάξεις, ἀρετάς, ὁπλίσεις ἀνδρῶν;

Ille igitur si primum heroici carminis specimen dedit ira Achillis et Vlixis reditu describendis, sponte intelligitur, novae speciei dulcedine captos, qui poemata illa audirent, satiari audiendo non potuisse, missisque didacticis poetis nullius nisi Homeri carmina appetivisse. Quem quum illa duo argumenta versibus enarrasse constaret, facile coniici potest, poetas alios, qui placere auditoribus vellent, et illa carmina memoriter didicisse, et in iisdem rebus ornandis, variandis, amplificandis aliquamdiu fuisse occupatos, ita ut postea, ex illis rhapsodiis duo potuerint longiora carmina contexi. Quo modo si paullatim exstitit magna vis carminum, quae propter commune argumentum Homeri nomen ferrent, videmur invenisse quod quaerebamus, Iliadem aliquam atque Odysseam, non ab

uno factas poeta, sed illius esse creditas, a quo prima eorum origo esset derivata.

Iam vero ad illa responderi poterit, quae Nitzschium huic coniecturae opposuisse supra est dictum. Nam quod ille ait, magnum sumi temporis spatium, quo poetae nihil nisi iram Achillis et reditum Vlixis cecinerint, id si ita esset, profecto dixissem, quod mihi ipsi incredibile videri debebat. Non illud, sed hoc volebam, ab ipsis heroici carminis primordiis, quae in illarum rerum expositione posita fuissent, aliquamdiu illo in orbe se continuisse hanc poesin. Idque et per se valde probabile est, recente novi carminum generis fama, et confirmatur aliorum populorum antiquis carminibus, quae aliquam claritatem adepta a multis deinceps poetis variata sunt atque amplificata. Sed paullo post quin poetae etiam caetera, quae ad res Troianas pertinerent, carminibus sint persequuti tantum abest ut negem, ut id non potuisse non fieri contendam. Sed id non statim, verum vigente iam Homeri fama, perque illam potissimum nobilitato bello Troiano, factum esse, eo prodi videtur, quod pleraque, quae alii de bello illo retulerunt, tam sunt fabulosa et ab rerum veritate remota, ut vix dubitari possit, quin poetarum ingenia tenuem belli illius memoriam mirabili-
22bus inventis latius latiusque extenderint. Haec carmina quum, quemadmodum omnia illius aevi, breves et inter se non nexae rhapsodiae essent, carerentque Homerici nominis commendatione, non mirandum videtur si interierunt, dum illae rhapsodiae, quae Homeri nomine circumferebantur, propter claritatem suam et saepius constantiusque recitabantur, et maiora semper incrementa capiebant, et magis magisque perpoliebantur, eoque aliorum carminum, quae iam rudia atque inculta viderentur, memoriam oblitterabant. Ita simul ad alteram obiectionis partem responsum esse arbitror, quum mirabatur Nitzschius, quod poetae qui Iliadem atque Odysseam perfecissent cognita habuissent vetusta illa aliorum carmina, et tamen ea passi essent perire, nec nisi partes ex iis decerptas Homeri inseruissent poematis. Nam id quidem

quo longius quisque horum Iliadis et Odysseae interpolatorum ab antiqui illius Homeri aevo abfuit, eo fit veri similius. Crescere enim tempore debuit fama Homeri atque auctoritas, tantaque est opinionis in hominum animos vis, ut non videatur ambigi posse, quin quae Homeri carminibus intexta perhiberentur, multo plus gratiae auctoritatisque a tanto nomine habuerint, quam si aut aliorum ex antiquitate poetarum obscura nomina, aut novitia illorum, a quibus tum canerentur, prae se tulissent. Quod nisi fallor, specimen illius vetustae et rudioris artis habemus in oratione Nestoris, quae est in undecimo Iliadis a v. 671.

Poterunt haec fortasse etiam ad maiorem gradum veri similitudinis evehi attentius consideranda Iliade. Eius statim ipsum nomen monere potest ut dubitemus, solamne circa iram Achillis, ad quam nunc relata sunt omnia, versetur, an pateat latius, atque, ut indicat nomen, omnino varias partes complectatur belli Troiani. Quod si antiquissima epicorum carmina, sicut aestimari par est, brevia fuerunt; si maxima pars nostrae Iliadis, quemadmodum ostendisse videor, non est bene composita; si separari quae nunc confusae sunt diversae diversarum pugnarum descriptiones certis indiciis possunt; si sunt in iis, quae, ut ducum naviumque recensus, ad universum potius bellum, quam ad iram Achillis pertinere videantur: multo, ut ego quidem existimo, illud probabilius est, partes quasdam belli Troiani separatis carminibus ab Homero esse celebratas: in quibus quum illae res maxime eminerent, quae ad iram Achillis atque ad eius vindictam occisi Patrocli pertinebant, has prae aliis repetitas, cum iisque etiam illas esse coniunctas, quae antea nihil23 cum illis argumentis commune habuerant. Eiusmodi autem vel maxime dixerim illud carmen esse, quod *Μηνιμένονος ἀριστεία* vocatur: cuius ea est ratio, ut non proelii alicuius accuratam descriptionem, sed splendidissimam planeque divinam universi belli imaginem ob oculos adducat.

Superest ut illuc revertar, quod supra obiter attigi.

Neque enim mirarer, si omnium quae mihi opposuit Nitzschius gravissimum illud esse iudicaretur, quod non recte dixerim conticuisse poesin epicam post Homerum, longoque intervallo renovatam esse a cyclicis. Nam neque caussa illius silentii sat gravis videtur inveniri posse, et repugnare omnis aliorum inventorum comparatio, quum omni in litterarum artiumque genere, simulac signum datum est aliquo eximio exemplo, ingens excitetur imitandi atque aemulandi studium, exorianturque plurimi, qui virium suarum eodem in genere periculum faciant. Esse ita fateor: persuasissimumque habeo, uno edito longo poemate epico, brevi tempore consequi debuisse multa alia: sed qui poeta primus *promissi carminis auctor* fuerit, nescio, nec scire opinor alios. Nego vero Homerum, nego Hesiodum fuisse. Hesiodi quidem non vereor ne quis obvertat illa quaedam quae ei tributa sunt longiora carmina: Homerum autem ipse iis quae disputata sunt videor removisse. Et tamen, si non illorum aliquis qui multo post Homerum vixerunt, aut Homerus ille fuit, aut nullus. Nihil horum est, quod prorsus sit incredibile. Nam si recentiorum cuipiam tribuenda est huius inventi laus: non est mirandum si interiit memoria rei parum memorabilis: siquidem non carminum longitudine, sed praestantia ingenii censetur gloria poetarum. Homerus autem si primus habendus est, qui longum poema composuerit: carmina eius, si nostra de eorum origine sententia vera est, tum primum a quibusdam eorum collectoribus in haec duo corpora coniuncta fuerint oportet, quum paullo post exstitit hoc exemplo excitata recentiorum epicorum multitudo. Denique vero, si nullus fuit, qui iure dici possit primus longum poema fecisse, ne hoc quidem ratione caret, quum ex parvis et intra pauca versuum millia stantibus carminibus paullatim ad maiorem ambitum progredi poetarum conatus potuerint. Quidquid horum verum esse statuatur, res eodem redit, ut neque claritas Homeri, neque auctoritas,
24neque illud, quod non alia de rebus Troianis carmina pari antiquitatis fama innotuerunt, satis explicari alio

quam quem indicavimus modo posse videatur. In quo si non fallor, quaestio illa omnis, quae est de Homeri historia, eo conferenda erit, ut investigetur quo tempore et per quos facta sit dispersorum illorum carminum quae Homero adscribebantur in haec quae nunc habemus corpora coniunctio atque conglutinatio.

SCHOLAE THEOCRITEAE*).

Theocritum eum scriptorem esse, in quem, si ullum in alium, vel criticorum temeritas et petulantia, vel levitas atque inscitia interpretum usque adhuc ita grassatae sint, ut vix potuerint magis, neminem latere arbitror, qui eius carminum editiones cognitas habeat. Quae caussae sint tantae perversitatis, satius est silentio praeterire. Ego quidem quum nuper aliquot Theocriti idyllia retractarem, videbar mihi hic illic invenisse, quae vel explicari rectius possent vel certius emendari. Ex quo genere volo nonnulla ex scholae umbra in publicam lucem emittere: quae si recte dicere iudicer, non erunt ea ingrata poetae lectoribus; sin minus, excitabuntur fortasse homines docti, ut quaerant meliora. Ne quis autem miretur, quod etiam levia haud pauca attulerim, sciant qui haec legent id me propterea fecisse, ut appareret quanta etiam in rebus apertissimis apud Theocritum regnet incuria.

VII.

In septimo idyllio quae narrantur dubitatum est quo loco acta esse putanda sint: alii scholiastis auctoribus Con insulam, alii Siciliam esse volunt. At scholiastae satis ipsi produnt meris se coniecturis duci, quum Halentem vel pagum in insula Co, vel locum quemdam esse

*) Editae in Diurnis scholasticis a. 1832. m. Nov. n. 132 — 134.

dicunt; quum Oromedontem vel Panem deum esse vel montem Thessaliae aut Coi esse censent; quum Pteleam vel eiusdem insulae, vel Arcadiae, vel Ephesi esse narrant; quum Pyxam vel locum aliquem in eadem insula vel urbem vel pagum esse tradunt. Nihil horum cognitum geographis: ex quibus Strabo XIV. p. 657. satis diligenter de Co insula exposuit. Solus eius insulae fons Burina, de quo certo constat, in hoc idyllio memoratur, sed iis verbis, quae quod male intellecta erant, in errorem inciderunt interpretes. Neque vero de Sicilia cogitandum. Oppidum, cuius v. 2. mentio facta, Velia est Lucaniae: ei vicinum fluvium Halentem memorant Cicero ad fam. VII. 20. ad Att. XVI. 7. et Theocritus ipse V. 123. ubi quum recte dixisset scholiastes, *ποταμὸς οὗτος ἐν Ἰταλίᾳ*, addit, septimi idyllii mala interpretatione deceptus, *ἐλέγετο οὕτω καὶ τόπος τις ἐν Κῷ*. Non longe abest Buxentum: *Πυξοῦντα* vocat Strabo VI. p. 253. Is locus *Πυξὶς* apud Stephanum, *Πύξα* a Theocrito vocatur. Copiose de his explicavit Cluverius in Italia antiqua p. 1259. seqq. Fuit autem Velia colonia Phocaeensium: sed Gelonis tempore Cadmus, regulus Coorum, deposito imperio, in Siciliam se contulit et cum Samiis ibi Zanclen habitavit, ut refert Herodotus VII. 164. Eum credibile est alios quoque Coorum illuc secum duxisse, eosque et in Sicilia et in vicinis Italiae locis sedes posuisse. In iis erant Phrasidamus et Antigenes, filii Lycopei, genus ducentes a Cly-1058
tia, Meropis filia, et Chalcone, Cois, quorum Chalco fontem illius insulae Burinam genu rupi obnixo aperuisse ferebatur. Huius fontis arborumque circa eum natarum descriptio, quae inserta est ad Chalconis memoriam celebrandam, fefellit interpretes, ut reliqua quoque loca, quorum in hoc idyllio facta est mentio, ad Con insulam referrent. Recentiores confirmavit in illa opinione Moschi quem putabant testimonium in epitaphio Bionis v. 98. sed istos versus M. Musuri esse ostendit F. Nackius. Contrario errore Eustathio ad Dionysium v. 511. p. 199, 34. Burina est *πηγή τις Ἰταλική*.

His praemissis aliquot versus attingam in quibus aliquid vitii relictum videtur. Sequor autem editionem A. Meinekii, quae purior est caeteris.

V. 7. scribendum *εὖ ἐνερεισάμενος*. Quod insertum legitur *γ'*, orationem facit languidam.

V. 11. ex libris quibusdam *τὸ Βρασίλα* restituendum, quae usitata ratio loquendi est.

V. 22. 23. sic scribendi:

ἀνίκα δὴ καὶ σαῦρος ὑφ' αἱμασίαισι καθεύδει,
οὐδ' ἐπιτυμβίδιοι κορυδαλλίδες ἠλαίνοντι.

V. 28. Quum alibi *ἦμεν* infinitivi forma a Theocrito usurpata sit, non est credibile eum *ἔμμεν συρίκταν* scripsisse. Quare recipiendum, quod libri quidam praebent, *συρίκταν ἔμεναι*.

V. 46. Pro vulgato *Ὠρομέδοντος* quum libri quidam *Εὐρυμέδοντος* praberent, fuerunt quibus id et hic et apud Propertium III. 9, 47. reponendum videretur, docta adductis disputatione Huschkii de Eurymedonte rege Gigantum in Analectis litterariis. Et regem quidem illum Gigantum a Theocrito significari non videtur dubium esse: nomen vero ut Oromedontis potius quam Eurymedontis positum esse credam, quum librorum maxima pars monet, tum rariorum amator Propertius, cui quidem et ipsi Eurymedontem Huschkius aliique restitui voluerunt. Est autem neque ignotum Graecis nomen *Ὠρομέδων*, ut ex Herodoto VII. 98. constat, et pene magis etiam regi Gigantum conveniens, quippe montium dominatorem significans. Aliud est Apollinis cognomen *ὠρομέδων* in epigrammate, quod editum in Corpore Inscriptionum vol. II. p. 275. n. 2342. Caeterum quod in uno codice inventum quidam probarunt, *Ὠρομέδοντι*, non obscurum est a grammatico aliquo esse profectum. Planum est enim Lycidam dicere, displicere sibi architectum, qui montis instar aliquam domum Oromedonteam exstruat.

V. 62. Valde probabilis est Schaeferi et Graefii coniectura, *καὶ εὔπλοος ὅρμον ἵκοιτο*. Mirum tamen, quod, quum id nemini non debeat in mentem venire, libri

omnes εὔπλοον tenent. Quod si comparamus cum locum, quo iterum ὅρμος apud Theocritum legitur, XIII. 30. εἴσω δ' ὅρμον ἔθεντο Προποντίδος, videri ille debet ὅρμον non partem illam portus, qua appellitur navis, 1059 sed finem navigationis, quum intrat in portum appellendi caussa navis et consistit, ὅρμον dixisse. Eo modo εὔπλοον ὅρμον ἱκέσθαι non minus recte dici videtur, quam πλοῦν εὔπλοον ἱκέσθαι.

V. 73. Frustra esse videntur omnes nominis proprii restituendi conatus. Consentiente librorum scriptura τᾶς ξενέας veri simillimum est τᾶς ξείνας: quo nomine regiam illam virginem significat, cuius amore Daphnis dictus est contabuisse.

V. 115. Legitur in libris:

ὔμμες δ' Ὑετίδος καὶ Βυβλίδος ἁδὺ λιπόντες
νᾶμα, καὶ οἰκεῦντες ξανθᾶς ἕδος αἰπὺ Διώνας,
ὦ μάλοισιν Ἔρωτες ἐρευθομένοισιν ὁμοῖοι,
βάλλετέ μοι τόξοισι τὸν ἱμερόεντα Φιλῖνον.

Reiskius, vir acuti iudicii, licet ille non ubique felix in tollendis vitiis, non congruere λιπόντες cum οἰκεῦντες vidit. Qui eo haec expedire voluerunt, ut sedem Dionae Cyprum vel Erycem esse censerent, non solum obscure, sed etiam inepte loquentem fecerunt Theocritum. Fontes illi quum sint Mileti, non est dubitandum, quin illam ipsam urbem sedem Dionae appellaverit poeta. Et viguisse ibi cultum Veneris ostendit Spanhemius ad Callim. h. Dian. 225. Ita vero καὶ οἰκεῦντες inepte dictum esse patet. Relicta enim Mileto habitare Miletum dicerentur Amores. Quare scribendum κατοικεῦντες. Cohaerent verba hoc modo: ὔμμες δὲ, ὦ κατοικεῦντες ἕδος Διώνας Ἔρωτες, λιπόντες Ὑετίδος καὶ Βυβλίδος νᾶμα, βάλλετε Φιλῖνον. Rectissime Heinsius:

At vos Hyetidos, vos missis Byblidos undis,
qui colitis flavae sublimia tecta Dionae,
o similes malis florentibus, agmen Amorum,
tangite festivi, mihi tangite corda Philini.

V. 154. Nimis creduli mihi videntur, qui a κρήνη derivatum διακρανοῦν in lexica intulerunt propter scho-

lion, quod sic scribendum: *κατὰ ἀντίφρασιν, ἀντὶ τοῦ διεκεράσατε, μᾶλλον ἐμεθύσατε. ἢ ἀποκαλυφθῆναι ἐποιήσατε. ἢ ἐπηγάσατε.* Rectius puto Amarantum, teste Etym. M. p. 273, 28. *διακρανοῦν* pro *διακαρανοῦν* dictum censuisse, male tamen interpretantem de litura cadi removenda. Potius significat *perficere.*

VIII.

Vexatissimum est octavum idyllium, in quo primum quae emendanda videantur afferam, deinde dicam de compositione carminis.

V. 13. Scripturam Theocriti multis in locis grammaticorum correctiones referre non potest latere eum, qui ad librorum discrepantias mentem attenderit. Hic quidem quod edi solet, *ἀλλὰ τί θησεύμεσθ', ὅ κεν ἁμῖν ἄρκιον εἴη,* codices arguunt olim sic scriptum fuisse:

καὶ τίνα θησεύμεσθ', ὅτις ἁμῖν ἄρκιος εἴη.

Displicuit id grammaticis vulgaribus, qui *ἄεθλον* in praecedente versu, ut de praemio, neutro genere dictum volebant. At is non constans usus. Grammaticus in Bekkeri Anecd. p. 210, 14. *ἆθλος, ἀρσενικῶς τὸ ἔργον καὶ τὰ ἔπαθλα.* Et alius p. 349, 21. *ἆθλος, ἀρσενικῶς τὸ ἔργον καὶ τὸ ἀγώνισμα καὶ τὸ ἔπαθλον. διαφέρει δὲ τοῦτο τοῦ οὐδετέρου, ὅτι τὸ μὲν οὐδέτερον δηλοῖ κυρίως τὸ ἔπαθλον, τοῦτο δὲ τὸν ἀγῶνα.*

1060 V. 18. Non omnia quae possunt defendi sunt defendenda. Quod Wartonus coniecit,

σύριγγ', ἂν ἐποίησα, καλὰν ἔχω ἐννεάφωνον,

quum libri *ἐγὼ* habeant, ita non solum simplicitate dictionis, sed etiam comparatione eorum quae Daphnis respondet, commendatur, ut non dubitandum sit quin ea vera sit scriptura. Aequalitatem illam utriusque pueri dictorum ut legem primariam in hoc carmine custodivit poeta.

V. 24. Ineptum est *γε,* quod plerique libri habent

in his, *ἐπεὶ κάλαμός γε διασχισθεὶς διέτμαξεν*. Recte hic vulgata *με*, quod offensioni fuit librariis non cogitantibus puerum dicere *διέτμαξέν με τὸν δάκτυλον*.

V. 34. Quem Meinekius ex Polluce IV. 102. affert versum, etsi iure dicit male a Brunckio et O. Müllero tractatum esse, tamen ipse quoque violentius quam opus erat emendavit. Is si trochaicus fuit, sic scribendus videtur:

χίλι' ἄτις ποκὰ βίβατι πλεῖστα δὴ τῶν πάποκα·

sin ex iambis, sic:

χίλια
ἅ ποκα βίβατι πλεῖστα δὴ τῶν πάποκα.

V. 43. Non potest scribi, ut Meinekio visum, *ἔνθα καλὰ Ναΐς ἐπινίσσεται*: obstat enim productio brevis syllabae non iusta. Minime clumbis hic versus est: sed sequebatur Meinekius Valckenarii leve et inconsideratum iudicium, qui et in adnotationibus et in epistola ad Roeverum spondeos v. 48. 61. 62. parum Theocriteos esse pronunciabat. Quid? Numquid vituperavit illa XVIII. 49.

χαίροις, ὦ νύμφα, χαίροις, εὐπέπλου γαμβρέ·
Λατὼ μὲν δοίη, Λατὼ κουροτρόφος ὔμμιν.

Si quid in versu 43. offensui esse poterat, non erat id in spondeis, sed in eo, quod singuli ab initio pedes singulis vocibus constarent, eosque sequeretur vox monosyllaba. At ne hanc quidem iustam damnandae scripturae caussam esse haec ostendunt IV. 15. V. 21. 31. 58. 86. 111.

τήνας μὲν δή τοι τᾶς πόρτιος.
ἀλλ' ὧν αἴκα λῇς ἔριφον θέμεν.
μὴ σπεῦδ'· οὐ γάρ τοι πυρὶ θάλπεαι.
στασῶ δ' ὀκτὼ μὲν γαυλὼς τῷ Πανὶ γάλακτος.
φεῦ, φεῦ, Λάκων τοι ταλάρως σχεδὸν εἴκατι πληροῖ.
οὕτως κὔμμες θὴν ἐρεθίζετε τὼς καλαμευτάς.

Gravius illud est, quod, sicut puer quem amat Menalcas ipso nomine suo appellatur, etiam quam Daphnis amaret puellae nomen videtur edendum fuisse. At non est tamen hoc argumentum tanti momenti, ut quidquam corrigi debeat. Daphnis enim quam puellam amasset multa fama constabat; non item quem Menalcas puerum. Quod si Naidem nominatim dicere voluisset poeta, in promptu erat *ἔνθ' ἁ καλὰ Ναΐς ἐπέρχεται.*

V. 51. Valckenarius, qui sensui cuidam suo indulgere, quam in caussas accurate inquirere maluit, superbius pronunciavit, haec, *ἐν τήνῳ γὰρ τῆνος, ἴθ', ὦ κόλε, καὶ λέγε Μίλων' ὡς,* satis absurda neque adeo Theocriti esse. Absurdi hic nihil, si verba recte intelliguntur. Milo iste parvi faciebat caprarium. Hinc ille caprum suum capellasque vocat potum acturus in umbrosum nemus, quod ibi sit Milo: caprum autem (et qui poetae non et bestias et vel muta saxa loqui fecerunt?) illi dicere iubet, Proteum quoque, qui deus sit, phocas pavisse. Verba vero per interpretum adnotationes aliquantum distorta sunt. Sic enim scribere poetam oportuit:

ἴθ', ὦ κόλε, καὶ λέγε, φώκας,
Μίλωνι, Πρωτεὺς καὶ θεὸς ὢν ἔνεμεν.

V. 57—60. Hi versus, ut ex postremo eorum patet, non possunt Menalcae esse, sed, si quidem ad hoc carmen pertinent, Daphnidis sunt. Ex quo consequeretur, tetrastichon Menalcae intercidisse. Nullo modo enim violari ratio antistrophica potuit, neque impar esse numerus tetrastichorum. Sed tamen magnopere vereor ne non desit quidquam, sed potius removeri hoc ultimum tetrastichon debeat. Nam et ipsum per se ita comparatum est, ut epigramma potius esse videatur quam pars alius carminis, et dempto eo aptissime utriusque pueri carmen finitur, altero ut ametur optante, altero gaudente quod amatur.

V. 72. Non scripsit Theocritus *κἠμὶ ἐκ τῶ ἄντρω,* sed, si quid valet diversorum in idem incidentium consensio, *κἠμιὲ γὰρ ἐκ τῶντρω.* Nam id quum ego

coniecissem, postea occupatum vidi a Briggsio, et ante hunc a Valckenario in exemplari, quod nunc meum est. Suas opes praedicaverat Menalcas: idem facit Daphnis: eo referuntur istae particulae.

V. 81. Recte dicitur *ἀδὺ τὸ στόμα τοι*, non item *ἀδύ τι τὸ στόμα τοι*. Vnus codex *στόματου*. Scribendum *ἀδύ τι τὸ στόμα τεύ*.

Dicatur nunc de universo carmine. Valckenarius in illo quod modo dicebam exemplari adscripsit: *non videtur mihi ecloga Theocritea*. Idem in epistola ad Roeverum p. 15. seqq. non totum idyllium, sed multos eius versus a Theocrito abiudicat: qua in re viri quamvis longe doctissimi levitatem iudicii non possum satis mirari, non quo eum nihil veri vidisse censeam, sed quia nec quid vituperaret nec cur esset vituperandum recte quaesivisse aegre fero. Quid est enim quod criminatur? Primo versus pentametros, ignotos grammaticis qui de metro bucolico dixerint. At illi quum hexameter bucolicus qualis esset ostendere voluerint, non potuerunt de pentametro loqui. Quod si in aliis quae habemus Theocriti carminibus bucolicis nullum exstat metri elegiaci exemplum, num id impediebat quominus Theocritus in hoc carmine eo metro inter se certantes pueros introduceret? Non esset sane carmen bucolicum, si etiam quae ipse poeta refert illo essent metro scripta. At in his morem sequitur proprium poesis bucolicae. Multa tentabant nova poetae Alexandrini: in quibus quid mirum si hoc quoque, ut insereretur carmen amoebaeum alio, sed cognato bucolicis versibus metro? Deinde ut inepta ridet Valckenarius illa, *κύων ὁ Φάλαρος* et *ὦ Λαμπουρὲ κύων* et *τὰν Μιτύλαν αἶγα*, quod Siculi isti rustici animalia familiariter nominibus a colore ductis appellare consueverint, ut inepte addatur *κύων* et *αἶξ*. Inepte vero, si necessario? Nam qui v. 27. dicitur *κύων ὁ φάλαρος*, non hoc habet nomen sibi proprium: immo quod nomen haberet, ne notum quidem Menalcae fuisse credibile est. Explicavit de hoc vocabulo Buttmannus in Lexilogo vol. II. p. 248. Illud autem, *ὦ*

Λαμπουρὲ κύων, additum habet *κύων*, ut appareret canem, non caprum aut hircum significari. Quae cum his
1062confert Valckenarius exempla, in quibus non est nomini additum bovisne an ovis an canis nomen sit, non quia addi recte non potuerit carent eo, sed quia sermo ipse satis prodit quae bestia dicatur. Denique *τὰν μιτύλαν αἶγα* v. 86. ipse Valckenarius, ut reprehendere poetam posset, *τὰν Μιτύλαν αἶγα* exaravit. Hoc quidem est calumniari. Praetereo alia, in quibus doctrinam quivis laudet, argutias autem, quibus Moscho quam Theocrito partem carminis adscribere mavult, nemo facile probet. Sed p. 9. seqq. postquam versum 57. invenustissima coniectura sic scribi iussit:

δένδρεσι μὲν χειμὼν φοβερόν· κακὸν οὔθασιν αὐχμός,

spondeos temere vituperat: de quibus supra dictum. Sed ista quidem ille iuvenis scripsit. Postea vero in editione Theocriti ad v. 82. sic iudicavit: *qui sequuntur versus XII. et primi in hoc carmine XXVII. mihi videntur Theocritei.* Quid erat tandem quod illos tantum versus quos dixit pro Theocriteis haberet, caeteros autem damnaret? praesertim quum ex istis certe duabus particulis non possit aptum carmen confici. Apertum esse arbitror, virum doctissimum, quum sensisset esse in hoc carmine quae parum Theocritea viderentur, non accurate quaesivisse de ea re, sed sensu illo admonitum in vocabulis quibusdam et metris laborasse: quae debent postrema accedere, ubi est de genuinis et non genuinis disceptandum.

Consideremus idyllium hoc alio modo. Constituunt Daphnis et Menalcas certare cantando, iudice advocato caprario. Certant duobus carminibus, altero elegiaco, hexametro altero: victorem caprarius pronunciat Daphnin. Statim haec inventio carminis mira est. Vno enim carmine potius, quam duobus certare pueros exspectes; sin autem duobus, priore hexametro, tum vero, ut maiorem artem ostenderent, elegiaco. Et satis quidem hoc est ad

suspicionem aliquam interpolationis excitandam, sed tamen ut solum per se, quoniam excusari certe potest, non multum valeat. Aliud vero gravius est: quod est ita comparatum, ut rem conficiat. Nam posterius illud carmen puerorum est unice gregibus suis delectatorum, ab amore autem ita adhuc alienorum, ut Daphnis, ubi formam suam a puella laudari audivit, ludificari se ratus, humi deiectis oculis pudibundus praeterierit. Quantum ab hoc distat carmen illud elegiacum, in quo alter aperte se puerum Milonem, alter puellam amare fatentur. Hinc evidentissime intelligitur, eosdem quidem illos pueros esse, Menalcam et Daphnin, sed eos aliquot annis adultiores quam in carmine hexametro. Simul autem patet, quid de compositione carminis sit statuendum. Primus idyllii scriptor (nihil est autem quod eum non fuisse Theocritum prodat) solis hexametris usus pueros uno carmine decertantes fecit. Eius idyllium habuit versus hosce: 1—30. 63. usque ad finem. Id idyllium alius poeta sic interpolavit, ut, quum pueros iam paullo provectiores aetate faceret, pro versibus 63—79. poneret versus 31—60. vel potius, si versus 57—60. ut supra coniecimus, alieni sunt, versus 31—57. servatis v. 80. et sequentibus. Id qui fecit, v. 3. *ἄμφω ἐνάβω*, ut ex scholiis coniici licet, pro *ἄμφω ἀνάβω* videtur scripsisse. Postremo grammaticus aliquis, quum illa duo carmina, cantione puerorum inter se differentia, sed idem exordium finemque habentia eumdem invenisset, coniunxit ea in unum, insertis de suo versibus 61. 62. Quod1063 si quis fortasse ipsum Theocritum ita condidisse hoc idyllium statuat, ut pueris aliud atque aliud carmen tribui posset, ac proinde ipsum et hexametrum illud carmen amoebaeum et elegiacum scripsisse, ut, prouti quis vellet, alterum eorum carminum adsciscceret: minus illa quidem veri similis, sed tamen non plane inepta sit coniectura.

X.

V. 5. Ex bonis libris editum:
ποῖός τις δείλαν τὺ καὶ ἐκ μέσω ἄματος ἐσσῇ·

sed non potest *καί*, ut Jacobsio visum, *atque adeo* significare. Potius corrigentis se est: *qualis tu vesperi — et a meridie eris.* Vulgatum *δείλαν τε* mirum est reponi voluisse Schaeferum ad Soph. Trach. 235. quod parum intelligeret quid *τὺ* sibi vellet. Id pronomen quis non videt cum contemptu quodam dici? Sed per se tamen nec vulgata *δείλαν τε καὶ ἐν μέσῳ ἄματος* reprehendi potest, nec quod in quibusdam libris est *δείλαν γε*. Illud tamen, *καὶ ἐν μέσῳ ἄματος*, a correctore profectum videtur, qui *ἐκ μέσω ἄματος*, quod eo tempore *δείλα* quoque comprehensa esset, non recte dictum putabat. Aliter huic incommodo occursum in optimo codice Mediceo, in quo quod legitur *δειλαῖε*, bonam praebet lectionem, si scribitur:

ποῖός τις, δείλαιε, τύ γ' ἐκ μέσω ἄματος ἐσσῇ.

V. 14. Reponendum ex aliquot codd. *τοίγαρ τὰ πρὸ θυρᾶν.*

V. 18. Aptius hic est *μάντις καλαμαία*, quam *μάντις ἃ καλαμαία*, quia cicada illa, quae *μάντις* vocabatur, non quod aliquid portendat, sed propter speciem suam commemoratur, ut non sit per articulum ab aliis *μάντεσιν* discernenda. Prorsus autem leporem dicti non perspexerunt interpretes, qui cum Valckenario ad Phoen. 1619. scholiastae et perineptam et a verbi natura abhorrentem explicationem sequuti *χροΐξεται* pro *συγχρωτισθήσεται* dictum putarunt. Quod scripsit Theocritus,

μάντις τοι τὰν νύκτα χροϊξεῖται καλαμαία,

sic intelligendum: *illuminabit tibi noctem mantis culmaria.* Hesychius *χροϊζόμενον* interpretatur *λαμπρυνόμενον*. Dicit hoc Milo ironice, quod fusca erat illa Bombyca: vide v. 26. seqq.

Respondet his Battus:

μωμᾶσθαί μ' ἄρχῃ τύ. τυφλὸς δ' οὐκ αὐτὸς ὁ Πλοῦτος,
ἀλλὰ καὶ ὢ φρόντιστος Ἔρως· μηδὲν μέγα μυθεῦ.

Eum dicere putant, non solum Plutum, sed etiam Amorem caecum esse. Non adducor, ut id *οὐκ αὐτὸς* significare credam, sed, si illa poetae mens fuisset, *οὐ μοῦνος*, opinor, dixisset. Praeterea mirificas rationes invenerunt interpretes, ut *ἀφρόντιστος* quid esset explicarent. Mihi scripsisse videtur Theocritus:

μωμᾶσθαί μ' ἄρχῃ τύ. τυφλὸς δ' εἰ καὐτὸς ὁ Πλοῦτος,
ἀλλὰ καὶ ὦ φρόντιστος Ἔρως· μηδὲν μέγα μυθεῦ.

Irridere me occipis. Caecus autem si et ipse Plutus est, at etiam Amor incogitatus est caecus: ne te iactato. Non temere Pluti mentionem facit, sed ut notet Milonem, qui neque inops erat, ut ex v. 13. colligitur, et totum se dederat quaerendae pecuniae. Ἀφρόντιστος Ἔρως ad illud lucri studium respicienti 1064
Batto dicitur activa potestate, qui omnia praeter amari parvi pendit. Passive dixit Aeschylus Agam. 1386.

ἐμοὶ δ' ἀγὼν ὅδ' οὐκ ἀφρόντιστος πάλαι
νείκης παλαιᾶς ἦλθε, σὺν χρόνῳ γε μήν.

V. 29. Quod vulgo legitur, *ἀλλ' ἔμπας ἐν τοῖς στεφάνοις τὰ πρᾶτα λέγονται*, valde displicet propter *τοῖς* articulum, eumque illo in versus loco positum, in quo, quamvis inutilis sit, maxime exauditur. Quidam libri *ἐν τῷ στεφάνῳ*. Hinc corrigendum arbitror:

ἀλλ' ἔμπας ἐν τοῖς στεφάνῳ τὰ πρᾶτα λέγονται.

Notissima locutio *ἐν τοῖς πρῶτοι*, de qua Reizius in diss. de inclin. acc. p. 17. seqq. et ibidem Wolfius, tum Fritzschius in Quaestt. Lucian. p. 221. disputarunt. Hic quoniam non infinitum *πρῶτα*, sed finitum, *prima coronae*, dicendum erat, apertum est cur cum articulo *στεφάνῳ τὰ πρᾶτα* dicendum fuerit. Quodammodo simile est quod e Dionys. Hal. de Isocr. 2. attulerunt: *τὴν διάλεκτον ἀκριβοῦσα ἐν τοῖς πάνυ τὴν κοινὴν καὶ συνηθεστάτην.*

V. 33. sic editum:

αἴθε μοι ἦσαν ὅσα Κροῖσόν ποκα φαντὶ πεπᾶσθαι,
χρύσεοι ἀμφότεροί κ' ἀνεκείμεθα τᾷ Ἀφροδίτᾳ·
τὼς αὐλὼς μὲν ἔχοισα, καὶ ἢ ῥόδον, ἢ τύγε μᾶλον,
σχῆμα δ' ἐγὼ καὶ καινὰς ἐπ' ἀμφοτέροισιν ἀμύκλας.

In his certe neque αἴθε μοι ἦσαν a Theocrito positum est, neque ille τὼς αὐλὼς μὲν ἔχοισα scripsit omisso pronomine: dicendum erat enim τὺ μὲν τὼς αὐλὼς ἔχοισα. Mire discrepant scripturae codicum: quas qui attentius consideraverit, facile intelliget duobus modis haec olim scripta fuisse, sive ipse Theocritus iterum edidit hoc carmen, sive, quod veri similius est, corrupta alii grammatici aliter emendarunt. Vna harum lectionum haec fuit:

εἰ δέ μοι ἦς ὅσσα Κροῖσόν ποκα φαντὶ πεπᾶσθαι,
χρύσεοι ἀμφότεροί κ' ἀνεκείμεθα τᾷ Ἀφροδίτᾳ,
τὼς τὺ μὲν αὐλὸς ἔχοισα, καὶ ἢ ῥόδον, ἢ τύγα μᾶλον,
σχῆμα δ' ἐγὼ καὶ καινὰς ἐπ' ἀμφοτέροισιν ἀμύκλας.

Et hanc quidem ego ab ipsius poetae manu profectam existimem. Σχῆμα, quod quidam permiris modis interpretati sunt, gestum significat. Nam ut Bombycam tibicinae habitu, sic se saltantis ad tibias specie fingi cupit. Altera lectio talis fuit:

εἰ δέ μοι εἴη ὅσα Κροῖσόν ποκα φαντὶ πεπᾶσθαι,
χρύσεοι ἀμφότεροί τ' ἀνακοίμεθα τᾷ Ἀφροδίτᾳ,
τὼς αὐλὼς κεν ἔχοισθα καὶ ἢ ῥόδον ἢ τύγα μᾶλον,
σχοῖμι δ' ἐγὼ καὶ καινὰς ἐπ' ἀμφοτέροισιν ἀμύκλας.

Nisi in hac lectione scriptum fuit αἴθε μοι εἴη.

V. 37. Vix redat quis, fuisse qui his verbis, *τὸν μὰν τρόπον οὐκ ἔχω εἰπῆν*, hoc dici putarent, *indolem autem quam praeclara sit non habeo dicere.* Id non solum *μὰν* particula et *οὐκ ἔχω*, quod debebat *οὐδ' ἔχω* dici, prohibent, sed ex ipso carminis argumento falsum esse intelligitur. Battus ille languens amore hoc dicit: *mores autem tui qui sint non habeo dicere.* Nescit enim facilemne an duram sit inventurus.

V. 43. Falluntur qui *λᾶον* agrum et *εὔεργον* bene1065 cultum significare volunt. Segetem dicit, quae se commodam metentibus praebeat, aristis ad parem altitudinem adultis.

V. 48. Non placet vulgatum *σῖτον ἀλοιῶντας φεύγειν τὸ μεσαμβρινὸν ὕπνον*, quia, si *ὕπνον* legitur, durius est *τὸ μεσαμβρινὸν ὕπνον*, quod sic malis *τὸν μεσαμβρινὸν ὕπνον* dictum. Quum codices nonnulli *φεύγει* et *ὕπνος* habeant, venustior erit oratio sic emendata:

σῖτον ἀλοιῶντας φεύγοι τὸ μεσαμβρινὸν ὕπνος.

V. 50. Qui versuum perite condendorum neque ipse ignarus sit, neque ignarum fuisse Theocritum credat, non dubitabit quin ille non *ἄρχεσθαι ἀμῶντες*, ut in codicibus legitur, neque, ut correctum a quibusdam est, *ἄρχεσθαι δ' ἀμῶντας*, sed sic scripserit:

ἄρχεσθ' ἀμώοντας ἐγειρομένω κορυδαλλᾶ.

Inserto *δὲ* non opus, quia singula disticha per se constant, neque aliud cum alio cohaerent.

V. 53. Non multum tribuerim uni illi, licet bono codici, qui *τὸ πιεῖν*, omisso *τὸν*, quod in caeteris libris ante haec verba est, habet. Sed tamen inde coniici licet *τὸν πιέειν ἐγχεῦντα.*

V. 54. Nihil hoc versu de lentibus parce datis continetur, sed hoc dicit: *age, avare villice, coque lentes.* Avaritiam prodere fingitur villicus eo, quod sero cibum praebet: parce ne praebeat, sequente versu monetur.

XIII.

V. 19. Non genuinum videtur, etsi probabiliter correctum est,

Ἵκετο χὠ ταλαεργὸς ἐς ἀφνειὰν Ἰαολκόν.

Multi codices *ἀνὴρ* inserunt post *ταλαεργός*, et Palatinus liber praebet *εἰς ἀφνειὸν Ἰωλκόν*: sed minus numerosus est talis versus:

Ἵκετο χὠ ταλαεργὸς ἀνὴρ ἐς ἀφνειὸν Ἰωλκόν.

Vera scriptura videtur:

Ἵκετο χὠ ταλαεργὸς ἀνὴρ ἀφνεὰν ἐς Ἰωλκόν.

V. 21. *Εὔεδρος* inepte hic diceretur Argo propter transtra. Firmam dicit, ut Aeschylus Sept. ad Theb. 325.

V. 40. Quod vulgo legitur, *τάχα δὲ κράναν ἐνόησεν ἡμένῳ ἐν χώρῳ*, scio defendi posse. Certe *καθήμενα*, quod fere etiam *καθειμένα* scribitur, loca depressa dicuntur: de qua dicendi ratione videndus Iacobsius ad Aelian. H. A. XVI. 12. p. 538. Plerique codices *ἐν χόρτῳ* praebent. Et *χόρτος* quidem aptius etiam dici *ἥμενος* videtur. Sed ea vox hic quoque in magna parte librorum *εἱμένῳ*, uno in libro autem *ἡμέ-*
1066*νην* scripta est. Vnde veri simile est, Homerica dictione usum Theocritum scripsisse *εἰαμενᾷ χόρτῳ*. Homericum est enim *ἐν εἰαμενῇ ἕλεος* Iliad. IV. 483. XV. 631. de quo vocabulo disseruit Buttmannus in Lexilogo vol. II. p. 24.

V. 46. Legendum *ποτῷ* dativo casu, quo consilium hauriendi adsignificatur. Eoque ipsa etiam haec vox defenditur, quae sic proprie de potu, non de solo liquore aquae est intelligenda.

V. 51. Invenustissimum est, quod vulgo legitur, *ναύταις δέ τις εἶπεν ἑταῖρος*, nec melius est Brunckii inventum, *ναύτας δέ τις εἶπεν ἑταίροις*. Pauci libri utrumque nomen dativo casu dictum praebent, *ναύταις δέ τις εἶπεν ἑταίροις*, rectissime. Neque enim unus

quidam ita loquutus esse putandus, sed alius dixisse alii: qui usus τὶς pronominis notissimus est.

V. 64. Multum interesse, quo ordine verba collocentur, ut suam quaeque vim habeant, apertum est. Et hic quidem quis non τοιοῦτος in principio ponendum fuisse intelligat? quis autem credat vel mediocriter peritum poetam nescivisse metro sic aptare verba, ut ea vox suum locum teneret? Quare vereor ego quidem ne interpretatio genuinam scripturam expulerit. Multo enim elegantius legeretur:

τοιοῦτος Διὸς υἱὸς ἐν ἀτρίπτοισιν ἀχάνθαις
παῖδα ποθῶν δεδόνατο.

V. 68. Vitiosam esse vulgatam scripturam omnes confitentur:

ναῦς μένεν ἄρμεν' ἔχοισα μετάρσια· τῶν παρεόντων
ἱστία δ' ἠΐθεοι μεσονύκτιον ἐξεκάθαιρον,
Ἡρακλῆα μένοντες.

Pro μένεν codices fere omnes μέν, perpauci μὴν vel μάν. Huius quidem verbi facile inveniri emendatio potuerat, si attendissent critici quid et sententia et genitivi τῶν παρεόντων postularent, qui nullo modo cum sequentibus verbis iungi possunt: difficilis autem correctio est verbi prorsus inepti ἐξεκάθαιρον, mirumque est, fuisse, qui non hoc verbum, sed ἱστία corruptum putarent, idque vel in ἰχρία mutarent, quasi purgandis tabulatis in altum propelleretur navis, vel οὖρον ponendum censerent, quasi Argo, ut Graecorum classis ad Troiam, multos annos in arenam subducta mansisset. At illa paucas horas steterat in ancoris. Id et res ipsa flagitat, et narrant Apollonius atque Orpheus, quorum alter I. 1276. sic scribit:

οἳ δ' εἴσβαινον ἄφαρ λελιημένοι· ὕψι δὲ νηὸς
εὐναίας ἐρύσαντες ἀνεκρούσαντο κάλωας·
κυρτώθη δ' ἀνέμῳ λίνα μεσσόθι·

Orpheus autem v. 653.

κραιπνὸς δ᾽ ἐξ οὔρεος ἔπνεεν οὖρος,
ἓν δ᾽ ἔπεσ᾽ ἀργενναῖς ὀθόναις· Τῖφυς δ᾽ ἐγεγώνει
νηὸς ἔσω περάαν, θινὸς δ᾽ ἐκ πείσματα λύειν.

1067Scribendum videtur:

ναῦς γέμεν ἅρμεν᾽ ἔχοισα μετάρσια τῶν παρεόντων·
ἱστία δ᾽ ἠίθεοι μεσονύκτιον ἐξεπάειρον
Ἡρακλῆα μένοντες.

Et γέμεν quidem quin verum sit dubitari non potest. Dubium vero ἐξεπάειρον, quocum comparari potest hoc Apollonii II. 1229.

ἱστία δ᾽ ἤειραν· τὰ δ᾽ ὑπὸ ῥιπῆς ἀνέμοιο τείνετο.

Navis, inquit, *omni apparatu instructa plena erat iis qui aderant: absentem autem Herculem quum usque ad mediam noctem exspectassent, vela dederunt.*

V. 74. Scholiastes ἠρώησεν interpretatur κατέλιπεν. Verbum illud non recte explicasse puto Buttmannum in Lexilogo vol. I. p. 69. seqq. quod non ex ῥέειν, sed ex ῥώεσθαι deductum vel cum eo cognatum videtur. Inest in eo verbo pellendi notio, respondetque Germanicis *prellen* et *prallen*. Inde accusativo iunctum significat *repellere*, ut Iliad. XIII. 57.

τῷ κε καὶ ἐσσύμενόν περ ἐρωήσαιτ᾽ ἀπὸ νηῶν.

Eoque modo etiam a Callimacho Theseus in pugna cum tauro Marathonio dictus est

θηρὸς ἐρωήσας ὀλοὸν κέρας.

Hinc *repudiare:* unde de relinquendo dictum est in illo Theocriti XXIV. 99.

φᾶ, καὶ ἐρωήσας ἐλεφάντινον ᾤχετο δίφρον.

XIV.

In hoc Idyllio, quo μίμους ἀνδρείους Sophronis

imitatus est Theocritus, arcessitum ab Aeschine venire Thyonichum viderunt quidem interpretes, sed non reperio adnotatum, patere id statim ex primis verbis:

χαῖρεν πολλὰ τὸν ἄνδρα Θυώνιχον.

Nam quum *τὸν ἄνδρα* additum sit, est id *eccum quem exspectabam Thyonichum.* Eodem in versu etsi nec vulgatum *ἀλλά τοι αὐτῷ*, nec quod duo codd. habent *ἀλλὰ τὺ αὐτός*, nec quod Reiskium sequuti quidam ediderunt, *ἀλλά τυ αὐτὸν* falsum est, tamen, quoniam in optimis fere libris scriptum est *τοι αὐτά*, in uno autem *τοιαῦτα*, vera videtur altera Reiskii coniectura, *ἀλλὰ τοιαῦτα Αἰσχίνᾳ.*

V. 12. Qui hic *ἱπποδιώκτας* dicitur, cum haec exquisitior appellatio non *ἡνίοχον*, ut Hesychius interpretatur, i. e. aurigam, sed *κέλητα* esse prodit, qui arte sua ostentanda quaestum faciat: quod genus spectaculi iam Homeri aevo cognitum fuisse ex Iliad. XV. 679. seqq. constat.

V. 17. Interpungendum, *βολβός τις, κοχλίας ἐξηρέθη. Τὶς* dicit, ut aliquammultos significet. De cochleis Athenaeus II. c. 63. apud quem c. 64. Alexis, ut Theocritus, *βολβούς, κοχλίας*, coniunxit.

V. 22. Legitur vulgo:

οὐ φθεγξῇ; Λύκον εἶδες, ἔπαιξέ τις, ὡς σοφὸς εἶπεν
χἤφθα· εὐμαρέως κεν ἀπ' αὐτᾶς καὶ λύχνον ἄψαις.

Plerique codd. *κἤφαι'*. Scribendum:

οὐ φθεγξῇ; Λύκον εἶδες, ἔπαιξέ τις. ὡς σοφός, εἶπεν,
κἤφᾶπτ'·

i. e. *καὶ ἐφῆπτο.* Vnus convivarum dicere putandus est *οὐ φθεγξῇ;* Tum alius, *Λύκον εἶδες.* Illud, *ὡς*1068 *σοφός*, Cyniscae dictum esse, et de hac accipiendum esse *εἶπεν*, recte iudicasse arbitror Graefium. Sic fert animi humani natura, ut, qui arcana sua a dicacibus prodi vi-

dent, quasi refutaturi acu scilicet eos rem tetigisse dicant. Quae sequuntur omnia Aeschinem nunc, non in compotatione illa, dicere, non commemorarem, nisi viderem fuisse qui secus statuerent. At et ineptissime ille istud *ἐντὶ Λύκος, Λύκος ἐντί*, et reliqua praesentibus convivis dixisset, et tota oratio ostendit eum ira inter narrandum effervescente Thyonicho nominare istum rivalem suum. Nec *κλύμενον ἔρωτα* dicit, cuius notitia iam ad multos pervenerit, sed *praeclarum* ironice, quod pulcellum et mollem adolescentulum sibi praeferat Cyniscа.

V. 31. Vehementer errant, qui *κακαὶ φρένες* initium esse Thessalicae cantilenae putant. Nihil ista verba neque ad Lycum neque ad Cyniscam. Quod Aeschines dicit:

χὠ Λαρισσαῖος τὸν ἐμὸν Λύκον ᾄδεν ἀπ' ἀρχᾶς
Θεσσαλικόν τι μέλισμα,

non est de vero cantu intelligendum, sed *ᾄδειν* est repetere aliquid. Cantilenam enim non Graeci solum, sed aliae quoque gentes iterationem eiusdem rei vocant: nec *Θεσσαλικὸν μέλισμα* aliud est quam Scomma, quale ab homine Thessalo proferri non sit mirandum. *Κακαὶ φρένες* Larissaeus ille appellatur, homo plenus malitiae, plane ut Amor apud Moschum I. 8. Quae sequuntur,

ἃ δὲ Κυνίσκα
ἔκλαεν ἐξαπίνας θαλερώτερον ἢ παρὰ ματρὶ
παρθένος ἐξαέτις κόλπων ἐπιθυμήσασα,

expressa illa ad Homeri exemplum Iliad. XVI. 7. seqq. in iis fuit quum *ἔκλαι'* ego scribendum putabam, quod memoravit Kiesslingius, et probavit in gramm. Gr. vol. II. p. 169. Buttmannus. Et *ἔκλα'* in uno saltem codice Florentino legitur. Sed numeros si spectamus, nimis durum videtur *ἔκλαι'* ita positum ut prima syllaba sub ictu sit, producaturque ea quae sequitur. Quare quum *ἔκλαεν* non possit pro aoristo haberi, imperfectum

sit oportet media correpta. Nisi vitiata est scriptura. Homerus certe dixisset *κλαῖεν ἄρ'*.

V. 51. Scribendum ex optimis codicibus:

νῦν δὲ πόθεν; μῦς, φαντὶ, Θυώνιχε, γεύμεθα πίσσας.

V. 56. Nihil vitii est in articulo ad *στρατιώτας* adiecto, si hi versus ita interpunguntur:

πλευσοῦμαι κἠγὼν διαπόντιος, οὔτε κάκιστος
οὔτε πρᾶτος ἴσως, δμαλὸς δέ τις, ὁ στρατιώτας.

Sic enim hoc dicit: *navigabo ego quoque, hicce iam miles factus, nec pessimus nec primus fortasse, sed tamen aliquis quales plerique.*

XV.

V. 4. Non credo invictam suam animam praedicare Gorgonem, quum dicit *ὦ τᾶς ἀδαμάτω ψυχᾶς*, quam valde miram exclamationem qui illustrari putarunt illo Luciani in encomio Demosthenis c. 50. vol. III. p. 527. *βαβαῖ τῆς ἀηττήτου ψυχῆς καὶ μακαρίας*, eodem modo verba tantum, non vim et sententiam verborum spectarunt, ut qui cum *ὄρη δρίφον* (sic Syracusani teste Etym. M. p. 287, 50.) *αὐτᾷ* v. 2. compararunt quod Arete Vlixi dicit Odyss. VIII. 443.

αὐτὸς νῦν ἴδε πῶμα, θοῶς δ' ἔπι δεσμὸν ἴηλον. 1069

Casaubonus Aeschyli in Oedipi filios dictum adhibuit, *ἰὼ κακῶν ἀτρύμονες*, quod scholiastes interpretetur *ἀδάμαστοι, ἀκαταπόνητοι, ὑπὸ τῶν κακῶν μὴ νικηθέντες, ἢ οὓς πολλὰ κακὰ οὐκ ἐδάμασαν.* At illi sic vocantur, quod insatiabiles malis fuerunt. Verissimam ego quidem H. Stephani coniecturam esse iudico, *ὦ τᾶς ἀλεμάτω ψυχᾶς*, quibus verbis Gorgo vanam, miseram, et vix superstitem animam suam conqueritur. Vehementer erravit Casaubonus, qui Eustathium hoc vocabulum in iis dictionibus numerare scripsit, quas proprias sibi haberet Oppianus, neque illum ita erraturum fuisse, si Theocritus, aliquanto antiquior poeta, illo verbo esset usus. Nec dixit illud Eustathius, sed simpliciter ex Op-

piano, quem multum lectitaverat, eam vocem affert p. 437, 2. et usurparunt eam aequales Theocrito Apollonius Rhodius, Sotades, Callimachus; hic quidem etiam Doricum *ἀλεμάτως* in h. Cer. 91. ubi videndus Spanhemius.

V. 7. Duplici mendo affecta verba *τὺ δ' ἑκαστοτέρω ἔι' ἀποικεῖς* infeliciter Valckenarius sic scribenda censuit, *τὺ δ' ἑκαστέρω ἄμμιν ἀποικεῖς*. Non male illa scriberentur hoc modo, *τὺ δ' ἑκαστατέρω μεὺ ἀποικεῖς*. Nam etiam ex superlativis comparativa fiunt, quale vocabulum hic aptissimum est, significans *nimis longule*. Exempla huius generis contulit Lobeckius ad Phryn. p. 93. 135. seq. Sed quum optimus codex Mediolanensis *ἑκαστέρω* praebeat, nescio an scripserit Theocritus, *τὺ δ' ἐμεῦ ἀφ' ἑκαστέρω οἰκεῖς*.

V. 11. Haec sic scripta circumferuntur:

Γ. μὴ λέγε τὸν τεὸν ἄνδρα, φίλα, Δίνωνα τοιαῦτα
τῶ μικκῶ παρεόντος· ὄρη, γύναι, ὡς ποθορῇ τυ
Π. θάρσει, Ζωπυρίων, γλυκερὸν τέκος· οὐ λέγω ἀπφύν.
Γ. αἰσθάνεται τὸ βρέφος, ναὶ τὰν πότνιαν· καλὸς ἀπφύς.

At iracundior est Praxinoa, quam ut nunc, dum in mariti mores invehitur, blande alloquatur puerum: immo eum ne curat quidem. Tum autem ineptum est Gorgonem dicere *αἰσθάνεται τὸ βρέφος*, quae modo idem significaverat his verbis *ὄρη, γύναι, ὡς ποθορῇ τυ*. Veram rationem monstrat ille optimus codex Mediolanensis, in quo non *λέγω*, sed *λέγει* est:

Γ. μη λέγε τὸν τεὸν ἄνδρα, φίλα, Δίνωνα τοιαῦτα
τῶ μικκῶ παρεόντος· ὄρη, γύναι, ὡς ποθορῇ τυ.
θάρσει, Ζωπυρίων, γλυκερὸν τέκος· οὐ λέγει ἀπφύν.
Π. αἰσθάνεται τὸ βρέφος, ναὶ τὰν πότνιαν.
Γ. καλὸς ἀπφύς.

Π. ἀπφὺς μὰν τῆνος πρώαν (λέγομες τὰ πρώαν
θὴν
πάντα) νίτρον καὶ φῦκος,

et quae sequuntur. *Τὰ πρώαν* et codices praebent, et poscit sententia.

V. 19. Spohnius, qui qua solebat incredibili diligentia de hoc quoque loco quaestionem instituit, in eo tamen falli se passus est, quod *πόκως* de pellibus intellexit. Non lanam cum ipsis coriis, sed detonsam emit Dioclides. *Πόκος* proprie est tantum lanae quantum una1070
ovis praebet. Iliad. XII. 451.

ὡς δ' ὅτε ποιμὴν ῥεῖα φέρει πόκον ἄρσενος
οἰός.

Conf. Theocr. V. 98. Hesychius: *πόκος, τὸ ἔριον προβάτου.* Hinc certa copia lanae, fortasse ad hunc modulum ponderatae, *πόκος* dicta videtur: ita, nisi fallor, Cratinus apud Pollucem VII. 28. *ἐρίων πιναρῶν πόκον* dixit.

V. 21. Qui *τἀμπέχονον* hic interiorem vestem esse docuerunt, ex v. 34—39. discere potuerant, ita Praxinoam interiorem vestem superinduere exteriori.

V. 22. Hic legitur:

βᾶμες τῶ βασιλῆος ἐς ἀφνειῶ Πτολεμαίω
Θασόμεναι τὸν Ἄδωνιν.

Quasnam dicit Gorgo? Si se solam, non apte in hoc familiari sermone utitur plurali. Si se et ancillam Eutychidem, non loquitur ut decet heram. Sin se et Praxinoam, dicere debebat *βῶμες*: idque legitur quidem in quattuor codicibus, sed, ut videtur, ex correctione alicuius grammatici, quum in sequente versu etiam *Θασοῦμεν, Θασοῦμες, Θασοῦμαι* scriptum inveniatur. Hinc veri simile est eam non iubere secum ire Proxinoam, sed satis habere dicere quo ipsa eat: non dubitat enim quin amica ultro sit secum itura. Quare scribendum videtur:

βᾶμ' ἐς τῶ βασιλῆος, ἐς ἀφνειῶ Πτολεμαίω·
Θασεῦμαι τὸν Ἄδωνιν.

Quae sequuntur, Meinekius sic edidit:

ἀκούω χρῆμα καλόν τι
κοσμῆν τὰν βασίλισσαν· ἐν ὀλβίω ὄλβια πάντα.
Π. ὧν ἴδες ὧν εἶπαις κεν ἰδοῖσα τὺ τῷ μὴ ἰδόντι.
Γ. ἔρπειν ὥρα κ' εἴη· ἀέργοις αἰὲν ἑορτά.

Vulgo illa, ἐν ὀλβίω ὄλβια πάντα, Praxinoae tribuebantur. Vtrius mulieris sint, dubitari potest: sed qui sequitur versus tam aperte Gorgonis est, ut mirandum sit potuisse id secus esse videri. Ex quo sequitur, si eadem Gorgo ἐν ὀλβίω ὄλβια πάντα dicit, hoc eam argumento excitare ad videndi cupiditatem velle Praxinoam; sin illa Praxinoae verba sunt, occupationibus suis distractam fateri, se id credere. Et hoc melius congruit cum proximo eius dicto. Quare haec sic scribenda videntur:

ἀκούω χρῆμα καλόν τι
κοσμῆν τὰν βασίλισσαν. Π. ἐν ὀλβίω ὄλβια πάντα.
Γ. ὧν ἴδες, ὧν εἶπας καὶ ἰδοῖσα τὺ τῷ μὴ ἰδόντι.
ἔρπειν ὥρα κ' εἴη. Π. ἀέργοις αἰὲν ἑορτά.

Sicuti τόσον — τόσον pro ὅσον — τόσον et similia dicunt poetae Dorici, sic etiam ὅσον — ὅσον pro ὅσον — τόσον, ut IV. 39.

ὅσον αἴγες ἐμὶν φίλαι, ὅσσον ἀπέσβας.

Hac familiari locutione Gorgo hic dicit, *quae vidisti, ea potuisti narrare etiam ei qui non vidit.* Neque enim opus ut codicum scriptura εἶπας καὶ in εἴπαις κεν mutetur. Proverbii colorem habet indicativus praeteriti. Ἴδες prima brevi dictum diserte hoc versu testatur Gregorius Cor. de dial. Dor. §. 134. Praxinoa quum respondet ἀέργοις αἰὲν ἑορτά, in cuius proverbii explicatione haesitatum est, hoc significat, non se ita vacuam esse ut Gorgonem, sed valde occupatam rei domesticae et pueri cura.

V. 27. Hic locus tam variis iisque partim nimis

argutis partim valde invenustis explicationibus vexatus est, ut qui singula excutere velit vix finem disputandi1071
sit inventurus. Est autem difficultas in duabus rebus, in eo quod incertum est quid *νᾶμα* significet, et in scriptura illorum verborum, quae in vulgaribus libris sic leguntur, *ἃ δ' ὡς νᾶμα φέρει*. Atque illud *νᾶμα* quidem facit, ut duae prorsus inter se diversae viae iniri possint. Valckenario aliisque aquam eo vocabulo significari placet, quia stamen etiam a Doriensibus non *νᾶμα*, sed *νᾶμα* vocetur, ut a Theocrito XXIV. 74. Sed illo tamen loco editio Iuntina *νᾶμα* habet. Sumamus nunc veram esse Valckenarii sententiam: tum ego quidem non crediderim *αἶρε τὸ νᾶμα* significare *affer aquam*, sed, quod articulus et quae sequuntur verba postulant, *aufer istam aquam*. Iam quaeritur hoc quomodo intelligi debeat. Nisi argutari volumus, duae tantum viae patent: nam aquam quum dicit, pollubrum cum aqua, qua ad lavandum usa erat, intelligere eam oportet: id igitur pollubrum auferri effundique aquam vult, tum autem aut rursus apponi iubet, pura scilicet cum aqua, aut increpat ancillam, quod pollubrum non in angulo aliquo, sed in medio cubiculo posuerit, ut solent, qui acerbius vetant, monere ut quis iterum faciat, nempe non impune facturus. Cum utravis interpretatione conveniunt illa, *κινεῦ δή, φέρε θᾶσσον ὕδωρ*. Non apparet autem quo spectet *πρότερον* in his, *ὕδατος πρότερον δεῖ*. Minus etiam aptum videtur hoc, *αἱ γαλέαι μαλαχῶς χρήσδοντι καθεῦδεν*, quod sic in ancillam dici putandum est. Maximam vero difficultatem habent illa, *ἃ δ' ὡς νᾶμα φέρει*, in quibus male Valckenarius *ἃδ'*. Recte quidem exprobrari potuit ancillae quod aquam trepida manu incautius ferret et aliquid profunderet, si haec genuina scriptura esset. At videtur ea a correctore profecta esse, qui non intelligeret quod in libris inveniebat. Nam in septem codd. legitur *ἃδ' ἐς νᾶμα φέρει;* in tribus vel quattuor *ἃδ' εἰς νᾶμα φέρει;* in aliis tribus *ἀϊδ' ἐς νᾶμα φέρει*, ex quibus glossa affertur haec: *συνίζησις. ἴδε εἰς ποῖον ἀγγεῖον*. Integrior haec adnotatio apud

Valckenarium p. 331. s. scripta legitur: *ἴδε εἰς ποῖον ἀγγεῖον βάλλουσα φέρει τὸ ὕδωρ ἐμοί.* Scripserat interpres ille, nisi fallor, *εἰς ποιὸν ἀγγεῖον.* Legebat enim, ut videtur, *ἃ ἴδ' ἐς νᾶμα φέρει,* et *νᾶμα* putabat pro pollubro dictum esse. Porro ex uno codice adnotatum *ἄδδες,* quam vocem Gregorius Cor. de dial. Dor. §. 134. sine dubio ex hoc versu afferens, *δαψιλὲς* interpretatur. Denique codex unus ex Laurentianis isque optimus *ἃ δ' ἐς ὕδωρ φέρει,* vel, ut Gaisfordius refert, *ἀδὲς ὕδωρ;* Vaticanorum autem unus sic: *ἀδ' εἰς. ἄδδ' ἐς. νάμα φερη.* Quae etsi corrupta sunt, tamen antiquae et genuinae scripturae vestigia continere oportet, ut et *ἃ δ' ὡς* et *ἀδδὲς νᾶμα* conatus esse putandi sint emendantium, quorum alii *ὡς,* alii ab se ipsis inventum vocabulum *ἀδδὲς* posuerint, utrique *νᾶμα* aquam esse credentes.

At neque ex his verbis quidquam, quod cum illa loci interpretatione bene congruat, erui potest, nec caetera satis recte procedunt. Primum enim nimia est illa aquae commemoratio; deinde ignavia ancillae cur singulari illo *αἱ γαλέαι μαλακῶς χρῄσδοντι καθεῦδεν* castigetur non apparet; porro vix aptum *κινεῦ δή,* nisi
1072aliud quid agens cunctatur ancilla; tum quorsum *ὕδατος πρότερον δεῖ,* si nihil nisi id ipsum, aqua ut afferretur, imperatum erat? Denique etiam *ὅμως* non potest commode explicari. Haec omnia eo ducunt, ut probanda videatur eorum sententia, qui *νᾶμα* pro *νῆμα* dictum putantes, Praxinoam stamina et fila, quibus ad nendum vel texendum usa erat, suum in locum reponi iubere censent. Satius est enim proprie dictum credere *νᾶμα,* quam, ut quibusdam placet, vestem aut mantele intelligi, quorum neutrum veri simile aut credibile est. Mulier imperiosa, comitatura Gorgonem, quae mediis eius negotiis domesticis supervenerat, reponi priusquam exeat iubet quae negligenter in sella vel scabello iacent. Igitur imperat ancillae, ut stamina ista suum in locum referat, simulque minatur, si iterum sic in medio proiecta videat. Sic haec intelligenda esse vidit iam I. H. Vossius. Tum acerbe

addit illa, *αἱ γαλέαι μαλακῶς χρῄσδοντι καθεῦδεν*, scilicet ut mustelae, sive feles potius, de quo significatu dixit Perizonius ad Aelian. V. H. XIV. 4. molliter cubent. Dum autem colligit fila ancilla, idque lentius facere videtur, aquam poscit: unde iam recte et illud *κἀνεῦ δὴ* dicit, et non exspectans donec composita sint fila, prius sibi quam hoc agatur aquam afferri volens adiicit, *φέρε θᾶσσον ὕδωρ· ὕδατος πρότερον δεῖ*. Iam vero etiam quid iis quae sequuntur faciendum sit inveniri potest. Nam *ἃ δὲ* cum verbo tertiae personae coniunctum dubitare non sinit quin rixosa mulier indignetur, quod aliquid sinistre aut importune agat ancilla. Id quid sit, unius litterae mutatione invenietur. Consternata enim puella herae imperiis, quoniam lavare eam manus velle videt, ne novam conviciis materiam praebeat, ultro officiosa prius saponem quam aquam affert. Sic igitur hic versus scribendus videtur:

ἃ δὲ σμᾶμα φέρει. δὸς ὅμως· μὴ πουλὺ δ', ἄπληστε,
ἔγχει ὕδωρ.

Indignabunda mulier, *haec vero*, inquit, *saponem affert*: sed tamen usura eo addit *da tamen*: quumque deinde tremens ancilla largius affundit aquam, rursus eam increpat. Ad commendandam illam emendationem non opus est ut aliud afferam quam haec Athenaei IX. c. 77. *ἐχρῶντο δὲ εἰς τὰς χεῖρας ἀποπλύνοντες αὐτὰς καὶ σμήματι, ἀπορρύψεως χάριν, ὡς παρίστησιν Ἀντιφάνης ἐν Κωρύλῳ·*

ἐν ὅσῳ δ' ἀκροῶμαί σου κέλευσόν μοί τινα
φέρειν ἀπονίψασθαι. λύτω τις δεῦρ' ὕδωρ
καὶ σμῆμα.

V. 46. Interpunguntur haec sic:

πολλά τοι, ὦ Πτολεμαῖε, πεποίηται καλὰ ἔργα.
ἐξ ὧν ἐν ἀθανάτοις ὁ τεκών, οὐδεὶς κακοεργὸς
δαλεῖται τὸν ὄντα παρέρπων Λιγυπτιστί.

Ita si loquutus est Theocritus, non potuit non vituperare

videri Ptolemaeum Lagi f. Quare sic eum haec accipi voluisse crediderim:

πολλά τοι, ὦ Πτολεμαῖε, πεποίηται καλὰ ἔργα, ἐξ ὧ ἐν ἀθανάτοις ὁ τεκών.

1073 V. 50. Quod de Aegyptiis dictum est,

ἀλλάλοις ὁμαλοί, κακὰ παίγνια, πάντες ἐρειοί,

multam hariolandi materiam praebuit. Sed temere inventa non opus est refutari. De sola dicam Spohnii coniectura, cui aliquid tamen praesidii allatum est. Is *πάντ' ἐρίθυνοι* legendum putabat, quod glossae in cod. Paris. repertae essent *μεγαλοπρεπεῖς, ἔνδοξοι*, in Etym. Gud. autem p. 207, 51. legeretur: *ἐρίθυνος, ὁ ἔνδοξος. ἐρικυδέας, παρὰ τὸ θύνω τὸ ὁρμῶ.* At ea falsa ratiocinatio est. Nam ut *ἐρίθυνος* scripserit grammaticus ille, et adiecerit *παρὰ τὸ θύνω τὸ ὁρμῶ*, certo non pertinet ad hanc vocem explicatio quae addita est *ὁ ἔνδοξος*. Id monstrat Etym. M. p. 373, 52. in quo scriptum: *ἐρικυδέα, μέγα ἔνδοξον. παρὰ τὸ κῦδος, ἐρικυδής, ἐρικυδέος.* Ad Theocritum aliam interpretationem memoravit Valckenarius: *συμφωνοῦντες ἐν τῷ παίζειν·* sed eam qui scripsit, iunxisse videtur *ἀλλάλοις ὁμαλοὶ κακὰ παίγνια.* Quum multi codices in iisque optimi *ἐριοὶ* habeant, facillima et ad sententiam aptissima corrigendi ratio haec esse videtur:

ἀλλάλοις ὁμαλοί, κακὰ παίγνια πάντες ἔριθοι,

omnes ad vafre ludificandum mercenarii administri.

V. 51. *Ἵππους πολεμιστὰς* non esse quibus rex in bello uteretur docere potuerat Photius, cuius haec verba sunt: *πολεμιστὴς ἵππος, οὐχ, ὡς ἄν τις οἰηθείη, ὁ εἰς τοὺς πολέμους ἐπιτήδειος, ἀλλ' ὁ ἐν τοῖς ἀγῶσι σχῆμα φέρων ὡς εἰς πόλεμον εὐτρεπισμένος· ἦν γὰρ τοιοῦτον ἀγώνισμα.* Sunt ergo quos Germanice dicimus *Paradepferde.*

V. 59. Mirum in modum falsus est Spohnius, quum *ὅσος ὄχλος* in his verbis, *σπεύδωμες· ὅσος ὄχλος*

ἄμμιν ἐπιῤῥεῖ, sine metri vitio producta altera syllaba dici putabat. Admitti productio talis potest in longioribus vocabulis, maximeque in nominibus propriis, quod ea aliter aptari versui non possunt: ut Ἰδάλιον ἐφίλασας v. 100. et, quod tamen non scripsit Theocritus, v. 90. πασάμενος ἐπίτασσε: non in verbis brevioribus, nisi in exclamatione cum pausa in recitando coniuncta, ut v. 123.

ὦ ἔβενος, ὦ χρυσός,

et I. 115.

ὦ λύκοι, ὦ θῶες, ὦ ἀν' ὤρεα φωλάδες ἄρκτοι.

Minime omnium autem ἐμὶν et τεὶν vel τὶν illuc referenda erant, quae natura longam habent ι vocalem. Hoc quidem de quo quaerimus loco metrum salvum praestat scriptura ed. Flor. ὄχλος πολὺς ἄμμιν ἐπιῤῥεῖ: sed ea languida est, nec confirmatur a codicibus. Quin etiam scholiastes ad I. 42. scribit: κατὰ ταὐτά ἐστιν ἐλλιπὲς καὶ τὸ ὅσος ὄχλος ἄμμιν ἐπιῤῥεῖ. τὸ γὰρ ἐντελές, βαβαῖ τοῦ ὄχλου, ὅσος ἡμῖν ἐμπίπτει. Facillima ra-1074
tio emendandi haec est, ut particula inseratur. Non putaverim tamen Theocritum scripsisse σπεύδωμες, ὅσος γ' ὄχλος ἄμμιν ἐπιῤῥεῖ, quod haec particula aliquid languidi infert, sed magis probem σπεύδωμες· ὅσος δ' ὄχλος ἄμμιν ἐπιῤῥεῖ.

V. 60. Multorum codicum indicio aliquanto venustius quam in vulgata scripserat Theocritus:

Γ. ἐξ αὐλᾶς, ὦ μᾶτερ; ΓΡ. ἐγών, τέκνον.
Γ. εἶτα παρενθῆν
εὐμαρές.

V. 67. Scribendum erat, etiam si non praebuissent libri, μή τι πλαναθῇς.

V. 71. Quod Spohnius scripsit, homini, de quo hic loquitur Praxinoa, ἄνθρωπε dici, ut alibi ἄνερ, non est accurate dictum. Asperius est ἄνθρωπε; minus aspera, sed tamen non lenissima appellatio ὤνθρωπε; tranquilla et blanda ἄνερ.

V. 77. Mira atque incredibilia planeque rei de qua sermo est repugnantia excogitarunt viri docti, ut hoc proverbium explicarent, *ἔνδοι πᾶσαι, ὃ τὰν νυὸν εἶπ' ἀποκλάξας.* Proverbia saepe ab aliquo facto originem habent cuius memoria periit, nec quidquam remansit nisi ut sciatur qua occasione iis uti liceat. Et hoc quidem proverbium, quo hic utitur Praxinoa, tum dici, quum omnibus intromissis claudi fores possunt, res ipsa monstrat. Quod nisi quis ostendat, morem hunc quemdam fuisse in nuptiis, ut ingressis in domum vel conclave caeteris mulieribus postrema esset sponsa, quae ubi introisset, fores clauderentur, satius erit fateri nescire nos quo ex singulari facto ortum sit illud proverbium.

V. 79. Non aptum esse *θεῶν περονάματα φασεῖς* senserunt interpretes. Non multum adiuvamur duorum codicum diversitate scripturae, quorum alter *περονάματι,* alter *περνεύματα* habet. Sed Homericum illud consideranti Odyss. X. 222.

οἷα θεάων
λεπτά τε καὶ χαρίεντα καὶ ἀγλαὰ ἔργα πέλονται,

quod imitatum esse Theocritum illa produnt, *τὰ ποικίλα πρᾶτον ἄθρησον, λεπτὰ καὶ ὡς χαρίεντα,* veri simile credo videbitur, eum vocabulo non alibi quod sciam usurpato, sed recte a *χερνὴς* vel *χερνήτης,* propria verbi significatione, deducto scripsisse, *θεῶν χερνάματα φασεῖς.* Nisi forte ipse composuit *χερονάματα.*

V. 90. In Etym. M. p. 681, 54. et in Gudiano p. 490, 14. legitur *πασάμενος ποτίτασσε. Συρακοσίαις ἐπιτάσσεις.* Convenientius videtur iterari idem verbum. Et quidni *ποτίτασσε* genuinum credamus, quo productio brevis syllabae ante vocalem, de qua dictum ad v. 59. evitatur. Erit igitur et *ποτίτασσε* et *ποτιτάσσεις* scribendum.

1075 V. 94. Valde laborarunt viri docti, ut horum versuum sententiam expedirent. Plana sunt omnia, si sic interpunguntur:

μὴ φυίη, Μελιτῶδες, ὃς ἁμῶν καρτερὸς εἴη
πλὰν ἑνός. οὐκ ἀλέγω. μή μοι κενεὰν ἀπομάξῃς

Ne alloquio quidem dignandum esse hominem istum censens Praxinoa Gorgoni haec dicit: *absit ut quisquam nobis imperet praeter unum*: regem scilicet: *nihil curo*: *noli mihi inanem modium detergere.* Proverbium de iis intelligendum, qui faciunt quod vanum et sine utilitate est.

V. 101. Non ausim contra omnes libros *αἰπεινόν τ' Ἔρυκα* scribere, etsi et Stephanus diserte urbem quoque Erycem masculino genere dici ait, et exempla monstrant, quae qui cognoscere volet inveniet apud Cluverium. Mutare talia licet poetis, praesertim si distinguendae caussa a monte urbis sic loquutum putamus Theocritum.

V. 105. Quum et *φέρειν* et *φορεῖν* hic dici potuerit, nihil caussae erat cur librorum et Gregorii Cor. scriptura *φοροῖσαι* potius in *φέροισαι* quam in *φορεῦσαι* mutaretur.

V. 112. Errabat Spohnius quum *παρ μέν οἱ* dactylum esse putabat. Nec qui in eadem opinione est Iacobsius ad Anthol. Pal. p. 135. et 904. cogitasse videtur, singulis quae ex epicis talis ante *οἱ* correptionis exempla proferuntur, singula millia opponi posse pronominis quasi cum consonante pronunciati, ut non videatur dubitandum esse, quin ab epicis, iambographis, lyricis prorsus abiudicanda, solisque relinquenda sit Atticis ista correptio. Ex quo sequitur pro corrupto hunc versum habendum esse. Et quis ea de re dubitet, quum in promptu poetae fuerit scribere,

παρ μέν οἱ τόσα κεῖται ὅσα δρυὸς ἄκρα φέρονται?

Minus enim suave ad numeros est, quod ad Orphica p. 781. conieci, *παρ μέν οἱ κεῖθ' ὥρι'*, elegantiorque esset versus, si id scriberetur *παρ μέν οἱ κάθ' ὥρι'*. Est vero illi quoque suspicioni locus, ut propter similia versuum initia excidisse aliquid post *παρ μέν οἱ* coniiciamus, hoc autem in versu scriptum fuisse *παρ δέ οἱ ὥρια κεῖται*. Apud scholiastam scribendum: *εἰώθασι*

γὰρ ἐν τοῖς Ἀδωνίοις πυροὺς καὶ κριθὰς σπείρειν ἔν τισι ποαστρίοις. Ποάστριον Pollux VII. 184. χορτοκοπεῖον interpretatur. Non recte ibi interpretes, nec Lobeckius ad Phryn. p. 310. Χορτοκοπεῖον proprie est pratum foeno faciendo. Vide Geopon. III. 6, 7. Dioscorid. II. 176 (177). III. 18 (21).

V. 121. Scite defendit Spohnius ἀεξόμενοι, sed ἀεξομένων et ab libris plus firmamenti habet, et ad numeros elegantius est, recteque dictum videtur, si illa quoque arbusta in cito crescentibus hortis Adonidis numerantur.

V. 123. Legendum parte adscita Eldickii coniecturae:

ὦ ἔβενος, ὦ χρυσός, ὦ ἐκ λευκῶ ἐλέφαντος
αἰετῶ οἰνοχόον Κρονίδᾳ Διὶ παῖδα φέροντος.

Consociationem nominativi et genitivi defendit Kiesslingius Sophoclis exemplo. Patet autem ἐκ λευκῶ ἐλέφαντος οἰνοχόον esse iungenda. Ganymedes ex ebore, vestis eius ex auro, aquila ex ebeno erat facta.

V. 142. Non video quomodo defendi possit quod in libris est,

οὐ Πελοπηϊάδαι τε καὶ Ἄργεος ἄκρα Πελασγοί.

Nam neque Atreus et Thyestes, quos dici Briggsio vi-
1076sum, hic apte afferrentur, praesertim memorato iam Pelopis nepote Agamemnone, et omnino post Lapithas et Deucaliones nominandi erant aliqui longe antiquissimi et nobilissimi. Quare scribendum videtur,

οὐ Πελοπηϊαδᾶν τε καὶ Ἄργεος ἄκρα Πελασγοί.

Pelopeiadas dicit Peloponnesios. Accedit fides ex eo, quod non dixit οὐδ' Ἄργεος ἄκρα Πελασγοί, sed posuit τε καί.

XVI.

Hoc carmen, ut ex multis vestigiis colligi potest, non Dorica, sed communi epicorum dialecto scriptum fuit.

Quae eo continentur, vix sinunt dubitare quin poeta, quum saepius frustra operam dedisset ut ad Hieronem admitteretur, hoc id carmine consequi studuerit.

V. 4. Languidum est et inutile, quod quidam ediderant, *ἄμμιες δὲ βροτοὶ οἵδε*. Sic scribendus hic versus:

ἄμμιες δὲ βροτοί, οἱ δὲ βροτὰ βροτοὶ ἀείδουσιν.

V. 24. Ineptissimum esse quod libri habent, *τὸ δὲ καί τινι δοῦναι ἀοιδῶν*, fuerunt qui intelligerent. Poetarum si hic mentio fieret, non potuit v. 29. dici,

Μουσάων δὲ μάλιστα τίειν ἱεροὺς ὑποφήτας.

Ibi vero quum necessaria sit commemoratio poetarum, hic ei locus non poterat concedi. Non male igitur Passovius *ἄϊτῶν* coniecit, sed non est recte de amasiis interpretatus: non enim quod paucorum hominum proprium, sed quod commune omnium esset, hic erat commemorandum. Atqui *ἄϊται* vocati sunt etiam *ἑταῖροι*, i. e. qui dicto audientes essent: de quo vocabulo videndus Bachmannus ad Lycophr. 461. Non est tamen veri simile hoc Thessalico verbo hic usum esse Theocritum, tum propter ambiguitatem, quoniam amasii significatu usurpavit in caeteris locis, XII. 14. 20. XXIII. 63. tum quod librarii ii, qui veterem scripturam servarunt, *ἀϊτέων* posuissent; illi autem, qui Doricam dialectum intulerunt, scripsissent *ἄϊτᾶν*. Ordine memorandi erant, quibus aliquem bene facere deceret: primo sibi ipsi, deinde familiaribus, tum genti suae, postremo aliis quibuscumque hominibus. Quare scribendum puto:

ἀλλὰ τὸ μὲν ψυχᾷ, τὸ δὲ καί τινι δοῦναι ἀόζων.

Hi non sunt, ut Hesychius interpretatur, *μάγειροι*, sed, ut idem pergit, *ὑπηρέται, θεράποντες, ἀκόλουθοι*, auctorem nominans Callimachum. Etym. M. p. 116, 41. *ἀοζος, ὁ ὑπηρέτης· καὶ ἀοζήσω, ὑπηρετήσω.* Grammaticus in Bekkeri Anecd. p. 413, 31. *ἄοζος, διάκονος.*

V. 30. Scripsisse videtur:

ὄφρα καὶ εἰν Ἀΐδεω κεκρυμμένος ἐσθλὸς ἀκούσῃς.

V. 68. Legitur vulgo sic:

δίζημαι δ' ᾧ κεν θνατῶν κεχαρισμένος ἔλθω
σὺν Μούσαις· χαλεπαὶ γὰρ ὁδοὶ τελέθουσιν ἀοιδοῖς
κουράων ἀπάνευθε Διὸς μέγα βουλεύοντος.

At id nec linguae legibus consentaneum est, nec sententiam videtur aptam praebere. Nam poetae, qui sine Musis venirent, non essent poetae. Quocirca vereor ne correctionem grammatici in his habeamus, Theocritus autem scripserit,

δίζημαι δὲ τίνι θνατῶν κεχαρισμένος ἔλθω
σὺν Χάρισιν.

Gratiae enim sunt, quas et in prima parte carminis maxime celebravit, et in fine optat sibi adesse, ad easque
1077refert omnia, ut per eas patrocinium consequatur Hieronis. *Τίνι* praebent codices.

XXI.

Corruptissimum est et valde vel boni codicis vel docti scholiastae auxilium exspectat carmen vicesimum primum. In eo statim v. 8. 9. displicent articuli *τοίχῳ τῷ φυλλίνῳ* et *τὰ ταῖν χειροῖν ἀθλήματα*, ut scripsisse videatur poeta:

κεκλιμένοι τοίχῳ πρὸς φυλλίνῳ· ἐγγύθι δ' αὐτοῖν
κεῖτο τά τ' ἐν χειροῖν ἀθλήματα.

Mox *τὰ φυκιόεντά τε λῆδα* etsi ingeniose nec sine veri specie Briggsius *τὰ φυκιόεντα δελῆτα* scribendum coniecit, tamen haud scio an abstinendum a coniectando sit, exspectandaque ignoti vocabuli explicatio ab aliquo scholiasta aut grammatico.

V. 13. Legitur *εἵματα, πῖλοι*. Id si sic intelligitur, vestes pileosque iacuisse illo in tugurio, opulenti videri

deberent hi pauperrimi piscatores, qui certo non alia quam quibus induti erant vestimenta habebant. Quare haec coniungenda, εἵματα πῖλοι, *vestes eorum ex pilo erant.*

V. 15. Perelegans et nisi fallor vera est Briggsii emendatio,

οὐδὸς δ' οὐχὶ θύραν εἶχ', οὐ κύνα.

Nam etiam οὐδεὶς pro οὐδέτερος dictum vitii arguit librorum scripturam. Quae sequuntur, sic videntur scribenda esse:

πάντα περισσά,
πάντ' ἐδόκει τήνοις ἄγρας. πενία σφὰ ἑταίρα.

Omnia, inquit, ***omnia illi posthabebant piscatui.***

V. 25. In colloquio istorum hominum (verissime enim I. H. Vossius v. 21. αὐδὰν pro ᾠδὰν scribendum esse monuit) non apparet quid sibi velit Asphalio, quum dicit μὴ λαθόμην; Quid est enim quod possit oblitus esse? Certe non somnium: neque vero auroram, quae ipsa potius obliviosa erat dicenda. Scribendum videtur:

μὴ λάθε μ'; ἢ τί τὸ χρῆμα;

V. 28. Male Stephanus:

ἃ φροντὶς κόπτοισα μακρὰν τὰν νύκτα ποιεῖ τιν.

Quem non sequi editores, sed ποιεῖ τοι scribere debebant. Non enim encliticum est τίν, in quo ne Buttmannus quidem levitatis culpam effugit in gramm. Gr. vol. I. p. 295.

V. 32. Corruptissima esse quae hic leguntur apertum est:

οὐ γὰρ νικαξῇ κατὰ τὸν νόον· οὗτος ἄριστος
ἐστὶν ὀνειροκρίτας, ὃ διδάσκαλος ἐστὶ παρ' ᾧ νοῦς.

Quae hariolati sunt viri docti, tam nec veri similia neque apta sunt, ut operam perditurus sit, ea qui refutare velit. *Νικαξῇ* forma vitiosum est, nec rei convenit.

Νόον dubitari non potest quin referatur ad *ὁ διδάσκαλος ἐστὶ παρ' ᾧ νοῦς*: sed id non potuit *κατὰ τὸν νόον* dici, quod haec verba non significant *prudenter, scite, docte.* Sententia requiritur talis: non explicabit hoc somnium qui non valet iudicio: is enim optimus coniector, cui iudicium pro magistro adest. Ex his suspicio oritur, *κατὰ τὸν νόον* verba esse interpretis, excidisse autem aut adiectivum, cui adiecerit poeta *νόον*,
1078ut *νωθρὸς νόον*, aut vocabulum, in quo illud *νόον* reconditum latebat, ut *βραδυκάρδιος*. Itaque ad hunc fere modum haec videntur scripta fuisse:

οὐ γὰρ μὴ εἰκάξῃ νωθρὸς νόον· οὗτος ἄριστος
ἐστὶν ὀνειροκρίτας, ὁ διδάσκαλος ἐστὶ παρ' ᾧ
νοῦς.

V. 36. Recte videtur Boissonadus ex codicum scriptura eruisse *ἀλλ' ὄνος ἐν ῥάμνῳ*. Quae sequuntur ex Reiskii coniectura sic scribenda puto:

τὸ δὲ λύχνιον ἐν πρυτανείῳ.
φαντὶ γὰρ ἀγρυπνίαν τόδ' ἔχειν.

Hoc vero est, inquit, ***lucerna in Prytaneo.*** Nam *τὸ* hic pronomen demonstrativum, non articulus est.

V. 42. Mirum non receptam esse ab editoribus H. Stephani emendationem *ἐν πέτρᾳ βεβαῶτα*.

V. 47. Haec, partim iam ab aliis emendata, sic scribenda esse res ipsa monstrat:

τὸν κάλαμον δ' ὑπὸ τῷ κινήματος ἀγκύλον εἶ-
χον,
τῷ χέρε τεινόμενος περικλώμενος. εὗρον ἀγῶνα,
πῶς νιν ἕλω μέγαν ἰχθὺν ἀφαυροτέροισι σι-
δάροις.
εἶθ' ὑπομιμνάσκων τῶ τρώματος ἠρέμ' ἔνυξα,
καὶ νύξας ἐχάλαξα, καὶ οὐ φεύγοντος ἔτεινα.
ἤνυσα δ' ὧν τὸν ἄεθλον· ἀνείλκυσα χρύσεον
ἰχθύν,
παντᾷ τε χρυσῷ πεπυκασμένον.

Ipse incurvatus resistebat trahenti pondere suo pisci.

V. 58. Hic quoque a grammaticis mutata est vetus scriptura, quae haec fuit:

καὶ τὸν μὲν πίστευσα καὶ ἄγαγον ἀπειρώταν.

Hunc fidem habui et extraxi in littus. Ita dixit pro *πιστεύσας ἤγαγον.*

V. 67. Scribendum videtur:

μὴ τὺ θάνῃς λιμῷ καὶ σοῖς χρυσέοισιν ὀνείροις.

XXVII.

Initium huius carminis consideranti non potest quin primo adspectu verum videatur quod in editione Iuntina adnotatum est, *λείπει ἡ ἀρχή.* Sic enim, ut in libris haec scripta sunt, non coeptum esse hoc colloquium, quis dubitet? Sed alia sunt non minus inepta. Quis credat enim, postquam satis perspexerat puella quid vellet Daphnis, tum demum hunc rogare illa ut sub umbram arborum secum concedat, quo ei aliquid narret; quumque non vult, petere ut fistula canenti auscultet. Haec quidem initio colloquii, non mediae confabulationi conveniebant. Deinde versus 18. prorsus inepte insertus est, qui non solum interrumpit et turbat ordinem sententiarum, sed etiam insignem prodit stoliditatem Daphnidis, qui in medio sermone eoque tranquillissimo vi amplexari puellam conetur. Accedit quod versus ille etiam *στιχομυθίαν* violat. Nam qui alium, cuius ne de origine quidem constat, aperteque ex hoc ipso versu confictum, ei praemiserunt, plane id temere inepteque fecerunt. Etiam secundus carminis versus, scriptus ut nunc legitur, et isto loco, vitiosus est. Nam primum versum Daphnidis esse ipsa verba produnt. Ille secundus autem non potest puellae esse: neque vero Daphnis ita loqui potuit, quem profecto non osculata est puella. Haec omnia qui reputaverit, non deesse carmini initium, sed per errorem librariorum turbatum esse ordinem versuum intelliget. Restituto iusto ordine, levique facta emendatione in versu, 1079
qui in libris secundus est, omnia procedent rectissime:

Δ. Δεῦρ' ὑπὸ τὰς κοτίνους, ἵνα σοί τινα μῦθον ἐνίψω.

Κ. οὐκ ἐθέλω· καὶ πρίν με παρήπαφες ἀδεῖ μύθῳ.

Δ. δεῦρ' ὑπὸ τὰς πτελέας, ἵν' ἐμᾶς σύριγγος ἀκούσῃς.

Κ. τὰν σαυτῶ φρένα τέρψον· ὄϊζυον οὐδὲν ἀρέσκει.

Δ. τὰν πινυτὰν Ἑλέναν Πάρις ἥρπασε βωκόλος ἄλλος.

Κ. μὴ ᾽πιβάλῃς τὰν χεῖρα. καὶ εἰσέτι χεῖλος ἀμύξω.

Δ. μᾶλλον ἐμὰ δ' Ἑλένα τὸν βωκόλον ἔσσο φιλεῦσα.

Κ. μὴ καυχῶ, σατυρίσκε· κενὸν τὸ φίλαμα λέγουσιν.

Δ. ἔστι καὶ ἐν κενεοῖσι φιλάμασιν ἁδέα τέρψις.

Κ. τὸ στόμα μεὺ πλύνω, καὶ ἀποπτύω τὸ φίλαμα.

Δ. πλύνεις χείλεα σεῖο; δίδου πάλιν ὄφρα φιλάσω.

Κ. καλόν σοι δαμάλας φιλέειν, οὐκ ἄζυγα κώραν.

Δ. μὴ καυχῶ· τάχα γάρ σε παρέρχεται ὡς ὄναρ ἦβα.

Κ. ἃ σταφυλὶς σταφίς ἐστι, καὶ οὐ ῥόδον αὖον ὀλεῖται.

Δ. φεῦ, φεῦ, τᾶς Παφίας χόλον ἄζεο καὶ σύγε, κώρα.

Κ. χαιρέτω ἃ Παφία· μόνον Ἄρτεμις ἄμμιν ἀρήγοι.

Δ. οὐ φεύγεις τὸν Ἔρωτα, τὸν οὐ φύγε παρθένος ἄλλα.

Vbi invitantem sequi non vult puella, vi se eam ad exemplum Paridis rapturum minatur. Minatur illa contra, se labia eius unguibus laceraturam, si manum iniiciat, atque osculum extorquere velit. Tum ille: *potius mea*

tu Helena esto ultro pastorem osculans. Sic *μᾶλλον* dictum etiam v. 27.

XXVIII.

Initium huius carminis egregie restituit Theodorus Bergk, iuvenis optimae spei, qui ne litteram quidem de veterum codicum scriptura recedens scribendum vidit:

γλαυκᾶς, ὦ φιλέριθ' ἁλακάτα, δῶρον Ἀθανάας
γυναιξίν, νόος οἰκωφελίας αἶσιν ἐπάβολος.

Idem intellexit Aeolicos accusativos v. 10. *ἀνδρεῖοις πέπλοις*, v. 12. *μαλακοὶς πόκοις*, v. 15. *ἀέργοις δόμοις*, v. 20. *νόσοις λυγραίς*, et v. 21. *Μίλλατον* ex Choerobosco in Bekk. Anecd. p. 1398. tum etiam v. 13. quo Vaticani codicis scriptura ducit, *αὐτοενεὶ* reponendum esse. Praeter haec alia quoque vel praeter metri necessitatem vel in dialectum peccata licet animadvertere. Prioris generis sunt v. 4. *ὅππᾳ* et v. 6. *ὅππως*, et v. 16. inauditum *ὀππάσαι*, quae posita sunt ab iis, qui metri Aeolici imperitia nesciebant recte se et *ὅπᾳ* ot *ὅπως* et *ὀπάσαι* habere. In dialecto autem peccatum etiam v. 5. qui sic scribendus:

τυίδε γὰρ πλόον εὐάνεμον αἰτήμεθα πὰρ Διός.

V. 24. Legitur:

κεῖνο γάρ τις ἐρεῖ τῳ, ποτιδών σ', ἦ μεγάλα χάρις
δώρῳ ξὺν ὀλίγῳ.

Quae non adducor ut sic in hoc venustissimo carmine scripta fuisse credam. Quid enim? Aliquis hanc colum adspiciens alicui dicat: quis? cui? et quid dicat? magnam gratiam habere exiguum donum. Crediderim qui colum videat, admiraturum fortasse elegantiam esse: sed donum eam colum cuiuspiam esse unde sciat, nisi id prius ei dixerit Theugenis? Deinde gratum esse, unde cognoscat, nisi hoc quoque Theugenis dicat? Denique non

illum praedicare, quam gratum sit illud donum, decet, qui quanti faciendum sit aestimare non possit, sed ipsam Theugenidem, cui ea colus monumentum est viri amici. Praeterea illud *τίς τῳ* eo magis offensui est, quod *ἐρεῖν*, quantum ex Homero coniici posse videtur, digamma habuit. Has ob caussas mihi quidem vix dubitandum videtur, quin scripserit Theocritus:

κεῖνο γὰρ Ϝερέει τῷ ποτιδοῖσ', ἢ μεγάλα χάρις δώρῳ ξύν γ' ὀλίγῳ.

XXIX.

Non minus elegans alterum est Aeolicum carmen Theocriti, quod hodie iam neminem fore puto, qui Alcaeo adscribat. In hoc quoque *ὄππᾳ* v. 13. metri ignorantiae debetur, dialecti autem *ματῆς* pro *μάτης* a *μάτημι*. Sed praeter haec alia graviora in eo sunt vitia.

V. 6. Quid sit *ζῇ τὰν σὰν ἰδέαν*, non est inventus qui sic explicaverit, ut ea Graeca oratio esse videatur. Id opinor sic scripserat poeta:

τὸ γὰρ ἄμισυ τᾶς ζοΐας ἔχω
ζατέων σὰν ἰδέαν· τὸ δὲ λοιπὸν ἀπώλετο.

V. 19. Quod hic dicit poeta,

ἀνδρῶν τῶν ὑπερανορέων δοκέεις πνέειν,

in eo *πνέειν* est vivere cum aliquo spiritu, nec dicit aliud, quam superborum tu virorum aliquis esse videris. Quod sequitur,

φίλη δ', ἅς κε ζόῃς, τὸν ὔμοιον ἔχειν ἀεί,

vereor ut ante *ζ* corripuerit vocalem Theocritus: quare ex interpretatione hoc natum esse suspicor pro *ἅς κεν ἔῃς*.

V. 25. Incredibilis est editorum socordia, qui quod versus eos qui hunc sequuntur primus ex antiquo codice protulerit Casaubonus, licet illi postea reperti sint in compluribus libris, lacunae signo a praecedentibus separarunt. Tantum abest enim ut desit quidquam, ut cohaereant illi

versus cum versu 25. rectissime, modo emendetur qui aperte vitiosus est v. 26. Id intellexerat Graefius, sed non feliciter ei cessit emendatio. Quod legitur,

ὀμνάσθην ὅτι πέρυσιν ἦσθα νεώτερος,

in eo quum nec *πέρρυσιν*, nec *πέρυσσιν*, nec *πέρυσ'* eiusmodi sit, ut aliquid horum probari posse videatur, non magis autem Doricum *πέρυτις*, commemoratum illud a grammaticis in Bekkeri indice Anecdotorum v. *ἀμφικελευτὶς* et *αὖθιν*, admitti possit, succurrat fortasse Hesychius, apud quem invenitur *περσινὸν, ἔφηβον τὸν ἐξ ἐφήβων*, cui formae quodammodo fidem facit Erotianus p. 544. haec habens: *περσύας, ὁ περυσινὸς οἶνος, οἷον περυσίας τις ὤν.* Quae repetiit Favorinus. Hinc licet coniicere.

ἀλλ' ἀπὸξ ἁπαλῶ στύματός σε πεδέρχομαι
μνάσθην, ὅττι τε περσινὸς ἦσθα νεώτερος,
χὤτι γηραλέοι πέλομες πρὶν ἀποπτύσαι.

Per te tenerum os tuum, inquit, ***obtestor ut memineris te et superiore anno iuniorem fuisse, et cito homines senescere.*** *Μνάσθην* Aeolicus infinitivus est, ut *μεθύσθην* apud Alcaeum. Illud *περσινὸς* licebit etiam sic interpretari, ut sit, eo quem ex Hesychio memoravi significatu dictum, qui modo ex ephebis egressus est. Sic etiam Pollux II. 9. *περυσινόν, τὸν ἄρτι ἔφηβον.* Nisi scripsit poeta, *ὅττι τε περσινῶ ἦσθα νεώτερος, quod egresso ex ephebis iunior fuisti nondum egressus.*

DE

PAVLI EPISTOLAE AD GALATAS TRIBVS PRIMIS CAPITIBVS

DISSERTATIO*).

Si in indicenda solemni memoria Io. Avg. Ernestii, viri quondam inter philologos et magis etiam inter theologos clarissimi, materiam scribendi ex Christianorum libris sacris depromam, non alienum id quidem ab illius viri recordatione esse intelligo, sed sentio tamen verendum mihi esse ne apud nonnullos in magnae temeritatis reprehensionem incurram, quod vita usque adhuc in profanis litteris acta ea audeam attingere, quae nec iuris mei nec facultatis esse videantur. Verumtamen quum de tali sim loco dicturus, cuius omnis difficultas in verborum explicatione consistit, de qua ita inter se dissident theologi, ut pene desperent inventum iri quod satisfaciat: aequiore credo animo accipietur, si etiam eorum aliquis suam proferat sententiam, qui ignari illarum artium, quibus assidua Novi Testamenti tractatio veteri quadam consuetudine constrictos tenet interpretes, eam simplicitatem ac libertatem iudicii conservarunt, quam profanorum scriptorum lectio gignere solet atque nutrire. Non est enim

*) Edita est a. 1832.

mirum, qui sacris scriptis operam dant, tum propter ipsam auctoritatem horum librorum, tum exempla secutos Patrum atque ipsorum adeo Apostolorum, summa atque, ut dicam quod sentio, nimia diligentia in singulis prope verbis explicandis laborare: quo fieri non potest quin multa subtilius atque argutius distinguantur ac definiantur, quam cogitata sunt ab illis qui istis verbis sunt usi. Praeterea quum intellectum sit, linguae rationes ex profanis Graecorum scriptis non minus quam ex Hebraeorum dicendi consuetudine esse cognoscendas, adhiberi quidem illi Graeci scriptores coepti sunt ad explanationem Novi Testamenti, sed ita ut verba magis et formulae loquendi undique colligerentur, quam sensus ille multo usu partus consuleretur, cuius est etiam sine similiter dictorum comparatione quid possit dici perspicere: qui sensus si abest, phraseologiam vel laboriosissimam plus nocere quam prodesse, in profanis quoque scriptoribus cognitum est quorumdam etiam clarorum nominum exemplis. Graece quum scripti sint libri sacri, illud per se patet, linguam4 verbis verborumque coniunctionibus Graecam esse debere: neque hac in re quidquam difficultatis est, sed in eo, quod sententiarum conformationes et connexiones, ut ad Hebraeorum linguae exemplum compositae, saepenumero a Graecorum consuetudine discrepant. Accedit dicendi genus, ut hominum litteris non eruditorum nec iusta disciplina formatorum, confusum, inconcinnum, male ordinatum; tum vocabulorum non paucorum, et quidem eorum fere, quae praecipua sunt, late diffusa vis atque inde nascens ambiguitas; denique omnino sententiarum quarumdam atque opinionum obscuritas, qualis omnium est hominum religiosorum, ut quorum animi potius inexplicabilibus quibusdam sensibus moveantur, quam perspicue quidque distincteque cogitatum dispiciant. Commune id illi quidem cum piis habent, sed tamen ut ab his valde sint diversi. Piorum enim est, ea quae mens humana capere non potest ut sancta et homini non tangenda verecunde venerari: unde praeclare de priscis Germanis Tacitus: *deorum nominibus appellant secretum illud, quod sola reve-*

rentia vident. Religiosi autem aliquid amplius se possidere opinantur, et quum quid illud sit definire nequeant, speciem sibi quamdam ac simulacrum fingunt, quod amplectantur credendo. Quo fit ut pii esse possint, qui non sint religiosi; religiosi autem, qui non sint pii; utque pii se abstineant quidem ab iis quibus nihil sanctum est, sed non damnent alia credentes, modo iis pietas ne desit; religiosi autem fere non putent pios esse qui sancte vivant, sed persequantur omnes qui non eadem quae ipsi credant. Vt paucis dicam, religionis est opinari de sanctis; pietatis non opinari. Haec quorum in animis coniuncta sunt, his ea quae credunt non lex et norma agendi, sed incitamenta ad pietatem sunt. Et illi quidem scriptores, quorum libri Novo Testamento continentur, et pii fuerunt et religiosi: pii, quod ad pietatem instituti erant ab ipso sanctissimo magistro, cuius purissima doctrina nihil nisi vitae sanctitatem praecipiebat; religiosi autem per eam necessitatem, quam omnis imponit religio, quae a certo aliquo divinitus misso interprete ad homines allata creditur, praesertim quum nova est: quia divinam esse non propter veritatem eius credere solent homines, sed quod ab deo venisse persuasum habent. Quare in omni religione, quae non a natura imperata atque ex animi humani ratione hausta, sed ab aliquo divino nuncio accepta est, hoc primum est atque praecipuum, is nuncius ut credatur aliquis homine maior et ab ipso deo missus legatus esse, eaque opinio pro fundamento habeatur totius doctrinae ac disciplinae. Sed confudit haec confunditque adhuc hominum vel levitas vel perversitas, ut in credendo divino legato consummari religionem pietatemque putent, nec meminerint tantummodo pie vivendi caussa auctoritatem divinam interponi. Et illo quidem tempore, quo recens erat religio Christiana, prorsus illud erat necessarium, ut, si vel Iudaei vel aliae gentes abstrahendae essent ab illo quem a maioribus acceptum tenebant suorum deorum cultu, ante omnia eo ad veri dei reverentiam adducerentur, ut et crederent divinae naturae legatum ab ipsoque missum deo venisse, et credendo

id putarent veniam peccatorum aeternamque beatitatem impetrari. Ipsa enim religionis Christianae praecepta, quae non sunt alia quam quae mentis humanae ratio, unica veri rectique iudex, ab natura sibi impressa tenet, nihil valuissent ad evellendas ex hominum mentibus vanarum religionum superstitiones, nisi fides accessisset ab nuncio divino, coniuncta cum spe aeternae felicitatis. Itaque quum religione prius imbuendi essent hominum animi quam ad pietatem possent perduci, illud inprimis agere oportebat Apostolos, ut credendi eum esse fructum asseverarent, quem omnes appetebant: nec dubitandum est, quin multo maxima pars primorum Christianorum, sicut hodie quoque non pauci, Apostolici illi verius quam Christiani, credendo, quod facile est, quam pie casteque vivendo, quod difficile, deo se probatum iri existimaverint.

Praefatus haec sum, quia pertinent ad illam de qua dicere propositum habeo Pauli adversus Galatas disputationem, quae primis tribus epistolae ad eos datae capitibus continetur. Spectat enim tota ad illam religiosam fidei notionem, qua persuasio de Iesu munere divino, quae fons pietatis et via ad aeternam beatitatem sit, cogitatur. Nam Iudaeos, qui in Galatia Christianam doctrinam acceperant, quum ad patria instituta reverti videret, commonet Paulus illa epistola, ut relicta pristina superstitione in fide Christiana permaneant. Eo consilio primum de se ipso exponit, docetque veram esse quam iis tradiderit doctrinam, quia ex acerrimo hoste Christianorum ipsius dei beneficio non modo Christianus factus, sed etiam designatus ad docendam Iesu doctrinam sit, ita ut eo munere prius etiam sit functus quam convenerit cum illis qui Hierosolymis vivebant primi Apostoli. Multis demum annis post illuc se esse profectum, ut communicaret cum illis quid doceret, cognosceretque an id probarent: quod se fecisse propter eos, quibus hoc suum docendi munus suspectum esset. Tantum vero afuisse ut admonitus sit6 ab illis, qui tum principes essent muneris apostolici, ut etiam dextris datis secum partiti sint docendi provincias. Quin postea graviter ab se reprehensum esse Petrum,

qui se metu Iudaeorum indulgentem pristinae superstitioni praebuisset.

Subsistam paullum in hoc loco, quoniam sunt in eo quae non recte intellecta videantur. Nam quod dicit II. 2. *ἀνέβην δὲ κατὰ ἀποκάλυψιν καὶ ἀνεθέμην αὐτοῖς τὸ εὐαγγέλιον ὃ κηρύσσω ἐν τοῖς ἔθνεσιν*, in his illa, *κατὰ ἀποκάλυψιν*, non significant *propter divinum quoddam monitum*, ut Luthero aliisque visum. Nam nec verum id est, ut ex Actis Apostolorum c. XV. 2. constat, frustraque quae ista divinatio fuerit quaesitum est, nec verba illam praebent sententiam, sed significant *explicationis caussa*, i. e. ut patefieret inter ipsos quae vera esset Iesu doctrina. Illud, quod Lutherus expressit, Graece quoque dicendum erat *κατά τινα ἀποκάλυψιν*. Nam etsi etiam *κατὰ ἀποκάλυψιν* significare potest *secundum admonitionem divinam*, tamen id linguae leges non aliter ferunt, quam ubi distincte divina admonitio ab alia caussa discernenda est eique opponenda.

Similiter erratum video in his verbis v. s. *οἷς οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν τῇ ὑποταγῇ*. Nam quod visus est dicere Paulus, se ne horae quidem spatium illis non genuinis fratribus obsequium praestitisse, id et falsum est: non enim numquam opinionibus Iudaeorum cessisse Paulum ex Actis XVI. 3. cognitum habemus: nec verba patiuntur propter accessionem articuli, quo certum obsequium designatur. Praeterea inutilis esset tota commemoratio obsequii, quia satis erat *οὐκ εἴξαμεν* dixisse. Immo quam *τὴν ὑποταγὴν* finite vocat Paulus, obsequium est Christo debitum, quodque dicit, hoc est: petiisse se Hierosolyma propter fratres non genuinos, qui irrepsissent ut observarent quid doceret, quod eum doctrinam Iesu pro suo arbitrio diffingere suspicarentur: illis vero se ne horae quidem spatium Iesu obsequio segniorem fuisse.

Aliud dictum legitur v. 6. quod non videntur recte accepisse, qui sic verba interpunxerunt: *ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι (ὁποῖοί ποτε ἦσαν οὐδέν μοι διαφέρει· πρόσωπον θεὸς ἀνθρώπου οὐ λαμβάνει) ἐμοὶ*

γὰρ οἱ δοκοῦντες οὐδὲν προσανέθεντο. Nam ne commemorem orationem sine caussa interpellatam et mox denuo paullo aliter inceptam, parenthesis ista quodammodo contraria est consilio scriptoris. Non enim nihil, sed multum se tribuere viris illis primariis ostendit, auctoritateque utitur eorum, ut vera esse quae doceat demonstret. Quare probabilius illi interpretes, qui haec coniungentes, *ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι, ὁποῖοί ποτε ἦσαν, οὐδέν μοι διαφέρει,* hoc dici putarunt: *ab illis, qui principes habentur, nihil mihi dissensionis est.* Sed tamen, ut ratio linguae hanc interpretationem admittat, usus ei videtur refragari. Quare, si quid ego video, rectius ista sic procedere credentur: *ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι — ὁποῖοί ποτε ἦσαν οὐδέν μοι διαφέρει· πρόσωπον θεὸς ἀνθρώπου οὐ λαμβάνει.* Dicta haec sunt ea figura, quam aposiopesin vocant. Quod si plene enunciantur, hoc dicit: ab illis autem, qui principes esse credebantur, quid metuerem? Quiqui illi fuerunt, etiam si ab ipso Iesu instituti, nihil interest: personam hominis deus non respicit. Mihi enim nihil illi mandarunt. Hoc modo si loquitur, non, quemadmodum parenthesi ista, parvi facere primos illos Apostolos, sed potius quo decebat loco numerare videbitur. Rationem enim reddit, cur sibi illi non fuerint metuendi: quae haec est, quod etiam si illi ipsum Iesum audiverint, tamen sibi quoque ab deo, qui personam non respiciat, idem sit veritatis lumen concessum. In eamdem sententiam II. ad Corinthios XI. 5. scripsit: *λογίζομαι δὲ μηδὲν ὑστερηκέναι τῶν ὑπερλίαν ἀποστόλων.*

Paullo post, v. 12. veram esse arbitror, quam Lachmannus, cuius egregiam recensionem sequor, reposuit scripturam, *ὅτε δὲ ἦλθεν.* Speciose singularis mutatus fuerat in *ἦλθον*, quum non esset animadversum, in his ipsis Petrum fuisse, quos modo dixit *τινὰς ἀπὸ Ἰακώβου.*

Sequitur a v. 15. ipsa disputatio, qua refutat Paulus eos ad quos scribit. Nam etsi quae hinc usque ad finem capitis leguntur, ita sunt comparata, ut ad ea,

quae se Petro dixisse ait, pertinere possint: tamen nec, si ita esset, ἡμεῖς satis recte dixisset, quod dicendum erat καὶ ἡμεῖς, et aptius videtur, quum haec ad refellendum errorem Galatarum spectent, his ea explicari: sic autem recte se habet ἡμεῖς. Sed verba illa interpungenda sunt hoc modo: *ἡμεῖς φύσει Ἰουδαῖοι καὶ οὐκ ἐξ ἐθνῶν ἁμαρτωλοί· εἰδότες δὲ ὅτι οὐ δικαιοῦται ἄνθρωπος ἐξ ἔργων νόμου, ἐὰν μὴ διὰ πίστεως χριστοῦ Ἰησοῦ, καὶ ἡμεῖς εἰς χριστὸν Ἰησοῦν ἐπιστεύσαμεν, ἵνα δικαιωθῶμεν ἐκ πίστεως χριστοῦ καὶ οὐκ ἐξ ἔργων νόμου, ὅτι ἐξ ἔργων νόμου οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σάρξ.* In illis quae prima sunt verbis omissum est *ἐσμέν*.

Continetur autem iis quae hinc usque ad finem capitis dicuntur argumentatio talis: si homo deo probatur non legis patriae observantia, sed fide Christo habenda, non debent ad legem illam revertere, qui se Christi disciplinae addixerunt. Haec explicans quum dicit v. 19. *ἐγὼ γὰρ διὰ νόμου νόμῳ ἀπέθανον*, quidam interpretes *διὰ νόμου* de lege Christiana intelligendum putarunt. At id nec per verba licet, nec necessarium est per sententiam. Immo quum modo praecesserit *ἃ κατέλυσα*, apertum est, si minus breviter locutus esset, dicturum fuisse Apostolum *διὰ νόμου ὃν κατέλυσα*. Hoc loquendi genus explicaverunt, ut aliquos saltem nominem, Lobeckius et Erfurdtius ad illud in Sophoclis Aiace v. 674.

δεινῶν τ' ἄημα πνευμάτων ἐκοίμισε
στένοντα πόντον.

Subtilior est atque argutior disputatio, qua in tertio capite refellere Galatas studet Apostolus. Ea ex duabus constat partibus, quarum prima continetur versibus qui ab initio sunt quattuordecim. Disputat autem hoc modo. Praedictus est a prophetis cruciatus Iesu, per quem, non per legem, illa animorum pietate (hoc est enim *τὸ πνεῦμα*) imbuti estis, propter quam tot mala pertulistis, quae vos non puto velle sine caussa sustinuisse. Imbuti estis autem illa pietate unice per fidem, per quam solam deo probamini, sicut per fidem probatus est Abraamus. Ipsi

enim vestri hoc libri sacri testantur, per fidem probari homines deo. Ideo praedictum est Abraamo, propter fidem eius omnes gentes ad beatitatem vocatum iri. Ergo qui fidem habent, beati redduntur una cum Abraamo, non qui ex lege Mosis pendent. Hi enim exsecrationi sunt obnoxii, quia exsecratus est quisquis non servat omnia quae lege ista praescripta sunt. Ea exsecratione exsolvit nos Christus eo, quod ipse eam in se suscepit: exsecratum enim in libris sacris scriptum est esse, qui in cruce pependerit: id fecit autem ut gratia Abraami eventum haberet in gentibus, quo promissionis illi datae per fidem compotes fieremus.

In his illa v. 5. *οἷς κατ' ὀφθαλμοὺς Ἰησοῦς χριστὸς προεγράφη ἐσταυρωμένος*, et ab Luthero et ab aliis sic accepta esse video, quasi dicat *quibus ante oculos picta est imago Christi cruci affixi.* At primo qui *προγράφειν* isto significatu dixerit, vix invenietur: nam qui ex Aristophanis Avium v. 450. testimonium petiverunt, non videntur inspexisse illos versus, in quibus de scripto publice proposito sermo est. Deinde vero, ut concedamus dictum esse ista potestate hoc verbum a Paulo, quid hoc ad rem, si quis oratione vel maxime ad commovendos animos facta cruci affixum Iesum depinxerit? Nam etiam quae numquam facta sunt, ita exornari verbis possunt, ut vehementer commoveantur audientes. Gravius quid dicendum erat, et quod certam persuasionem afferret. Atqui id inest in verbis illis,9 si simplici et propria potestate dicta accipiuntur. *Quis*, inquit, *vos fascinavit, quibus ante oculos praedictio fuit Christi in crucem sublati?* Ad vaticinia enim prophetarum provocat, ut firmum disputationi suae fundamentum iaciat, in primisque in mente habet illud Iesaiae LIII. 12. *ἀνθ' ὧν παρεδόθη εἰς θάνατον ἡ ψυχὴ αὐτοῦ*, et quae sequuntur.

Praeterii in illa disputatione ea, quae scripsit v. 11. 12. *ὅτι δὲ ἐν νόμῳ οὐδεὶς δικαιοῦται παρὰ τῷ θεῷ δῆλον, ὅτι ὁ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται, ὁ δὲ νόμος οὐκ ἔστιν ἐκ πίστεως, ἀλλ' ὁ ποιήσας αὐτὰ ζή-*

σεται ἐν αὐτοῖς. Nam haec explicandi caussa inserit, non pertinentia ad ipsam demonstrationem. Est autem in verbis illis aliquid et obscuritatis et perversitatis. Nam quod dicit, per legem neminem probari deo propterea manifestum esse, quia iustus per fidem probetur, lex autem non sit fidei adstricta, sed qui legem observet per legem probetur: id sic demum verum est, si probari per fidem est vere probari, probari autem per legem non est probari vere. At id omisit. Omissa autem hac sententia concidit totum argumentum, quod nunc huiusmodi est: non probatur homo deo per legem: nam fidelis per fidem, legis observator per legem probatur. Ex quo quid sequitur aliud, quam probari utrumque, sed propter diversas causas? Incidisse hic videtur Paulus in commune illud vitium hominum religiosorum, ut placita sua usque ingerant cupidius, eoque obliviscantur rationem reddere. Comparari cum his possunt, quae similiter, sed paullo explicatius scripsit in epistola ad Romanos X. 5. *Μωυσῆς γὰρ γράφει τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου, ὅτι ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτῇ· ἡ δὲ ἐκ πίστεως δικαιοσύνη οὕτως λέγει·* (omitto intermedia) *ἐγγύς σου τὸ ῥῆμά ἐστιν, ἐν τῷ στόματί σου καὶ ἐν τῇ καρδίᾳ σού· τοῦτ' ἔστιν τὸ ῥῆμα τῆς πίστεως ὃ κηρύσσομεν, ὅτι ἐὰν ὁμολογήσῃς ἐν τῷ στόματί σου κύριον Ἰησοῦν καὶ πιστεύσῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σοὺ ὅτι ὁ θεὸς αὐτὸν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν, σωθήσῃ. καρδίᾳ γὰρ πιστεύεται εἰς δικαιοσύνην, στόματι δὲ ὁμολογεῖται εἰς σωτηρίαν.*

Sentiebat vero Paulus, quae subtilius disputasset, plus esse ponderis habitura, si accommodatius ad communem captum explicarentur. Itaque alia via rem aggreditur, tritaque illa utitur comparatione testamenti. *Humanum quoque testamentum*, inquit, *quod legitime conditum est et sancitum, nemo rescindit aut additamentis vitiat. Atqui Abraamo et semini eius data est promissio: quod semen quia numero singulari dictum est, de Christo est accipiendum: ergo lex Mosis, quae quadringentis et triginta an-*

nis post illam promissionem lata est, non potuit ei quidquam aut derogare aut obrogare. Nunc si ordine atque accurate rationem concluderet, sic diceret: nam aut ex lege hereditas est, aut ex promissione: atqui non est ex lege, sed ex promissione illa: ergo nihil lex ad hereditatem. Verum non ita, sed negligentius ratiocinatur: *nam si ex lege est hereditas, non est ex promissione: per promissionem autem Abraamo gratificatus est deus.* Conclusionem omittit, relinquens eam legentibus: id quod mox iterum facientem videbimus. Et non male quidem procedit haec demonstratio, nisi quod, quum semen Abraami, quia sit numero singulari dictum, de Christo intelligit, aperte argutatur. Et videatur id fortassis alicui nulla necessitate cogente fecisse, quia idem esset assecutus, si sic acceptis verbis uti sunt accipienda, nunc illam vivere hominum generationem dixisset, in qua rata fieret per fidem Christi illa Abraamo data promissio. At non temere eum, sed provide et quia consilium eius exigebat, hanc interpretationem attulisse, infra ostendemus.

Apertum est autem non satis esse, si legi nihil communionis sit cum testamento et hereditate quae ex eo testamento sit capienda. Relinquitur enim ut quaeratur, quid tum sibi velit lex et quorsum lata sit. Id igitur ipse sibi obiicit, respondetque ita, ut salva quam modo posuerat demonstratione non modo non inutilem fuisse legem, sed etiam sapientissimo consilio latam esse ostendat. Quod facit his verbis v. 19. 20. *τί οὖν ὁ νόμος; τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη ἄχρις οὗ ἔλθῃ τὸ σπέρμα ᾧ ἐπήγγελται, διαταγεὶς δι' ἀγγέλων, ἐν χειρὶ μεσίτου. ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν· ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστίν.* Datam esse legem ait peccatorum coercendorum caussa, ut interim valeret, usque dum illud semen Abraami exoreretur, in quod expeterent illa Abraamo data promissa. Est haec quidem non sane improbabilis caussa, sed tamen eiusmodi, ut verendum fuerit ne speciem magis veri habere quam esse vera videretur, si nihil aliud esset ostensum,

quam non pertinere legem ad hereditatem ex promissis. Obiici enim poterat, etiamsi ex promissis illis repetenda esset beatitatis per fidem Christi impetratio, tamen legem Mosis divinam esse; ergo non abiiciendam esse, sed observandam potius religiosissime, tamquam aliam non coniunctam cum fide Christiana constitutionem dei. Id igitur videns Paulus operam dedit ut validius affirmaret, sic latam esse legem, ut desinere debuerit per fidem Christianam. Quocirca primo elevat auctoritatem legis eo, quod eam non, quemadmodum promissionem illam quam
11 Abraamus accepit, ab ipso deo datam, sed dispositam per angelos et interventori in manus traditam, peccatorum caussa promissioni illi adiectam dicit. Quae quum non sint in sacris Iudaeorum libris scripta, tamen tam confidenter posuit, ut non sit dubitandum, quin illa tum apud Iudaeos pervulgata opinio fuerit. Quis autem credat eum temere et sine caussa, ac non potius propterea illis verbis usum esse, quod e re sua essent et ad confirmandam sententiam aptissima? Nam ut id ipsum declaret, quod dixit, *ἄχρις οὗ ἔλθῃ τὸ σπέρμα ᾧ ἐπήγγελται*, illud adiicit, *ἐν χειρὶ μεσίτου*: quia, si conceditur interventorem fuisse Mosen, concedendum est etiam non diutius valuisse legem eius quam quoad nondum exstitisset semen illud in quo exitum haberet multo lege antiquior dei promissio. Nimirum quod paullo ante in seminis appellatione consulto fecit, eam ut in alium significatum detorqueret, id ei hic nescio an imprudenti potius quam scienti in nomine interventoris acciderit, quod ambiguitate vocabuli deceptus sic posuit, ut, si severius exigimus, interventor intelligendus sit is, qui tempore medius est. Tribuere enim eum aliquid huic appellationi *μεσίτου* ex eo apparet, quod illa addit: *ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν· ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστίν*. Quae verba si ab aliquo profano scriptore posita essent, nemini cuiquam in mentem venisset dubitari de eorum sententia posse. Adeo simplicia, adeo plana, adeo ad vim ratiocinationis necessaria sunt. Nunc quoniam in Novo Testamento leguntur, alia potius omnia, quam id quod

solum possunt, significent? Ferunt enim, quae excogitatae sint horum verborum interpretationes numerari ad hunc diem, horrendum dictu, quattuor et trecentas. Quarum quum aut unam, aut nullam veram esse oporteat, inanis labor est vel cognoscere tot sententias, quae non possint non falsae esse omnes, nisi forte una earum vera esse reperiatur. Quare hoc postulare iure nostro videmur, ut, in quo omnes consentire putamus, ea demum iusta interpretatio esse censeatur, quae et verborum naturali potestati maxime sit accommodata et sententiam praebeat eam quam consilium scriptoris necessariam esse monstret. Atqui verba si spectamus, his nullo pacto aliud contineri potest quam hoc: *interventor autem non est unius: deus autem unus est.* Idque vertendo Lutherus expressit rectissime. Nunc interventor si dicitur non esse unius, id quid tandem aliud est quam, interventor ubi sit, duos minimum esse oportere inter quos ille interveniat? Quod si necessario haec in illis verbis inest sententia, non in ipsis quidquam obscuri est aut ambigui, sed, si quid relinquitur dubitationis, est id in eo, 12
cur illud dixerit Paulus. Id vero declarant postrema illa: ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστίν. Ex quibus patet hoc eum dicere: interventor non est unius: deus autem unus est: ergo apud deum cogitari non potest interventor; esset enim is qui intercederet inter deum et deum, quod absurdum est. Hanc conclusionem, quia sponte intelligi videbat, omisit Paulus, similiter ut v. 18. Quoniam enim deum cum testatore comparavit, cuius rite conditum testamentum nemo rescindat et refingat, consequens est soli in ea re locum esse uni testatoris personae nec posse alium quempiam inter testatorem et heredem intercedere, quia etiam qui ante multa secula heres scriptus est, tamen ex sola illius unius voluntate, qui fecit testamentum, hereditatem adit. Iam vero apparet non temere ista et sine caussa, sed cogitate et re ipsa exigente esse adiecta. Id agebat Paulus, ut ostenderet, legem Mosis, quae nihil neque cum promissione Abraamo data neque cum praesente effectione illius promissionis commune ha-

beret, dumtaxat interim valuisse, iam autem non amplius valere. Rationem reddit hanc, quod superaddita sit, (ideo προσετέθη dixit) eoque non pertineat ad testamentum, cui non liceat quidquam addi; deinde quod non, sicut testamentum illud, ab ipso deo condita et data, sed disposita per angelos allataque sit manu interventoris: atqui interventori, quod interventor non sit unius, non esse locum apud deum, qui unus sit, utpote testator, cuius unius ex voluntate nemine intercedente hereditatem capiat heres.

Veram esse quam attulimus interpretationem etiam alio argumento cognoscitur. Nam quum verba illa non possint aliud significare quam, quod diximus, interventorem non esse nisi inter plures uno: qua tandem caussa adiecisse illa Paulum censebimus, nisi ut comprobaret id ipsum, de quo disputabat, intermedium quid esse legem, nec pertinere ad promissionem illam eiusque eventum? Profecto non ut explicaret μεσίτης quid esset, vel potius quid non esset. Dementis est enim, posito aliquo nomine, quod quid significet apertissimum est, sine caussa dicere id nomen quid non significet. Neque vero ut doceret inter deum et Iudaeos Mosen intercessisse. Nam hoc quoque absonum addidisset, tum quia per se intelligebatur, tum quia, si hoc diceret, alienum quid memoraret: non enim inter quos esset interventum, sed an esset interventum, illud erat de quo quaerebatur. Accedit quod sic non poterat dici ὁ δὲ θεὸς εἷς, sed dictum oportebat ὁ δὲ θεὸς ὁ εἷς.

At, inquiat fortasse aliquis, si negat Paulus interventori in capienda hereditate locum esse, quia unus idem-
13que sit qui testatus sit et ex cuius voluntate capiatur hereditas, quomodo potuit μεσίτην διαθήκης dicere, quod fecit in caeteris locis omnibus, ubi illa μεσίτου appellatione utitur? Fecit vero: attamen tantum abest eo ut secum pugnet, illis exemplis ut ea quae ad Galatas scripsit etiam illustrari videantur. Nam Mosen quum Iudaei μεσίτην appellabant διαθήκης, eum intelligebant, qui acceptam ab deo legem et sibi in manus traditam ad eos

attulisset cum iisque communicasset. Interventor ergo propterea dicitur, quia non ipse deus Iudaeis legem promulgaverit, sed per alium. Vbi igitur de Iesu loquitur Paulus, qui divinae voluntatis interpres hominibus exstiterit, cum Mose eum comparat, per quem allata ad Iudaeos fuerit lex illa, qua usque illo erant usi. Hinc de Iesu scribit ad Hebraeos VIII. 6. *νῦν δὲ διαφορωτέρας τέτυχεν λειτουργίας, ὅσῳ κρείττονός ἐστιν διαθήκης μεσίτης, ἥτις ἐπὶ κρείττοσιν ἐπαγγελίαις νενομοθέτηται· εἰ γὰρ ἡ πρώτη ἐκείνη ἦν ἄμεμπτος, οὐκ ἂν δευτέρας ἐζητεῖτο τόπος.* Eamdemque ob caussam Iesum IX. 15. XII. 24. *καινῆς* et *νέας διαθήκης μεσίτην* vocat, quia prius illud testamentum, ut ad Galatas IV. 24. dicit, in monte Sina est acceptum. In prima vero ad Timotheum epistola II. 5. prorsus reiecto Mose scribit: *εἷς γὰρ θεός, εἷς καὶ μεσίτης θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, χριστὸς Ἰησοῦς.* Quorum verborum haec sententia est, sicuti unus sit deus, sic etiam unum modo verum esse inter deum et homines intercessorem Iesum. Apparet ex his, *μεσίτην διαθήκης* dici qui voluntatis divinae declarationem ab deo ad homines perferat. Nunc vero intelligi potest, cur illa Abraamo dicta verba *καὶ τῷ σπέρματί σου* de Iesu, non de posteris Abraami sit interpretatus. Nam posteritatem Abraami si significari concederet, non posset Mosis praeceptorum auctoritatem eo minuere, quod is nihil nisi intercessor fuisset, siquidem etiam illis Abraami posteris, ut novam dei legem acciperent, interventore opus erat Iesu. Id ergo ut declinaret, Iesum ipsum contendit semen Abraami esse. Hunc autem si facit heredem ex testamento, excluditur interventor, solo relicto testatore deo, verumque est, quod dicit, unius non esse interventorem; unum enim esse deum.

Sed dicendum est etiam de reliqua parte capitis. Quum pergit, *ὁ οὖν νόμος κατὰ τῶν ἐπαγγελιῶν*, non est obscurum haec verba non ad illa proxime praegressa, *ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν· ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστίν*, sed ad universam sententiam spectare, quae comprehensa est versibus 19. et 20. Quibus quum hoc dicatur, le-

gem Mosis dumtaxat interim valuisse, usque dum rata
14fierent promissa Abraamo data: consequitur iam legem illam pro abrogata esse habendam. Abrogatur autem lex eo, quod aliud constituitur nova lege. Ergo pugnat vetus lex cum nova. Sed quae ad hanc obiectionem respondet Paulus, valde perplexa sunt. Recte atque ordine disputaret, si distinctis quae inter se diversa sunt legis praeceptis ita diceret: non repugnat lex Mosis iis, quae Iesus docuit, in iis rebus, quae ad vitae et morum probitatem pertinent; repugnat in iis, quae ad ritus, caeremonias, aliaque nihil ad virtutem conferentia spectant: quae constituta sunt, ut interea metu coerceremur, atque ita quasi educaremur ad recipiendam quae nunc patefacta est fidem. Sed quominus ita distingueret, et Iudaeorum opiniones et ipsius placita impediebant. Apud Iudaeos nihil profecisset ista distinctione: confudissent enim utrumque praeceptorum genus, et, si in parte legis sustentata esset Mosis auctoritas, nefas duxissent eam in altera parte negligere. Ideo Paulus V. 3. dicit: *μαρτύρομαι δὲ πάλιν παντὶ ἀνθρώπῳ περιτεμνομένῳ ὅτι ὀφειλέτης ἐστὶν ὅλον τὸν νόμον ποιῆσαι.* Ipse autem Apostolus, qui ubique fidem opponit legi, legis eam habuit notionem, ut facta legi propter metum vel caecam obedientiam consentanea intelligeret, quod contra fides in animi pii iusta voluntate cerneretur. Praeterea legem Mosis, quae et divina esse crederetur, et summam ab longa consuetudine sanctitatem haberet, ita sentiebat removendam esse, ut, etsi abrogatam volebat, tamen ei suum pretium suaque dignitas relinqueretur. Itaque sua haec secutus placita, quum refellere studeret illud quod ipse sibi obiecerat, fecit id quidem, sed confuso ordine sententiarum. Sic enim debebat dicere: non repugnat lex promissis, sed data est educandi nostrum caussa, ut postquam educati essemus, carere possemus educatore: nam legis vis omnis in eo erat, ut factis ne peccaretur, non ut voluntas esset iusta: quam voluntatem postquam per fidem sumus consecuti, recte carebimus lege, ut qui etiam sine ea satis incitamenti ad virtutem habeamus.

Nunc ille haec impeditius et confusius disputavit: quo factum est ut iteraret, quod satis erat semel dixisse. Sic enim explicat: *lex igitur contraria est promissis? absit*: *nam si data esset lex talis, quae beare homines posset, vere per legis observantiam probaremur deo*: *at concluserunt libri sacri cuncta in peccato.* His quoniam, pro consuetudine Iudaeorum ubique memorationem consilii importune adnectendi, inutilem hoc loco sententiam adiecit *ut promissa per fidem Iesu in fidentibus rata fierent*, coactus fuit sic pergere, ut repeteret quae modo dixerat, scriberetque: *prius autem quam fides veniret, legis finibus* 15
inclusi custodiebamur in adventum appariturae fidei: *quare lex educatrix nostra facta est, ut per fidem probaremur*: *quae postquam venit, non amplius educatrici sumus subiecti.*

Obscurum est in his illud, *συνέκλεισεν ἡ γραφὴ τὰ πάντα εἰς ἁμαρτίαν.* Apertior huius locutionis ratio est in epistola ad Romanos XI. 32. *συνέκλεισεν γὰρ ὁ θεὸς τοὺς πάντας εἰς ἀπείθειαν, ἵνα τοὺς πάντας ἐλεήσῃ.* Et cogitavit quidem simile quid in illis quae scripsit ad Galatas, sed tam parum explicate, ut, si dixit, quod quibusdam visus est, scriptum esse in libris sacris cuncta obnoxia esse peccato, vehementer vacillet eius disputatio. Quoniam enim demonstrare vult, legem Mosis non esse talem, ut per eius observantiam deo probentur homines, nihil ad rem, si, ut ait ad Romanos III. 9. 10. 23. non possunt homines non peccare. Ac peccatum et ante legem esse ipse confitetur in eadem ad Romanos epistola V. 13. nec qui sublata lege Iesum sequuntur immunes sunt peccandi. Itaque illud potius animo eius obversatum videtur, per legem demum cognitum esse peccatum: id quod dicit etiam ad Romanos VII. 7. 8. in qua epistola III. 19. seqq. fere eodem modo, ut hic, disputat: *οἴδαμεν δὲ ὅτι ὅσα ὁ νόμος λέγει τοῖς ἐν τῷ νόμῳ λαλεῖ, ἵνα πᾶν στόμα σφραγῇ καὶ ὑπόδικος γένηται πᾶς ὁ κόσμος τῷ θεῷ· διότι ἐξ ἔργων νόμου οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σὰρξ ἐνώπιον αὐτοῦ·*

διὰ γὰρ νόμου ἐπίγνωσις ἁμαρτίας. Ex his colligitur, hanc eius sententiam esse, per legis obsequium non probari homines deo, quia legis non alia vis sit, quam ut per eam cognitum sit peccatum; qui autem peccando transgressus sit legem, pro exsecrato habeatur et poenam commeruerit; quod contra Iesus morte sua ab illa poena liberaverit eos qui in ipso fiduciam ponant suam.

Sic igitur postquam demonstravit lege illa educatrice non amplius opus esse, concludit hanc disputationem ita, ut redeat ad id, quod de hereditate dixerat. Per fidem Iesu, inquit, filii estis dei: Iesum enim per baptisma quasi induistis, per Iesumque estis quasi pro una persona, in qua neque Graecus neque Iudaeus, nec servus nec liber, nec mas nec femina discernitur: quod si Christi estis, qui est semen Abraami, ipsi quoque illo semine estis comprehensi, ac proinde heredes promissorum. Apertum vero est, quum callida ista Abraami seminis interpretatione effecisset ut Iesum heredem promissorum dicere posset, per Iesum autem demum, quocum in unum coniuncti essent omnium gentium et cuiusvis conditionis Christiani, Christiani quoque semine illo continerentur, id
16eum esse assecutum, quod volebat, ut hereditatem per solam dei testatoris voluntatem sine intercessore acceptam esse doceret.

Hoc modo mihi quidem haec epistolae ad Galatas capita explicanda videbantur. Theologorum, in tantis praesertim inter eos dissensionibus, si vel paucorum assensionem impetraverim, satis ducam. Et illis certe, qui rationales vocantur, amicitia est cum philologia, quae natura sua rationalis est: quamquam hoc aevum quosdam etiam philologos supranaturales vidit. Sed non minus in litteris, quam in vita regunda perniciosa est lymphatae mentis divinatio. Ac theologorum quidem quisquis non

affligit humo divinae particulam aurae,

strenue impugnant illos Christianae doctrinae obscurato-

res, qui credendo incredibilia, quam intelligendo ad quae intelligenda data hominibus ratio est, perveniri ad veri cognitionem existimant. Nimirum credere amant, quibus cogitare labor est, vel natura, ut tardi et hebetes; vel exercitationis inopia, ut pueri et mulieres; vel sua ipsorum culpa, ut mollitie et libidinibus fracti; vel denique quod metus et furor mentes occaecavit, ut superstitiosi et fanatici. Adversus hos aequum est ut philologi suam operam adiungant illis theologis, qui intelligunt summam totius Christianae doctrinae illis comprehensam esse verbis, quae apud Matthaeum leguntur XII. 31. 32.

DE

AESCHYLI MYRMIDONIBVS, NEREIDIBVS, PHRYGIBVS

DISSERTATIO*).

Myrmidones Aeschyli et Nereides et Phryges una trilogia comprehensos fuisse continuitas argumenti credere iubet. Praecivit Aeschylo Homerus, Aeschylus Attio, qui nisi totam trilogiam, certe duas priores tragoedias videtur Latinas fecisse. Hinc in illa Graeci poetae fragmentorum paucitate aliquid ad divinandam inventionem fragmenta conferunt Attii. Est autem ea in re caute et provide procedendum, ne quis temere fingat, quae nihil usquam fundamenti habeant. In Myrmidonibus, quantum colligi potest, Achilles quum precibus et necessitate victus tandem Patroclum in proelium ire passus esset, isque esset ab Hectore occisus, mortuum deflebat. Nereides pugnam Achillis, qui nova a matre arma accepisset, necemque Hectoris videntur continuisse. In Phrygibus Priamus corpus filii ab Achille redemit.

MYRMIDONES.

Initium fabulae servavit Harpocratio, apud quem haec leguntur: *προπεπωκότες, ἀντὶ τοῦ προδεδωκότες,*

*) Edita est a. 1833.

ἐκ μεταφορᾶς. Et paullo post: ἐν ἀρχῇ δὲ τῶν Μυρμιδόνων Αἰσχύλος·

τάδε μὲν λεύσσεις, φαίδιμ' Ἀχιλλεῦ,
δοριλυμάντους Δαναῶν μόχθους,
οὓς . . . εἴσω κλισίας.

Quod deest verbum Blomfieldius in praefatione ad Persas p. 14. sic restituendum putabat: οὓς σὺ προπίνεις. Heathius eo loco προπεπωκὼς excidisse coniiciebat, qui si non est falsus, credam deinde vel μίμνεις vel θάσσεις vel talorum ludi commemorationem sequutam esse, si verum est quod scholiastes Aristophanis ad Ran. 1447. scribit: ἐκ Μυρμιδόνων· πεποίηκε γὰρ αὐτοὺς κυβεύοντας. Primum illorum quos posuimus versum Ranis inseruit Aristophanes v. 1023. ubi scholiastes: ἔστι δὲ ἀρχὴ αὕτη Μυρμιδόνων Αἰσχύλου.

Veri simile est, quemadmodum in Persis et Suppli-4 cibus chorus ab anapaestis, quibus fabulam orditur, ad melicos versus transit, quod similiter, praegressa tamen oratione excubitoris, in Agamemnone factum est, sic in Myrmidonibus quoque sequutum esse canticum chori, gravius excitantis Achillem ad opem afflictis Graecorum rebus ferendam. Ex eius carminis ipso initio esse puto hos versus, quos posuit Aristophanes in Ranis v. 1295.

Φθιῶτ' Ἀχιλλεῦ, τί ποτ' ἀνδροδάϊκτον ἀκούων
ἰήκοπον οὐ πελάθεις ἐπ' ἀρωγάν.

Alterum versum saepius repetit Aristophanes. Scholiastes: ταῦτα ἀπὸ τῶν πρέσβεων πρὸς Ἀχιλλέα Αἰσχύλος πεποίηκεν. ἔστι δὲ ἐκ Μυρμιδόνων. προφέρει δὲ Εὐριπίδης εἰς γέλωτα ἄλλα ἐξ ἄλλων δραμάτων συναγαγών. διὸ καὶ ἀσαφῆ, μίαν ἁρμονίαν οὐκ ἔχοντα. Et ad v. 1297. προφέρεται δὲ οὐκ ἐφεξῆς τὰ αὐτὰ μέλη αὐτοῦ, ἀλλ' ὡς ἔτυχεν ἄλλο ἄλλοθεν· καὶ ἐπιλέγει τὸ ἰήκοπον, κυρίως ἐκείνων τῶν στίχων ὄν, τοῦ Φθιῶτ' Ἀχιλεῦ. Aliud eiusdem sententiae scholion infra afferam, ubi simul de illo ἀπὸ τῶν πρέσβεων dicetur. Quod ad verba attinet, ex quibus illi

versus constant, editiones vulgatae ex Triclinii sententia, cui metrum anapaesticum esse videbatur, *Φθιῶτ᾽ Ἀχιλεῦ* habent. Recte vero Bekkerus ex tribus codicibus suis, quibus accedit primus Dobraei, *Φθιῶτ᾽ Ἀχιλλεῦ* edidit. Id arguunt alii quos illo loco posuit Aristophanes Aeschyli versus,

ὅπως Ἀχαιῶν δίθρονον κράτος Ἑλλάδος ἦβας,
κυρεῖν παρασχὼν ἰταμαῖς κυσὶν ἀεροφοίτοις,

et qui his uno pede longior est,

κύδιστ᾽ Ἀχαιῶν Ἀτρέως πολυκοίρανε μάνθανέ
μου παῖ.

In secundo versu libri Aristophanis *ἰήκοπον*. Scholiastes ad v. 1307. *τινὲς ἀξιοῦσι τὸ ἰὴ ψιλοῦν, ὅταν μὴ ᾖ ἐν ὕμνῳ.* (v. Etym. M. p. 469, 41.) *ἐκεῖ γὰρ δασύνεται. ὡς ἐφυμνίῳ δὲ κέχρηται, ἰήκοπον οὐ πελάθεις.* Eadem iisdem fere verbis Suidas in *ἴη*, addens ille in fine *ἐπ᾽ ἀρωγάν*. H. Stephano in Indice Thesauri v. *ἰήκοπος* haec vox non cum *ἀρωγάν*, sed cum *ἀνδροδάϊκτον* coniungenda videbatur, sententiaque esse haec: ***Phthiota Achilleu, cur, quum audias virum peremptorem laborem et in quo ἰήϊον Apollinis nomen imploratur, auxilio non venis?*** Dubitabat tamen an apud Aeschylum non continuati fuerint hi versus, quod scholiastes *ἀνδροδάϊκτον* feminino genere accepisset, *τὴν ἀνδρῶν φόνον ποιοῦσαν*. At ille *ἀνδροδάϊκτον ἀρωγὰν* videtur coniunxisse. Sed tamen quem non admoneat adiectum *ἀκούων* ut sic potius verba et scribenda et interpungenda censeat:

Φθιῶτ᾽ Ἀχιλλεῦ, τί ποτ᾽, ἀνδροδάϊκτον ἀκούων,
ἰή,
κόπον, οὐ πελάθεις ἐπ᾽ ἀρωγάν;

Nam *ἰήκοπος* vereor ne vox sit nihili. Et sic corrigendum esse vidit Heathius. Quod autem repetit Euripides saepius hunc versum in Aristophanis fabula, factum videtur ut notaretur Aeschyli usus versuum epiphthegmaticorum, de quo peculiaris exstat dissertatio Th. C. G. Schneideri.

Finito chori carmine verba faciebat, nisi fallor, Achilles. Nam quod apud scholiastam Aristophanis alio loco scriptum est, perdiu silentem fuisse Achillem in Myrmidonibus, falsum esse monui in dissertatione de Niobe p. 8. (Opusc. vol. III. p. 42.) Illius in orationis exordio optabat ille fortasse, ut in Mysia ad Caicum amnem substitisset, nec comitatus ad Troiam esset exercitum Graecorum. Strabo XIII. p. 616. (916. vol. V. p. 422.) *ῥεῖ δ' ἐκ τοῦ Τέμνου ποταμὸς Μύσιος, ἐμβάλλων εἰς τὸν Κάϊκον ὑπὸ ταῖς πηγαῖς αὐτοῦ. ἀφ' οὗ δέχονταί τινες εἰπεῖν Αἰσχύλον κατὰ τὴν εἰσβολὴν τοῦ ἐν Μυρμιδόσι προλόγου·*

ἰὼ Κάϊκε Μύσιαί τ' ἐπιῤῥοαί.

Afferunt non nominata fabula hunc versum etiam scholiastes Hephaestionis p. 84. (163. ed. Gaisf.) et Macrobius Sat. V. 20. qui eo testari studet universae Mysiae arva uliginosa fuisse. Quod Strabo dicit *κατὰ τὴν εἰσβολὴν τοῦ ἐν Μυρμιδόσι προλόγου*, apertum est eum non his verbis usurum fuisse, si totius fabulae exordium voluisset significare. Id dixisset *ἐν ἀρχῇ*, ut Aristophanis scholiastam vidimus. Hinc apparet, quem prologum dicit Strabo, primam esse histrionis orationem iambicam, similiter ut in Euripidis Iphigenia in Aulide anapaestos excipit is qui propter argumenti enarrationem vocatur prologus. Pauwius suspicabatur Strabonem memoriae errore Myrmidones pro Mysis nominasse: persuasitque quibusdam.

Apud Homerum in nono Iliadis oratores ab Agamemnone missi ad Achillem veniunt Phoenix, Aiax Telamonius, Vlixes, cum Hodio et Eurybate praeconibus, qui precibus donorumque promissione eum moveant, ut opem ferat afflictis. Id imitatum esse Aeschylum quum per se verisimile est, et fragmentis quibusdam proditur,6 tum nescio an eo referendum sit illud, quod supra attuli ab scholiasta Aristophanis dictum: *ταῦτα ἀπὸ τῶν πρέσβεων πρὸς Ἀχιλλέα Αἰσχύλος πεποίηκεν.* Quamquam si legati isti, ut visum est quibusdam, illos versus quos

iis tribuit scholiastes recitassent, plane abiiciendum esset illud testimonium. Prorsus enim repugnat legi et consuetudini tragoediae, legatos et oratores canticum canere, quos decebat versibus iambicis orare atque admonere eum ad quem essent missi. Et profecto scholiastes Baroccianus ad Ranarum v. 1291. illa, quae supra paullo aliter dicta vidimus, his verbis refert: *ἰστέον ὅτι τὸ ἰήκοπον οὐ πελάθεις ἐπ᾽ ἀρωγάν παίζων παντοχοῦ ἐπιφέρει, κυρίως ἐκείνων τῶν ἰαμβείων ὄν, τοῦ Φθιῶτ᾽ Ἀχιλεῦ.* Apertum est, utrumque scholiastam errare, hunc, quum illud *ἰήκοπον* ad iambos rettulit; illum, quod melicos versus tribuit legatis. Licebit tamen alterum excusare, alterum etiam defendere: excusare eum, qui iambos nominat, si non imperitia metri, sed, quod legati quoque iambica oratio verbis illis *Φθιῶτ᾽ Ἀχιλλεῦ* incipiebat, confudit duarum partium exordia; defendere alterum, si chorus Myrmidonum e delectis ex Achillis exercitu viris constitit, qui cunctorum Myrmidonum nomine ad eum erant delegati.

Phoenicem ab Agamemnone etiam apud Aeschylum ad Achillem legatum venisse, veri est simillimum: sed eum Antilochus, non Aiax neque Vlixes videtur esse comitatus. Antilochi ex oratione, nisi fallor, hic fuit Attii apud Nonium versus p. 120, 33.

tua honéstitudo Dánaos decepít diu.

In iis, quae ad haec repondebat Achilles, hoc videtur fuisse, apud Nonium p. 301, 33.

mea facta in ácie obliti.

Comparanda cum his, quae Achilles in nono Iliadis v. 318. seqq. dicit. Ex eadem oratione Achillis apud Nonium p. 234, 8. haec et corrupta et, ut videtur, omissis aliquot verbis, deprompta sunt: *lassis trahere in salum et vela ventorum animae immittere.* Scaliger *classes.* Attium coniicias haec sic scripsisse:

clássis trahere navium
vídeas *in salúm* me *et vela véntorum animae immíttere.*

Ducta sunt haec ex his Homeri v. 357.

αὔριον ἰρὰ Διῒ ῥέξας καὶ πᾶσι θεοῖσιν, 7
νηήσας εὖ νῆας, ἐπὴν ἅλαδε προερύσσω,
ὄψεαι, ἢν ἐθέλῃσθα καὶ αἴ κέν τοι τὰ μεμήλῃ,
ἦρι μάλ' Ἑλλήσποντον ἐπ' ἰχθυόεντα πλεούσας
νῆας ἐμάς, ἔν δ' ἄνδρας ἐρεσσέμεναι μεμαῶτας.

Porro aequius fuisse censebat, ut ipse adeo Antilochus Agamemnonem desereret. Vnde sic loquitur apud Nonium p. 137, 33.

quód si, ut decuit, stáres mecum, aut méus te moerarét dolor,
iám diu inflammári Atridae návis vidissént suas.

Sic egregie emendavit corrupta Mercerus. Homerus v. 417. non dissimili sententia:

καὶ δ' ἂν τοῖς ἄλλοισιν ἐγὼ παραμυθησαίμην
οἴκαδ' ἀποπλείειν.

Repudiante Achille gratiae reconciliationem disceptatio orta videtur cum Antilocho, qualibus rei controversae in utramque partem disputationibus valde operam dedisse videmus Atheniensium tragicos. Hinc Achillem Attius apud Nonium p. 433, 1. sic dicentem fecit:

tu pértinaciam ésse, Antiloche, hanc praédicas:
ego pérvicaciam áio, et ea me utí volo.
nam pérvicacem dici me esse et víncere
perfácile patior; pértinacem níl moror.
haec fórtis sequitur: íllam indocti póssident:
tu addís, quod vitio est; démis, quod laudí datur.

Postremo monuisse videtur Achilles Antilochum, ut sibi flagitando molesti esse desinerent; ille autem respondisse haec apud Nonium p. 109, 32.

nolo équidem, sed tu huíc, quém scis quali in té siet

fidélitate, ob fídam naturám viri
ignósce.

Credo autem eum dicere Phoenicem: nam quod huic apud Homerum offert Achilles v. 616.

ἶσον ἐμοὶ βασίλευε καὶ ἥμισυ μείρεο τιμῆς,

apud Attium vix dubitandum puto quin his verbis dixerit:

régnum tibi permítti malim: cérnam, tradam
exércitum.

Legitur apud Nonium *malunt* p. 261, 23. in *cernere*, quod interpretatur *cedere*, et in vulgatis *exercitus*. Sed ed. Mediol. 1496. *exercitu*.

8 Interea rebus Graecorum in maius etiam discrimen adductis, ignique navibus iniecto, consentaneum est nuncium aliquem venisse qui de his rebus exponeret. Eum Eurypylum fuisse quum ex Homero videtur coniici posse, tum, nisi magnopere fallor, aperit Attius, si eius ex Myrmidonibus sunt, quae Cicero servavit, Q. Tusc. II. 16. 17.

EVR. o Pátrocles, ad vós adveniens aúxilium
et vestrás manus
petó, priusquam oppetó malam pestém datam
hostilí manu,
neque sánguis ullo pótis est pacto prófluens
consístere,
si quí sapientiá magis vestra mórs devitarí
potest.
namque Aésculapi líberorum saúcii opplent
pórticus:
non pótest accedi. PATR. cérte Eurypylus híc
quidem est. hominem exércitum.

Et mox:

EVR. qui álteri exitiúm parat,
eum scíre oportet sibi paratum, péstem ut
participét parem.

Deinde:

PATR. eloquere rés Argivum proélio ut se sústinet.
EVR. non pótis ecfari tántum dictis, quántum factis súppetit
labóris . . . . . quiésce, et volnus álliga.

Quod post *quiesce* scriptum est *igitur*, Cicero inseruit. Denique:

ubi fortuna Héctoris
nostram áciem inclinatam.

Quod libri quidam ante *aciem* inserunt *acrem*, nihil esse videtur quam perperam scripta eadem vox.

Apud Homerum ignis immittitur in navem Protesilai: apud Aeschylum nescio an in Nestoris navem praetoriam. Certe huius factam mentionem testatur scholiastes Aristophanis ad Av. 1256. *καὶ γὰρ δεκέμβολον Αἰσχύλος εἶπε τὴν τοῦ Νέστορος ναῦν ἐν Μυρμιδόσιν.* Eadem Suidas in *τριώβολον*, sed omissis *Αἰσχύλος εἶπε*. Eius navis insigne fuisse videtur ille *ξουθὸς ἱππαλεκτρυών*, de quo Aristophanes in Ranis v. 933. *σημεῖον ἐν ταῖς ναυσὶν ἐνεγέγραπτο.* Scholiastes ad Pacem v. 1177. *ὥςπερ ξουθὸς ἱππαλεκτρυών. ὡς φοινικᾶ πτερὰ ἔχοντα δηλοῖ, ὅτι τοῦ παρ' Αἰσχύλου κληθέντος ἱππαλεκτρυόνος, ὃν ἀεὶ κομῳδοῦσιν, ἐν Μυρμιδόσι μέμνηται.* Et ad Aves v. 800. ad illa, *εἶτ' ἐξ οὐδενὸς μεγάλα πράττει κἄστι νυνὶ ξουθὸς ἱππαλεκτρυών*, sic scribit: *παρὰ τὰ γραφέντα ἐκ Μυρμιδόνων Αἰσχύλου. λέγει δὲ ὅτι μέγας ὄρνις γέγονε καὶ οὐχ ὁ τυχών.* Ipsos Aeschyli versus ser-9 vavit scholiastes Aristophanis a Bekkero editus ad Pacem v. 1177. quod scholion sic scriptum est: *ὁ Αἰσχύλος· ἀπὸ δ' αὖτε ξουθὸς ἱππαλεκτρυὼν στάζει κηρ. θέντων φαρμάκων πολὺς πόνος.* Non sunt haec, ut G. Dindorfio videbatur, duorum versuum fragmenta. Sed etsi illud quidem apertum est, latere in illa scriptura hoc,

ἀπὸ δ' αὖτε ξουθὸς ἱππαλεκτρυὼν
στάζει, κριθέντων φαρμάκων πολὺς πόνος,

(praecessit autem vocabulum quale *χροία* est, quo crasis fieret in *ἀπὸ*) tamen quo modo haec intelligenda sint, amissis, quae praegressa sunt, nescimus. Certe si *πολὺς πόνος* recte se habet, ut ipse iste equigallus dictus sit discretorum colorum multus labor, ad aliquod e praegressis verbis referri debuit *στάζει*. Valde tamen veri simile est scripsisse Aeschylum

ἀπὸ δ' αὖτε ξουθὸς ἱππαλεκτρυὼν
στάζει κριθέντων φαρμάκων πολὺν πόνον.

Fortasse igni iniecto liquefacta pigmenta, quae in navium insignibus non poterant aqua solubilia esse, defluxisse dixit. Debebit Aeschyli fragmentum respicere doctissimus Boettigerus, si, quod vehementer optamus, alterum volumen de pictura veterum edet.

Ad hanc pugnae descriptionem pertinere videtur etiam Hesychii adnotatio, quae apud Favorinum sic scripta legitur: *ἄγρεμον, τὸν κάμακα. ἀπὸ τοῦ αἴρειν καὶ λαμβάνειν, ἤγουν ἀγρεύειν· ἢ λαμπάδα, ἢ δόρυ· Αἰσχύλος ἐν Μυρμιδόσιν.* Apud Hesychium est *Αἰσχύλος δὲ Μυρμιδ*. In quibus si *δὲ* recte scriptum, continuanda his est glossa quae apud utrumque grammaticum sequitur: *ἀγρέμονα, τὸν ἐπιμήνιον.* Is Meursio in Graecia feriata v. *Νουμηνία* sacrificulus dici visus. Veram tamen Favorini scripturam esse puto, nisi quod *ἀγρέμονα*, non *ἄγρεμον* posuisse videtur Aeschylus.

Nimis urgente periculo permotus tandem erat Achilles, ut suis armis indutum ad arcendos Troianos mitteret Patroclum. Cuius mortem qui apud Homerum, atque sine dubio etiam apud Aeschylum Achilli nunciabat Antilochus, non potuit id in tragoedia ea brevitate facere, quam in Iliadis libro XVIII. admiramur merito, sed exponere debuit quanta fortitudine pugnasset Patroclus, quaeque edidisset virtutis illustria documenta. Hinc ipse de
10se Aeschylus in Aristophanis Ranis v. 1040. *ὅθεν ἡμὴ φρὴν ἀπομαξαμένη πολλὰς ἀρετὰς ἐποίησεν Πατρόκλων, Τεύκρων θυμολεόντων.* Ea ex narratione sumptum esse coniicio, quod non indicato fabulae nomine

memorat scholiastes Victorianus ad Iliad. XVI. 380. ubi quum magno impetu equi Achillis transsiluisse fossam dicantur, sic scribit: *τοῦτο πρὸς τὴν ἀρετὴν τῶν Ἀχιλλέως ἵππων. Ἕκτωρ δὲ αὐτὸ μόνον ἐκαυχήσατο, οὐ μὴν ἐτέλεσεν· ἵπποι δὲ ῥέα τάφρον* — (Iliad. VIII. 179.) *Αἰσχύλος δὲ Ἀχιλλέα σὺν τῇ παναπλίᾳ φησὶν ὄπισθεν ὁρμήσαντα πηδῆσαι τὴν τάφρον, μὴ δείξαντα τὰ νῶτα τοῖς ἐχθροῖς.* Rettulerat haec ex illis scholiis Victorius in Variis lectt. XXXVIII. 24. Magnus vero, si quid video, in his error est: nam neque Achilles umquam cessisse videtur repulsusque intra munimenta esse, et, si ille isto modo superasset fossam, hic id scholiastes memoraret ineptissime, qui ostendere velit Achillis equos, Patroclo Hectorem petente, eo robore fuisse, quod Hector temere de equis Troianorum iactaverit. Quod si nunc quid Aeschylus narraverit addit, apertum est id non de Achille, sed de Hectore dictum fuisse. Scilicet hoc ille voluit: dissentire ab Homero Aeschylum, qui Hectorem non ex curru pugnantem, sed peditem, quum pelleretur a Patroclo, admirabili illo saltu se recepisse scripserit. Ex quo consequitur per errorem scriptum esse *Ἀχιλλέα* pro *Ἕκτορα*.

Ad Patrocli vulnerum descriptionem fortasse pertinebat hoc apud Hesychium: *ἐγκουράδες, τὰ ἐν τῷ προσώπῳ στίγματα, καὶ οἱ ἐν ταῖς ὀροφαῖς γραφικοὶ προσώπων πίνακες. ἔστι γὰρ κουρὰς ἡ κορυφὴ καὶ ὁ γραπτὸς πίναξ. ἐγκούρας δὲ ὁ γεγραμμένος. Αἰσχύλος Μυρμιδόσιν.* Idem: *κουράς, ἡ ἐν τοῖς ὀροφήμασι γραφή, ὀροφικὸς πίναξ. παρὰ δὲ Αἰσχύλῳ ἐν Μυρμιδόσιν ἀμφιβάλλεται* (sic pro *ἀμφιβάλλει* scribendum) *ἐγκουράδι. ἔστι δὲ ἐγκουρὰς ὀροφικὸς πίναξ.* In his apud Favorinum *ἐν κουράδι*. Ex his intelligitur dubitasse grammaticos, utrum *ἐγκουράδι* an *ἐν κουράδι* scripsisset Aeschylus. Nobis, nisi in lucem protrahatur ipse poetae locus, nihil relictum est, nisi ut suspicemur *κουράδα* summam frontem, in qua resecari crines soleant, esse appellatam.

Si Homerum sequutus est Aeschylus, Achilles au-

dita morte Patrocli sine armis progressus adspectu suo et voce ita terruit Troianos, ut corpore mortui potiri Graeci potuerint. Sed tamen quum nihil sit unde id coniici possit, ac potius ea res sequenti tragoediae servata videatur, sine Achillis opera ereptum hostibus esse
11 Patroclum credam. Welckerus quam apte integram Patrocleam in media sequente fabula, Nereidibus, insertam statuerit in Trilogia p. 423. ipsi defendendum relinquam.

Posito ante tentorium exanimi corpore luctui indulsit Achilles. Qua in scena quum verbis parum castis suae cum Patroclo consuetudinis privationen doleat, videbatur mihi olim haec fabula satyrica fuisse. Acriter pro tragoedia propugnavit Welckerus in Appendice Trilogiae p. 168. quum aliis argumentis usus, tum Ovidii versibus Trist. II. 409.

est et in obscenos deflexa tragoedia risus,
multaque praeteriti verba pudoris habet:
nec nocet auctori, mollem qui fecit Achillem,
infregisse suis fortia facta modis.

Et haec quidem Welckerus: sed debebat tamen illud potissimum afferre, quod non intelligeretur, quomodo aptari Satyris potuerit haec e medio bello Troiano sumpta fabula; non autem, quod fecit p. 333. seq., laudare obscenius dicta tamquam talia, quae ab levitate Satyrorum abhorrerent. Immo videtur Aeschylus, quo vehementiorem esse dolorem Achillis ostenderet, fecisse cum incautius proferentem, quae moderatior aliquis et circumspectior tacenda duxisset. Fuisse qui haec reprehenderent cognoscimus ex his Athenaei XIII. p. 601. A. *οὕτω δ' ἐναγώνιος ἦν ἡ περὶ τὰ ἐρωτικὰ πραγματεία, καὶ οὐδεὶς ἠγεῖτο φορτικοὺς τοὺς ἐρωτικούς, ὥστε καὶ Αἰσχύλος, μέγας ὢν ποιητής, καὶ Σοφοκλῆς ἦγον εἰς τὰ θέατρα διὰ τῶν τραγῳδιῶν τοὺς ἔρωτας, ὁ μὲν τὸν Ἀχιλλέως πρὸς Πάτροκλον, ὁ δ' ἐν τῇ Νιόβῃ τὸν τῶν παίδων· διὸ καὶ παιδεραστάν τινες καλοῦσι τὴν τραγῳδίαν· καὶ ἐδέχοντο τὰ τοιαῦτα ἄσματα οἱ θεαταί.* Plato autem in Symposio p. 180. A. non propter

amoris memorationem, sed quod Patroclum ab Achille, non hunc a Patroclo amatum finxerit, Aeschylum vituperat: *Αἰσχύλος δὲ φιλαρεῖ φάσκων Ἀχιλλέα Πατρόκλου ἐρᾶν, ὃς ἦν καλλίων οὐ μόνον Πατρόκλου, ἀλλὰ καὶ τῶν ἡρώων ἁπάντων, καὶ ἔτι ἀγένειος, ἔπειτα νεώτερος πολύ, ὥς φησιν Ὅμηρος.* Quae verba a Valckenario aliisque pro adnotatione scholiastae alicuius habita, ipsi Platoni vindicarunt alii: de qua re dixit Stallbaumius in Dialogis selectis vol. I. sect. II. p. 46. Tacens in mente habuit Aeschylum Aeschines or. in Timarchum §. 142. Fragmenta Aeschyli, quae de illo amore habemus, haec sunt. Athenaeus XIII. p. 602. E. *Αἰσχύλος δὲ καὶ Σοφοκλῆς ἀναφανδὸν ἔφασαν. ὁ μὲν Μυρμιδόσι·*

σέβας δὲ μηρῶν ἁγνὸν οὐκ ἐπηδέσω, 12
ὦ δυσχάριστε τῶν πυκνῶν φιλημάτων.

Libri: *ἅγιον*: genuinam vocem posuit Th. Canterus Var. Lectt. II. 9. (in Gruteri Face crit. vol. III. p. 747.) Vide Porsonum ad Eurip. Med. 750. Apud Plutarchum in Amatorio p. 751. qui hos versus affert, omissa illa voce, legitur *σέβας δὲ μηρῶν οὐ κατηδέσω*, et deinde *πικρῶν*. Sed alterum versum recte scriptum idem affert in libro de differentia amici et adulatoris p. 61. A. Ad eadem Achillis lamenta Porsonus rettulit haec apud Lucianum Amor. 54. T. II. p. 457. de Achille et Patroclo: *ἀλλ' ἦν καὶ τῆς ἐκείνων φιλίας μεσῖτις ἡδονή. στένων γοῦν Ἀχιλλεὺς τὸν Πατρόκλου θάνατον, ἀταμιεύτῳ πάθει πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἀπερράγη· μηρῶν τε τῶν σῶν εὐσεβὴς ὁμιλία καλλίων.* Postremum verbum, quod in aliis libris *καλλίω* scriptum, omisit Porsonus. Scholefieldius ex Boissonadi coniectura edidit *κάλλιον*, Belinus de Ballu coniecit *μηρῶν τί τῶν σῶν εὐσεβοῦς ὁμιλίας κάλλιον;* male. Multo veri similius est, *καλλίων* corruptum esse ex *κλαίων*, ut scripserit Aeschylus:

μηρῶν τε τῶν σῶν εὐσέβησ' ὁμιλίαν
κλαίων.

Sive talia dicta, sive quod alio modo immoderatius dolori indulgeret reprehendenti cuipiam, fortasse Antilocho, respondebat Achilles haec, quae lexicon Coislinianum p. 469. (in Bekkeri Anecd. p. 321, 19. in Bachmanni vol. I. p. 4, 3.) Suidas, Zonaras p. 8. habent. Lexicon illud, plenius explicans: *ἀβδέλυκτα· ἀμύσακτα, ἀμίαντα. τὰ μὴ μιαίνοντα, ἃ οὐκ ἄν τις βδελυχθείη καὶ δυσχεράνειε. τραγικωτέρα δὲ ἡ λέξις. Αἰσχύλος* (Suidas addit *Μυρμιδόσι*)·

καὶ μήν, φιλῶ γάρ, ἀβδέλυκτ' ἐμοὶ τάδε.

Bekkerus nescio cur hanc et codicis et Suidae et Zonarae scripturam, quae verissima est, sic mutaverit, *καὶ μὴν φιλῶ γε κἀβδέλυκτά μοι τάδε.*

Deploranti Antilocho quoque Patrocli obitum dicebat Achilles:

Ἀντίλοχ' ἀποίμωξόν με τοῦ τεθνηκότος
τὸν ζῶντα μᾶλλον· τἀμὰ γὰρ διοίχεται.

Nam haec verba quum Aristophanes in Ecclesiaz. 392. mutatis *τοῦ τεθνηκότος* in *τοῦ τριωβόλου* posuisset, scholiastes adnotavit: *παρὰ τὰ ἐξ Αἰσχύλου Μυρμιδόνων· Ἀντίλοχ', ἀποίμωξόν με τοῦ τεθνηκότος τὸν ζῶντα μᾶλλον*: quem, ut solent scholiastae, reliqua secundi versus verba, quae ipsa quoque Aeschyli esse credibile est, omisisse puto. Sic visum etiam Th. Gatakero Adv. misc. p. 505. C. Scholiastam sequutus est Suidas in *ἀποίμωξον*. 13

Spirabat autem vindictam Achilles, cuius sumendae copia quum se ipse armis suis Patroclo commodandis, quae iam Hector possidebat, privasset, id illis versibus doluit, quod scholiastes Aristophanis ad illud in Avibus v. 808. *ταυτὶ μὲν ἠκάσμεσθα κατὰ τὸν Αἰσχύλον, τάδ' οὐχ ὑπ' ἄλλων, ἀλλὰ τοῖς αὑτῶν πτεροῖς*, servavit, sic scribens: *ἐκεῖνος γὰρ Λιβυστικὴν αὐτὴν καλεῖ παροιμίαν.*

ὡς δ' ἔστι μύθων τῶν Λιβυστικῶν λόγος,
πληγέντ' ἀτράκτῳ τοξικῷ τὸν αἰετὸν

εἰπεῖν ἰδόντα μηχανὴν πτερώματος,
τάδ' οὐχ ὑπ' ἄλλων, ἀλλὰ τοῖς αὑτῶν πτεροῖς
ἁλισκόμεσθα.

πεποίηκε γὰρ ὁ Αἰσχύλος ἀετὸν τρωννύμενον καὶ λέγοντα ταῦτα, ἐπειδὴ εἶδε τὸ βέλος ἐπιπτερωμένον καὶ ἐμπεπαρμένον αὐτῷ. Aliud scholion sic: *τοῖς αὐτῶν πτεροῖς. ὅλον τοῦτο ἐκ Μυρμιδόνων Αἰσχύλου· οὐχ ὑπ' ἄλλων ἀλλὰ τοῖς αὐτῶν πτεροῖς ἁλισκόμεσθα, ἀντὶ τοῦ ἑαυτοῖς ταῦτα πεποιήκαμεν.* Habet Aeschyli versus etiam Suidas in *ταυτὶ μέν*, ubi *ὃ δὲ ἔστι μύθων*, et maximam partem in *οὐχ ὑπ' ἄλλων*. Quod Reisigius in Coniect. p. 208. mirabatur nec Toupium nec Porsonum *εἷς δ' ἔστι μύθων* scripsisse, merito reprehendit Fritzschius in Quaestt. Luc. p. 164. Multi scriptores, qui illa paroemia usi Aeschyli versum respexerunt, nominati sunt a Gatakero in Adv. posth. p. 538. seq., a Porsono ad Eurip. Med. 139. VIII. quicum comparandus Valckenarius ad fr. Callim. p. 286., a Blomfieldio ad Agam. 796., a Schaefero ad Aesopum p. 136. Adde Galenum de Hippocr. et Plat. placitis T. I. p. 280. ed. Bas. sive T. V. p. 395. ed. Lips. De fabulis Libysticis disseruit Grauertus in libro de Aesopo et fabulis Aesopiis p. 79. seqq.

Arma igitur requirens Achilles illa dicebat, quae exstant apud scholiastam Aristophanis ad hoc in Avibus v. 1420. *πτερῶν, πτερῶν δεῖ: παρὰ τὸ Αἰσχύλου ἐκ Μυρμιδόνων·*

ὅπλων, ὅπλων δεῖ.

Veri simile est autem, in extrema fabula apparuisse Thetidem, quae se arma a Vulcano allaturam promitteret.

NEREIDES. 14

Nereidum Aeschyli tenuis fama superat quattuor exiguis fragmentis. Nullo modo tamen videtur credendum esse, quod Welckero satis certum visum est, in priore parte fabulae, quum statim ab initio chorus Nereidum cum

armis Vulcaniis advenisset, Thetidem, quae de principalibus una personis fuerit, chorumque et Achillem deflevisse obitum Patrocli; mediam partem longas orationes in honorem mortui, plenas irarum in occisorem, dein reconciliationem gratiae inter Achillem atque Agamemnonem per Vlixem continuisse; in tertia denique parte restitutam esse Briseidem armaque induisse Achillem. Nam pugnam ad Scamandrum, necem Hectoris et raptationem mortui circa urbem, ludosque funebres, haec omnia, ut aliena a scena, in hac trilogia omissa esse, tertiamque tragoediam ipsa Priami ad Achillem profectione cepisse exordium. Mihi quidem haec parum probabilia videntur, immo illud etiam incredibile, cum, qui clamitarit *Ὅπλων, Ὅπλων δεῖ*, in sequente fabula armis, quae accipiat, nihil agere aliud, quam ea ut induat. Vnum tantummodo est in iis, quae divinavit Welckerus, quod verum esse res ipsa monstrat, chorum Nereidum arma attulisse, ostenditque Welckerus id etiam veteri anaglypho esse expressum. Amicitiae cum Agamemnone integratio, restitutioque Briseidis quid ad rem faciant, non magis potest intelligi, quam quid sibi velit illa nimis profecto sera veniens Patroclea. Immo alia suadere videtur Attius. Mirum est enim, cui ab illo tragoediae nomen factum est Epinausimache, eam haec ipsa continuisse, quae Patrocli mortem sunt insequuta. Et quum Attius valde videatur Aeschyli imitatione delectatus esse, non absurde, opinor, licebit suspicari, Nereides eum Aeschyli, omisso qui Romanae tragoediae non conveniebat choro, sumptaque proinde a primo rei inventore Homero appellatione sua esse Epinausimache aemulatum. Hariolari, ubi nihil scitur, non est ineptum, dum ne ipsa inepta sit hariolatio. Quum igitur nihil cogat credere, chorum Nereidum fabulam esse exorsum, ne vetat quidem quidquam statuere, Achillem, impatientem morae (neque enim tragoediae est, ut epici carminis, Iridem ab Iunone missam sine necessitate introduci), vel inermem prodire, ut hostem a navibus suis arceat. Et videtur id apud Attium fecisse, si recte haec verba intelligo, quae posuit Nonius p. 233, 18.

ut núnc quum animatus íero, satis armátus sum.

Animatum enim pro irato dici monet Nonius. Retinere autem eum studebat, opinor, vel Phoenix, vel Automedon, vel alius amicorum, illa dicens quae idem affert grammaticus p. 307, 9. et 479, 12.

tamen haúd fatiscar, quín tuam implorém fidem.

Referri ad hanc deliberationem haec quoque possunt, p. 158, 2.

quod sí procedit, néque te neque quemquam árbitror
tuae poéniturum laúdis: quam ut servés vide.

Cohaerebant, nisi fallor, cum his hi versus p. 485, 15.

et cóntra quantum obfúeris, si victús sies,
considera, et quo révoces summam exérciti.

Tum p. 257, 5.

proin tu íd cui fiat, nón qui facias, cómpara.

Quo versu moneri videtur Achilles, ne nimium sua virtute confisus salutem posthabeat Graeci exercitus, cogitetque se, si providus quam temere audax esse malit, quod legitur p. 519, 8.

probís probatum pótius, quam multís fore.

Sed perseverat Achilles in capto consilio, p. 2, 22.

mórs amici súbigit, quae mi est sénium multo acérrimum.

Id exsequutusne sit an non, nescimus, qui ne illud quidem sciamus, rectene ista omnia coniecerimus.

Sed adveniunt Nereides, quas, ut supra dictum, arma a Vulcano afferre consentaneum est. Eae ipsae de se testantur apud scholiastam ad Eurip. Phoen. 209. (219. Barn.) *καὶ Αἰσχύλος Νηρεῖσι·*

δελφινηρὸν πεδίον πόντου
διαμειψάμεναι.

Edd vett. *δεφινορόν*. Codd. Aug. Taur. *δελφίνορον*. Barnesii emendationem *δελφινοφόρον* Valckenarius aliique probarunt. At codicis Havn. scriptura *δελφήνηρον* veram, opinor, monstrat vocem alibi non inventam *δελεφινηρόν*.

Iisdem fortasse in anapaestis haec fuerunt, quae corruptissima leguntur apud Hesychium: *ἐναραφόρος. σκυλοφόρος. ἐναροκτάντας δὲ, φθογγοσκότος, ὑψοῦ τέλος ἀθανάτων ἀπολέψει. Αἰσχύλος ἐν Νηρεΐσιν. οἱ ὑπομνηματισταὶ παρὰ τὸ οὐχ ὁσίη φθιμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι, ἵνα ᾖ ὁ νοῦς, ὁ δὲ ἐναροκτάντας θάνατόν μοι ἐπικαυχώμενος, τὸ ἐκ τῶν θεῶν τέλος ὑψοῦ ἀπολείψει τὰ τῶν ἀθανά-*
16*των ὕψη καὶ ἐπὶ τοὺς ἐχθροὺς ἥξει.* Sed codex *φθογγ...κότος* et *μη ἐπικαυχώμενος*. Non habet hanc adnotationem Favorinus. Eustathius p. 437, 20. (332, 24.) *ἔτι ὁμοίως καὶ ἐκ τοῦ ἐναίρειν καὶ κτείνειν ἐναροκτάντας ὁ Θάνατος*. Hinc intelligitur interpretationem, quam commemoravit Hesychius, sic esse scribendam: *ὁ δὲ ἐναροκτάντας Θάνατος μὴ ἐπικαυχώμενος, τὸ ἐκ τῶν θεῶν τέλος ὑψοῦ ἀπολείψει, τὰ τῶν ἀθανάτων ὕψη, καὶ ἐπὶ τοὺς ἐχθροὺς ἥξει.* Sed tamen vel sic haec multum dubitationis habent. Nam plane non est credibile, *Θάνατον* ab Aeschylo dictum esse *ἐναροκτάνταν*, non quod nomen mortis non invenitur in his verbis: potuit enim in praegressis positum esse: sed quod neque apparet mors quomodo altum concilium deorum relinquere dicatur, quum mortis sedes sit apud inferos, neque, si mors dicta est, intelligitur qua ratione haec verba congruant cum versu Homerico, quo gloriatio de occisis improbatur. Videor mihi, si Aeschylum novi, restituere ei sua posse, idque auctore gravissimo, Homero. Welckerus enim in Trilogia p. 423. plane ab sententia verborum aberravit, quum Thetidem haec dicere putavit, vaticinantem Achilli necem quae ab Apolline immineret. Nihil excogitari potuit alienius, quam Achilli interitum praedici in ea trilogia, in qua non de ipsius, sed de Hectoris morte ageretur. Hectoris est et gloria-

tio et mors, quam chorus, opinor, non Thetis significat. Hic enim arma Achillis, quae Patroclo erant detracta induit, graviter indignante Iove, quod illis se armis ornare non esset veritus, quae dii immortales Peleo olim donassent. Copiose haec enarravit Homerus Iliad. XVII. 184. seqq. Quae in mente habens sic grandisoni oris tragicus est elocutus:

ἐναροκτάντας δὲ φθόνος αὐχαῖς
ἔγκοτος ὕψοῦ
τέλος ἀθανάτων ἀπολείψει,
ἥξει τ' ἐχθρούς.

Αὐχαῖς ut excidisse statuam, non solum sententia, sed etiam interpretum illud *μὴ καυχώμενος* admonet. Nam *αὐχὰν* Hesychius *καύχησιν*, omninoque cognata illi nomini verba per *καυχᾶσθαι* interpretantur grammatici*). Statim cum illis quae posuimus verbis cohaerebant haec:

κάμακος δ' εἶσιν
γλώσσημα διπλοῦν.

Scholiastes Pindari ad Nem. VI. 85. de hasta Achillis: *δικροῦν γάρ, ὥστε δύο αἰχμὰς ἔχειν καὶ μιᾷ βολῇ* 17
δισσὰ τὰ τραύματα ἀπεργάζεσθαι, καὶ Αἰσχύλος ἐν Νηρεΐσι· κάμακος εἶσι, κάμακος γλώσσημα διπλάσιον. Id *διπλοῦν* scripserat Aeschylus, nisi *δικροῦν***), ut, a quo haec sumpta esse dicit scholiastes, Lesches in parva Iliade *δικρόος ἄρδις* posuit.

---

*) Schneideri coniecturam in Lexico *φθογγοκόπος*, quod grandiloquum significaret, sciens praeterii silentio. Erat tamen qui eam defendere vellet, non facturus, opinor, re accuratius perpensa. Graviora enim obstant, quam ipsius vocabuli ratio. Visum quidem quibusdam est *ὑπέρκοπος* pro *ὑπέρκομπος* dictum esse, ut Blomfieldio ad Septem ad Thebas v. 387. qui adeo *ὑπέρκοτος* nullius auctoritatis vocem esse censuit, mutarique ubique voluit in *ὑπέρκοπος*, quod an ab ullo scriptore usurpatum fuerit, ego dubitare malim.

**) Id unice verum videbatur F. V. Fritzschio, conferre iubenti Lobeckium ad Phryn. p. 233.

Armis acceptis in bellum profectus est Achilles, ingentique strage edita interemit Hectorem. Haec pugna non dubitandum videtur quin ab nuncio aliquo amplissime fuerit ornatissimeque enarrata. Graecum unum habemus fragmentum, sive rectius verbum unum. Hesychius: *ἀθήρ, ἐπιδορατίς. Αἰσχύλος Νηρεῖ.* Hinc Nereum fabulam posuerunt Meursius et Stanleius. Non nominato auctore grammaticus in Bekkeri Anecd. p. 353, 15. *ἀθήρ· ἀκμὴ τοῦ ἡκονημένου σιδήρου, κατὰ μεταφορὰν ἀπὸ τοῦ ἀθέρος, ὅς ἐστι τοῦ ἀστάχυος. λέγεται δὲ καὶ ἡ ἐπιδορατὶς ἀθήρ.*

Paullo uberior Attii fragmentorum rivulus manat. Apud Nonium p. 495, 21. haec leguntur:

ab clásse ad urbem téndunt, neque quisquám potest
fulgéntium armum armátus ardorem óbtui.

Praecivit Homerus Iliad. XIX. 356—363. Vt apud hunc, sic apud Attium quoque sequebatur descriptio Achillis. Ibi haec puto scripta fuisse, quae apud Priscianum VI. 7, 39. p. 245. ed. Krehl. leguntur: *lucifera lampade exurat Iovis arietem.* Sed quid sibi vult aries? Nisi fallor ita scripserat tragicus:

ut sí lucifera lámpade exurát Iovis
abíetem.

Similiter Homerus v. 373.

αὐτὰρ ἔπειτα σάκος μέγα τε στιβαρόν τε
εἵλετο· τοῦ δ' ἀπάνευθε σέλας γένετ', ἠΰτε μήνης.
ὡς δ' ὅτ' ἂν ἐκ πόντοιο σέλας ναύτῃσι φανήῃ
καιομένοιο πυρός· τὸ δὲ καίεται ὑψόθ' ὄρεσφιν
σταθμῷ ἐν οἰοπόλῳ.

Porro apud Nonium p. 261, 16. quae sic videntur scribenda esse:

primóres procerum prórocarent nómina,
si essét quis, qui armis sécum vellet cérnere.

Legitur *revocarent* ac *revocarint* et *nisi* ac *ni:* ut

litteras consideranti facilior videri debeat emendatio talis: *primores procerum ne vocarent nomina, ni esset quis, qui armis secum vellet cernere.* Sed vereor18 ut id commode dici potuerit, quum vocatis demum nominibus appareat neminem prodire. De fuga Troianorum vel qui describebat pugnam dicebat quod Nonius habet p. 110, 30.

non pérdolescit flígi socios, mórte campos cóntegi,

vel introducebat aliquem sic interrogantem ducem Troianorum. Sequitur aliud apud Charisium p. 93, 26.

incúrsio ita erat ácris.

et p. 101, 17. quod de Achillis et Hectoris congressu dictum videtur:

— *Mártes armis dúo congressos créderes.*

Ipse de se praedicavit Achilles haec apud Nonium p. 192, 2.

— *Scamandriam úndam salso sánctam obtexi sánguine,*
átque acervos álta in amni córpore explevi hóstico.

Eiusdem hoc esse in mortuum Hectorem credibile est p. 227, 30.

ubi núnc terricula túa sunt?

Tempore ad Myrmidones pertinet, quod p. 9, 26. sic scriptum legitur: *item ad maestitiam mutam infantium quadrupedum.* Ed. Mediol. hoc ordine, *infantium mutam.* Videntur enim haec de Achillis equis morte Patrocli maestis accipienda esse, quorum dolorem descripsit Homerus XVII. 426. seqq. Quod si non in nomine fabulae erravit Nonius, is qui haec dicit, puto autem Achillem esse, reversus ex pugna memoriam illius rei iniecit. Versus autem senarius esse videtur, scriptus hoc modo:

item ác maestitiam mútam infantum quádrupedum.

Superest fragmentum apud Nonium p. 500, 1. sed id adeo corruptum, ut inanis esse videatur hariolatio in loco fortasse mutilo. Sic enim scriptum est: *eos mortalis foenis libro decimo misereor saepe studitos volo.* In aliis libris brevius *lib. X.*

PHRYGES.

Phrygum appellatio huic tragoediae, cuius alterum nomen fuit Ἕκτορος λύτρα, a choro facta. Athenaeus I. p. 21. E. Ἀριστοφάνης γοῦν, παρὰ δὲ τοῖς κωμικοῖς ἡ περὶ τῶν τραγικῶν ἀπόκειται πίστις, ποιεῖ αὐτὸν Αἰσχύλον λέγοντα,

τοῖσι χοροῖς αὐτὸς τὰ σχήματ' ἐποίουν·

καὶ πάλιν,

19 τοὺς Φρύγας οἶδα θεωρῶν,
ὅτε τῷ Πριάμῳ συλλυσόμενοι τὸν παῖδ' ἦλθον τεθνεῶτα,
πολλὰ τοιαυτὶ καὶ τοιαυτὶ καὶ δεῦρο σχηματίσαντας.

Quae patet sic ab histrione acta esse, ut rideri gestus appareret, quibus saltantes fecisset Aeschylus Phryges. Ii sunt autem Troiani: v. Schol. Ven. ad Iliad. II. 862. et Eustath. p. 364, 42. qui quum Homerus Phryges a Troianis distinxisset, Aeschylum et recentiores eos confudisse observarunt. Scripsit Phrygum nomine vocatam tragoediam etiam Sophocles, si fides est Stobaeo VIII. 5. quattuor ex ea trimetros, qui Priami ad Achillem verba continere videntur, afferenti. Is quum solus Sophoclis Phrygum mentionem fecisse credatur, dubitari potest, an error sit in nomine scriptoris. Sed versus illi ita sunt comparati, ut, etsi potuerint scribi ab Aeschylo, tamen nihil habeant illius gravitatis et ponderis, quo alias facile Aeschylea dignoscuntur. Accedit quod quae Ennius scripsit Hectoris lutra, quum aperte non fuerint ad

Aeschyli exemplum facta, ut in quibus Hector non, ut apud Aeschylum, iam mortuus erat, ab Sophocle potius videntur esse accepta.

Initio fabulae Achilles prae dolore perdiu silens erat. Scriptor vitae Aeschyli: *ἐν δὲ δὴ τοῖς Ἕκτορος λύτροις Ἀχιλλεὺς ὁμοίως ἐγκεκαλυμμένος οὐ φθέγγεται, πλὴν ἐν ἀρχαῖς ὀλίγα πρὸς Ἑρμῆν ἀμοιβαῖα.* Scholiastes Aristophanis ad Ran. 941. ubi Aeschylus fecisse dicitur *Ἀχιλλέα τὸν ἢ Νιόβην, τὸ πρόσωπον οὐχὶ δεικνύς, πρόσχημα τῆς τραγῳδίας γρύζοντας οὐδὲ τοντί*, sic scribit: *ὡς αὐτοῦ εἰσφέροντος ἐν δράμασί τινα κεκαλυμμένον. ὁ Ἀχιλλεὺς δὲ καθήμενός ἐστι καὶ οὐκ ἀποκρινόμενος παρ' Αἰσχύλῳ ἐν δράματι ἐπιγραφομένῳ Φρυξὶν ἢ Ἕκτορος λύτροις. οὐδὲν δὲ ὁ Ἀχιλλεὺς φθέγγεται. Ἄλλως. εἰκὸς τὸν ἐν τοῖς Φρυξὶν Ἀχιλλέα ἢ Ἕκτορος λύτροις* Corruptum esse visum est scholion ad Aeschyli Prom. 435. *σιωπῶσι γὰρ παρὰ τοῖς ποιηταῖς τὰ πρόσωπα ἢ δι' αὐθαδίαν, ὡς Ἀχιλλεὺς ἐν τοῖς Φρυξὶ Σοφοκλέους, ἢ διὰ συμφοράν, ὡς ἡ Νιόβη παρ' Αἰσχύλῳ, ἢ διὰ περίσκεψιν, ὡς ὁ Ζεὺς παρὰ τῷ ποιητῇ πρὸς τὴν τῆς Θέτιδος ἀπαίτησιν.* Menagius apud Spanhemium ad Aristoph. Ran. 950. et Brunckius ad Sophoclis Phryges Aeschyli nomen pro nomine Sophoclis ponendum censuerunt. De quo ego quidem dubito, quum scholiastes quas tres silentii caussas commemorat, tribus trium poetarum exemplis videatur comprobare voluisse. Si quid errarunt librarii, facilius credam aliud ex Sophocle commemoratum fuisse: et praebere potuit Oedipus Coloneus: tum autem scripsisse scholiastam *ἢ διὰ συμφοράν, ὡς Ἀχιλλεὺς ἐν τοῖς Φρυξὶ καὶ ἡ Νιόβη παρ' Αἰσχύλῳ.* Nam hic Aeschyleus in Phygibus Achilles caput veste obvolutus sedebat prae dolore ob mortuum amicum.

Mercurium, quem vidimus in principio fabulae collocutum esse cum Achille, non credam, ut Welckero visum est, permira de fragmento quod a Polluce servatum afferemus comminiscenti, venisse ut nunciaret Achilli adventum Priami, sed potius ut iuberet eum ab saeviendo

in corpus Hectoris abstinere, et sepeliendum reddere Priamo: quo officio apud Homerum Thetis fungitur. Non magis verisimile est, quod eidem viro docto placuit, Phryges, qui chorum agant, comites esse Priami: quem credibile est, ut apud Homerum, noctu solum venire. Immo chorum ex captivis compositum fuisse existimo, quos Achilles satis multos habebat.

Pollux VII. 131. *τῷ μέντοι φορτηγῷ ἐπὶ τῶν τὰ φορτία ἀγόντων ἐμπόρων κέχρηται Αἰσχύλος ἐν Φρυξὶν ἢ λύτροις·*

ἀλλὰ ναυβάτην
φορτηγόν, ὅστις ῥῶπον ἐξάγει χθονός.

Accepit haec Aeschylus ab Homero, apud quem Mercurius in XXIV. 381. Priamo dicit:

ἦέ πῃ ἐκπέμπεις κειμήλια πολλὰ καὶ ἐσθλὰ
ἄνδρας ἐς ἀλλοδαπούς, ἵνα περ τάδε τοι σόα μίμνῃ;

Sed apud Aeschylum utrum Mercurius Priamum ne pro hoste habeatur metuentem his verbis consoletur, an vigiles, ubi plaustrum adventare sentiunt, inter se sermonem conserant, an Achilli quispiam haec dicat, sciri non potest. Welckeri certe hariolationes p. 425. silentio praetermittere satius est.

Priamum, nisi fallor, metuentem ne foedatum inveniret corpus filii, consolabatur aliquis, memorabatque, quamvis crudeliter quotidie curru esset raptatum, tamen illaesum mansisse deorum ope. Eo referam illa Athenaei II. p. 51. C. *μύρα δὲ τὰ συκάμινα καὶ παρ' Αἰσχύλῳ ἐν Φρυξὶν ἐπὶ τοῦ Ἕκτορος,*

ἀνὴρ δ' ἐκεῖνος ἦν πεπαίτερος μόρων.

Eustathius ubi qui *πέπονες* dicantur explicat, allatis aliis ex Athenaeo p. 68. D. 49. F. exemplis, p. 211, 16. 21(160, 5.) scribit: *τοιούτου δὲ στοίχου καὶ τὸ πεπαίτερον, ὅπερ ἐστὶν ὡριμώτερον. Αἰσχύλος·* et apponit eumdem versum. Sumpsit Aeschylus haec quoque ex Homeri carmine, apud quem Mercurius illa Priamo copiose exponit v. 411—423.

Priami ad Achillem verba esse videntur quae habet Hesychius, apud quem scriptum est: *διαπεφρούρηται βίος· Αἰσχύλος Φρυξίν. οἷον ἡ διὰ τοῦ βίου φρουρὰ* (legitur *φθορὰ*) *συντετέλεσται, ἢ διελήλυθεν ὁ χρόνος.* Vereor ut satis recte sit interpretatus. Nam conservata potius in tot malis, pereuntibus plerisque filiis, vita significari videtur, eumque ad terminum producta, qui finem faciat custodiendi. Fortasse hoc quoque ex Homericis illis expressum erat v. 486.

μνῆσαι πατρὸς σοῖο, θεοῖς ἐπιείκελ' Ἀχιλλεῦ,
τηλικοῦ ὥσπερ ἐγών, ὀλοῷ ἐπὶ γήραος οὐδῷ.

Aliud ex Priami oratione fragmentum servavit Stobaeus CXXV. 7. apud quem non sine mendis legitur: *Αἰσχύλου Ἕκτορος. καὶ τοὺς θανόντας εἰ θέλεις εὐεργετεῖν. τὸ γοῦν κακουργεῖν ἀμφιδεξίως ἔχει, καὶ μήτε χαίρειν μήτε λυπεῖσθαι βροτούς*: tum reliqua recte. Omittunt *εἰ θέλεις* codices A. B., iidemque deinde *ὃ γοῦν* habent. In tertio versu Salmasius *τῷ* pro *καί*. Fragmentum hoc ita scribendum:

καὶ τοὺς θανόντας εἰ θέλεις εὐεργετεῖν,
εἶτ' οὖν κακουργεῖν, ἀμφιδεξίως ἔχει
τῷ μήτε χαίρειν μήτε λυπεῖσθαι φθιτούς.
ἡμῶν γε μέντοι νέμεσίς ἐσθ' ὑπερτέρα,
καὶ τοῦ θανόντος ἡ δίκη πράσσει κότον.

Ei sermoni, qui deinde inter Priamum atque Achillem fuit, vindicanda arbitror duo fragmenta apud Stobaeum IV. 15. et 19. Eo in loco scriptorum notationes vehementer perturbatae sunt, sed bona fortuna accidit, ut versuum illorum alii ex superstitibus fabulis petiti sint, alii de scriptore ipsi faciant indicium. Legitur autem in margine *Αἰσχύλου* adscriptum non ei cui oportebat versui, pariterque paullo post apud Schowium p. 112. quum praecessisset Euripidis nomen, *τοῦ αὐτοῦ ἐν Φρυξὶ* adiectum est versui heroico, qui non est Aeschyli. Sed hic tamen titulus opportune monet unum illorum fragmentorum ad Phryges Aeschyli esse referendum; quumque illud, quod paullo ante ex eodem poeta allatum esse

certissimum videtur, sententiam contineat eam, cui tuen-
22dae alterum inservit: veri simillimum est utrumque ex eodem Priami cum Achille colloquio esse decerptum. Dicit igitur Priamus, praecipitem Achillis ferociam reprehendens:

> *οὐ χρὴ ποδώκη τὸν τρόπον λίαν φορεῖν·*
> *σφαλεὶς γὰρ οὐδεὶς εὖ βεβουλεῦσθαι δοκεῖ.*

Haec enim ut Aeschyli esse persuasum habeam, facit *ποδώκη*, verbum valde probatum Aeschylo: de quo dixi in dissertatione de Heliadibus p. 14. (Opusc. vol. III. p. 140.) Ad haec quum duobus versibus respondisset Achilles, rursum Priamus:

> *τὸ δ' ὠκὺ τοῦτο καὶ τὸ λαιψηρὸν φρενῶν*
> *εἰς πημονὰς καθῆκε πολλὰ δὴ βροτούς.*

Trinc. et Mss. aliquot Schowii *εἰς συμφορὰν καθίστησι πολλήν*. Vnus *εἰς ἡδονὰς καθῆκε πολλά*. Vnde Schowius *εἰς συμφορὰν καθῆκε πολλὰ* edidit, eoque modo etiam Dobraeus in Addend. Aristoph. p. 136. scribendum censuit. Non contemnenda vero erat codicis illius scriptura *ἡδονάς*, in qua latet gravius verbum *πημονάς*. Numerantur hi duo trimetri octavum incertorum fragmentorum Euripidis, ubi Matthiae adnotavit Valckenario eos Sophoclis visos esse.

Aliquas in hac tragoedia etiam Andromachae partes fuisse, certo constat testimonio: sed ea utrum una cum Priamo oratum ad Achillem venerit, an ultima pars fabulae Troïae acta sit, reduce illuc Priamo, nullum habemus indicium. Aptissimus certe luctus Troianorum est conclusioni. Scholion exstat ad initium Euripidis Andromachae, sic scriptum: *τὴν ἐν Ἀσίᾳ λέγει Ὑποπλάκιον, ἧς Ἠετίων ἐβασίλευσεν, ἔνθα καὶ τὴν Χρύσην καὶ τὴν Λυρνησσὸν ἐν τῷ τῆς Θήβης πεδίῳ τάσσουσιν, ὡς ὁ Ἰσχύλος Λυρνησσίδα προσαγορεύσας τὴν Ἀνδρομάχην ἐν τοῖς Φρυξίν· ἔνθα καὶ ξένως ἱστορεῖ Ἀνδραίμονος αὐτήν, λέγων· Ἀνδραίμονος γένεθλον Λυρνησσίου ὅθεν παρ' Ἕκτορος*

ἄλοχον ἤγαγε φίλην. Incogitanter haec emendarunt, qui scripserunt *ὅθεν περ Ἕκτωρ ἄλοχον ἤγαγεν φίλην.* Sic enim si scripsisset Aeschylus, alia nominaretur proles Andraemonis, non Andromacha. Apertum est hos fuisse versus Aeschyli:

Ἀνδραίμονος γένεθλον ὦ Λυρνησσίου,
ὅθεν περ Ἕκτωρ σ' ἄλοχον ἤγαγεν φίλην.

Ὅθεν nemo non videt ad *Λυρνησσόν* referri, quod latet in *Λυρνησσίου.*

Reddit Achilles Priamo corpus Hectoris pari pondere auri repensum. Scholiastes Ven. ad Iliad. XXII. 351. ad illud, *οὐδ' εἴ κέν σ' αὐτὸν χρυσῷ ἐρύ-*23 *σασθαι ἀνώγοι Δαρδανίδης Πρίαμος· ἢ διπλῆ, ὅτι ὑπερβολικῶς λέγει. ὁ δὲ Λίσχύλος ἐπ' ἀληθείας ἀνθιστάμενον χρυσὸν πεποίηκε πρὸς τὸ Ἕκτορος σῶμα ἐν Φρυξίν.* Schol. Townl. et Vict. *ὁ μέντοι Λίσχύλος Ἕκτορος λύτροις ἀληθὲς αὐτὸ ἐξεδέξατο.* Eo pertinet, quod Hesychius habet: *ἄροτον· τὸν ὁλκὸν τοῦ Ἕκτορος, ἢ τὸ ἀντίσταθμον. Λίσχύλος Φρυξίν.* Sic etiam Favorinus. Schowius, ex codice an per errorem, *ἀροτόν.* Interpretationum quas attulit Hesychius veram esse oportebat priorem: neque enim fieri potuit, ut pondus par diceretur *ἄροτος.*

Aliae quas ex hac fabula decerptas habemus voces ad quam partem operis pertineant plane incertum est. Sunt autem hae. Apud Hesychium: *ἀγαστά, ἃ ἄν τις ἀγάσαιτο, οἷον ἀρεστά· Λίσχύλος Φραζ.* Sic codex. Correxerunt *Φρυξί.* Non legitur apud Favorinum, dubitavitque Alberti, an, quod litterarum ordo suadeat, *ἀγατὰ* scripserit Hesychius.

Apud eumdem: *ἀδίοπον, ἄναρχον καὶ ἀφύλακτον. Λίσχύλος Φρυξί, δίοποι γὰρ οἱ τῆς νεὼς φύλακες.* Eadem in Bekkeri Anecd. p. 344, 8. non nominato auctore. Favorinus: *Λίσχύλος παρὰ Φρυξίν, ἀπὸ τοῦ διέπω. δίοποι γὰρ ἐλέγοντο οἱ τῆς νεὼς φύλακες.* Eustathius p. 203, 11. (154, 5.) *ἐκ δὲ τούτου οὐ μόνον δίοποι οἱ ἄρχοντες, ὡς καὶ Λίσχύ-*

λος δηλοῖ, ἀλλὰ καὶ ἀδίοποι οἱ μὴ ἀρχόμενοι. ἀδίοπος γάρ φασιν ὁ ἄναρχος καὶ ἀφύλακτος, ἐπεὶ δίοποι οἱ βασιλεῖς καὶ οἱ διέποντες.

Apud Hesychium: ἐπιστροφαί, διατριβαί, δίαιται. Αἰσχύλος Φρυξίν. Eadem Favorinus.

Apud Hesychium: τιτῆναι, βασιλίδες. ἢ Ἕκτορος λύτροις. Favorinus: τινήναις, βασιλίσιν, ἢ Ἕκτορος λύτροις. Hesychii edd. βασιλίδι. Sed codex βασιλδ'. Eadem vox mendose alio loco apud Hesychium scripta τιήνη, ἢ βασίλισσα, quod et ipsum recepit Favorinus. Ab honore repetitam esse hanc appellationem docet aliud apud Hesychium vocabulum: τίταξ, ἔντιμος, ἢ δυνάστης· οἱ δέ, βασιλεύς. Eadem comparatione, qua ex τιθήνη factum est τιθηνός, non dubitandum videtur quin Aeschylus a τιτήνη deduxerit adiectivum τιτηνός. Id, ut alia reconditioris formae apud Aeschylum vocabula, latuit criticos in Choephoris v. 397. qui versus, parum ille Aeschylea manu nuper attrectatus, sic scribendus:

κλῦτε δὲ, τὰ χθονίων τιτηνά.

24 Libri: τὰ χθονίων τετιμέναι, ex interpretatione, quae scripta fuerat τὰ χθονίων τετιμένα. Scholiastes: αἱ Ἐρινύες παρὰ τῶν χθονίων τετιμημέναι. At omnes deos inferos appellavit poeta τὰ χθονίων τιτηνά.

Attium si recte coniecimus duas priores huius trilogiae fabulas Latinas fecisse, mirari licebit, si non etiam tertiam sit imitatus. Non est tamen inter eius tragoediarum nomina, quorum notitiam habemus, quod convenire huic argumento videatur. Id igitur etsi in dubiis relinquendum est, tamen illud non est praetereundum, quod Cicero scripsit Q. Tusc. I, 44. ubi memoravit Ennii versus, quibus ille Hectorem curru quadriiugo raptatum dixit: *quem Hectorem? aut quamdiu ille erit Hector? melius Attius, et aliquando sapiens Achilles*:

immo enimvero córpus Priamo réddidi, Hectorem ábstuli.

Non igitur Hectora traxisti, sed corpus quod fuerat Hectoris. Quae quoniam Achilles dicere non potuit nisi reddito iam corpore Hectoris, suspicionem faciunt etiam postremae in Aeschyli trilogia fabulae argumentum ab Attio esse tractatum.

DE EPIGRAMMATIS QVIBVSDAM GRAECIS DISSERTATIO*).

In Corpore Inscriptionum Graecarum, quod Berolini Academiae litterarum Regiae impensis editur, epigrammata inveniuntur non pauca, quae quamvis mutila fere et corrupta sint, tamen haud contemnenda antiquae poesis monumenta esse videantur. Eorum quibusdam quum ego novam adhibendam esse curam existimem, data scribendi opportunitate meas de iis coniecturas volo cum hominibus doctis communicare. Quamquam enim scio multa in hoc genere valde dubia esse atque incerta, in nonnullis autem, nisi quod a divinatione petatur, nihil esse auxilii relictum: tamen, si quis non temere nec sine consilio procedat, saepe vel vera vel proxima veris, aut saltem probabilia erui posse quum per se intelligitur, tum exemplis luculentissimis et alii docuerunt non pauci homines litterati, et ego ipse in iis videor ostendisse, quae de inscriptionibus quibusdam a Fr. Th. Welckero explicatis disserui. Video quidem hanc facultatem a me abiudicatam esse his verbis in Corporis Inscriptionum vo-

*) Edita est a. 1833.

lumine secundo p. 63. b. *Haec scilicet credulis scribo, non viris eo ingenio praeditis, quod in Lipsiensi critico inesse videmus, qui quidquid ipsi displicet, quidquid nondum vidit, coniecturis expellit, licet in lapide sit certissime.* Etenim vir eruditissimus, qui statim in inscriptione Crissaea, quae prima in opere illo est, ipse se praedicavit de septem elementis quinque mutasse, sic existimare videtur:

duo quum idem faciunt,
hoc licet impune facere huic, illi non licet,
non quo dissimilis res sit, sed quo is qui facit.

Sim ergo, nec me esse nolo, dissimilis. Nimirum is quidem plane stolidus esset, qui quidquid sibi in mentem veniret, scriptum esse in antiquis monumentis aut debuisse scribi contenderet: sed non minus ineptus esset is, qui tantam putaret fidem habendam esse lapidibus, ut quidquid ex iis profertur, recte scriptum esse censeret. Quis enim, si multae inscriptiones nec verba usitata aut iuste formata, nec sententiam ullam praebent, probare falsa atque insana, quam peccatum credere ab lapidariis vel iis, qui descripserunt carmina illa et titulos, malet? Ac tria potissimum in inscriptionibus reperiuntur genera vitiorum. Primum in ipsis est etiam optime conservatis lapidibus, quum quid lapidarii vel errore vel inscitia vel negligentia commiserunt: secundum genus ex mala conditione lapidis repetendum est, quum plurimae tabulae vel fractae sint, ut divinare quid perierit oporteat, vel detritae, ut litterarum modo nulla, modo tenuia, modo ambigua supersint vestigia: tertium genus illorum continetur erroribus peccatisque, a quibus descriptae ex monumentis sunt inscriptiones. Et hoc quidem genus patet latissime. Namque illis modo ad singula accurate examinanda ac depingenda vel opportunitas vel otium vel diligentia defuit; modo, id quod factum est saepissime, ambiguitate vel similitudine litterarum decepti, quas cernere sibi videbantur litteras, ut certas et non dubias exhibuerunt, quas si attentius contemplati essent, alias esse

deprehendissent: praeterea autem haud raro quae vacua inter litteras spatia, versuumque qui fines quaeve initia essent adnotare neglexerunt: ut, si duo vel tres eamdem inscriptionem de lapide descripserunt, quae certissima esse crederentur, si ab uno descriptam haberemus, incertissima fiant per dissensionem plurium. Quocirca quum in plerisque inscriptionibus, quoniam ipsos lapides adspicere non licet, ex fide testium iudicandum sit, quis emendandi veniam, sine qua explicatio saepe nulla inveniri potest, non concedat interpreti, modo ille ne temere, ne inconsiderate, ne stulte coniectet. Et ab errore quidem in coniectando nemo se plane immunem praestare potest: verum errare non turpe est, sed turpiter errare. Est id autem errare aut ignorantia earum rerum, quas omnibus notas esse decet; aut levitate ea, quae facile potest animi attentione vitari; aut incogitantia, quae omnino abesse a studiis litterarum debet; aut perversitate iudicii, quam rationis usu arcere didicit mens non ignava; aut denique obstinatione opinionis, qua constrictum teneri vel ineptae vanitatis vel animi est perquam pusilli.

Initium faciam tentanda ipsa illa, cuius mentionem feci, inscriptione Crissaea, quam Rosius negavit explicabilem esse: sic autem eam scribi non posse, ut Corporis inscriptionum editori placuit, licet ille iterum iterumque et ipse et per alios suam tueri sententiam studuerit, neque opus est demonstrari, et demonstratum est ab aliis, novissimeque in Völckeri Posthumis fasc. I. p. 160 sqq. Ea est enim veri natura, ut exstirpari nequeat, et veluti caesae arboris radix, quae evelli non potuit, semper reviviscat novaque protrudat germina: nec quod non est verum, etiam si vel vicatim dispositi praecones verum esse ad ravim clamitent, umquam ut sit verum efficietur. Vt, si dignum est infelix illud *καί τε Βοία* de quo aliquid dicatur, quod I. A. Hartungum in Doctrina particularum Graecarum vol. I. p. 76. non sane exemplis et usu adductum probasse video, miror, quod qui id tanto studio tuendum existimarunt, non inde exempla congesserunt, ubi affatim invenire potuerant, ex recentioribus

epicis, ut ex Manethone I, 332. II. 295. 344. 381. 502. III. 42. VI. 365. repositum a nuperis editoribus etiam II. 299. atque etiam non initio sententiae, ut II. 485. III. 334.

μείζονα καί τ' ἀρίδηλ' ἀγάθ' ἀνθρώποις ἀνέφηνεν·
εἴκελα καί τ' ἄλλαις ἐπιμαρτυρίαις τελέουσιν.

In quibusdam illorum exemplorum dubitari potest, *καί τε* an *καὶ δέ*, quae particulae vix usquam tam saepe quam in illis libris consociatae inveniuntur, verior scriptura sit: Fluctuatur III. 82. 93. 314. sicuti II. 472. rectius videntur nuperi editores pro *καὶ δέσιν* scripsisse *καὶ δὲ δέσιν*, quam Dorvillius *καί τε δέσιν*. Suspectum est illud II. 381.

ἄλλα τ' ἐπ' ἀλλήλοις καί τ' αἴσχεα πολλὰ τελοῦντας·

ubi satius erat scribi *ἐπ' ἀλλήλοισι καὶ αἴσχεα*. Disiunctae istae particulae inveniuntur IV. 268. ubi scribendum videtur:

καὶ ἐμπυρίης τε ματευτάς,

quos dicit homines sordidos, qui ex deflagratis rogis vel aedificiis si quid illaesum mansit conquirunt. Et II. 300. ubi tamen recte nuper correctum videtur:

πολλοὶ καὶ παίδων γε καθηγητῆρες ἔασιν.

Ponendus est ille versus, nisi fallor, post v. 295. Quid vero his omnibus efficitur? Nihil nisi ut *καί τε* apud epicos illos nunc *et etiam* significare appareat, nunc autem, quod negari video, dubiam faciat sententiam, ut accedere videatur ad *fortasse*, quamquam Latinum ver-6 bum multo et gravius est et distinctius. Hanc potestatem apertissime habet II. 295.

ὡς δὴ καί τ' ἄλλοις ὑποφήτορας ἔμμεν ἀνιῶν.

Itaque Theognidis versus 138.

καί τε δοκῶν θήσειν ἐσθλὸν ἔθηκε κακόν,

non magis erat afferendus, quam quae millena huius generis ex Homero aliisque veteribus epicis colligi possunt. Si quo exemplo uti vellent, quod speciem aliquam opinioni suae adderet, suppeditare poterat Callimachus in hymno Apollinis v. 34.

πολύχρυσος γὰρ Ἀπόλλων·
καί τε πολυκτέανος· Πυθῶνί κε τεκμήραιο.

At hic quoque significant particulae istae *et etiam*, non secus quam in illis Empedoclis v. 79. 89.

καί τε θεοὶ δολιχαίωνες τιμῇσι φέριστοι,

et v. 424.

καί τε δέκ' ἀνθρώπων καί τ' εἴκοσιν αἰώνεσσιν.

Placuitque id vehementer recentioribus epicis, qui ne ἠδέ τε quidem reiecerunt. Sed quis umquam prosae orationis scriptor sic est loquutus? opinantur autem inscriptionem illam non esse versibus scriptam. Non enim credo Theagis illud apud Stobaeum I. 69. allatum iri: καί τε νόσοι τε γίνονται τῷ σώματος: quod quis non videat illum καὶ ταὶ νόσοι τε scripsisse? Sed quid verbis opus in re, de qua Graece doctis nulla esse dubitatio potest*)? Revertor ad inscriptionem Crissaeam.

Illud si verum est ΑΠΘΙΤΟΝ, quod in lapide scriptum est, ἄφθιτον esse, verbaque inscriptionis fuisse κλέος ἄφθιτον αἰεί, vel haec ipsa verba apertissime produnt versum heroicum; quod autem praecedit ἐγὼ

*) Apud Pausaniam IV. 9, 7. quod editio Kuhnii habet p. 302, 33. καί τε κνεῖν ἐξ αὐτοῦ, correctum ex codd. est, in quibus Mosc. deleto τε. Sed interposito inter utramque particulam vocabulo aliquo *et etiam* prosae quoque orationis scriptores dixere, ut Thucydides aliique. Multis haec disputavit Poppo ad Thucyd. I. 9. p. 101. seq. Memorabili ratione Pausanias VIII. 21, 3. Λύκιος δὲ Ὠλήν, ἀρχαιότερος τὴν ἡλικίαν, Δηλίοις ὕμνους καὶ ἄλλους ποιήσας, καὶ ἐς Εἰλείθυιάν τε: si sana haec scriptura est, quod vehementer dubito. In Marcelli Sidetae v. 30. turpem mendam καὶ ἀνθήεσσά τε σάλπη nemo non videat sic esse tollendam: καὶ μύες εὐθώρηκες, ἀκανθήεσσά τε σάλπη.

σεῦ, (licebit enim, quod oculis quisque suis videt in lapide esse certissime, tenere, nec mutare in id quod non est in lapide) quum σεῦ prima sit vox versus hexametri, elegiacum fuisse carmen illud indicio est. Caetera perexiguis correctionibus indigent, ut et Graeca verba et metris convenientia appareant. Earum mutationum maxima est, quod inter *NM*, i. e. νσ, *I* intercidisse puto, sive describentis culpa, sive quod ab lapidario haec littera adnexa erat iis inter quas media est litteris: reliquae levissimae mutationes sunt. Nam *MEΘEKE*, quod σ' ἔθηκε esse visum est, nihil impedit quin με ἔθηκε esse credamus, quum Σ et *M*, cuius posterioris quidem litterae non aliud in hoc lapide exemplum est, multis in7 inscriptionibus vix internosci possint: quae autem sequitur littera ab ipso videtur lapidario, ut pro *EE* esset, paullo maiore esse forma incisa. Sequitur paullo post *B*, quod non puto me audaciae notam subire, si pro *P* pictum esse dicam. Hanc litteram quae excipere visae sunt *OL1*, si contendam *OM*, i. e. ος esse, nemo opinor dissentiet, qui notas earum in lapide attentius intueatur, comparetque illud *M*, quod in κλέος est. Aperte depravatum est *ΘN III* sequente alio inexplicabili signo. Id cui θνατοῖς esse videatur, non credat quis erroris insimulatum iri. Et tamen factum est; scilicet ut isto signo, etsi duriusculum sit in *E* mutari, tamen mutato in *E*, erueretur scriptura cuius nullum in lapide vestigium est. Postremo facile patiar reprehendi, si *Θ* pro *O* scriptum censeam. Sic habemus haec: ἐγὼ σεῦ κλέος ἄφθιτον αἰὲ . . . ναστον με ἔθηκε ῥαΐτερος καί ζ . . . . πασιθέα θνατοῖς δὲ ἐοῦσ' ὀνο . . . Haec igitur verba si in lapide scripta sunt, ipsa oportet considerantem, quaerentemque quam sententiam continere potuerint, eo ducant, ut partem agnoscere videatur epigrammatis, quod pater filio, a cuius virtute sibi gloriam frustra speraverat, in monumento inscripserit. Quibus verbis illud epigramma perscriptum fuerit, nemo hodie nisi inventis quae utrimque decussae sunt lapidis partibus dicat: sed, quum gloriam intelligi bellicam veri sit simillimum, indeque col-

ligi posse videatur, adolescentem illum, priusquam armis cum hoste congrederetur, infelici casu esse peremptum, tali aliquo exemplo ostendi poterit recte procedere illa, quae in lapide scripta eruimus:

[εἰ δ' ἐχθρῶν βελέεσσιν ἐνὶ προμάχοισι πεσόντος
τύμβῳ ἔδωκα νέον σῶμ' ὁ γεραιὸς] ἐγὼ,
σεῦ κλέος ἄφθιτον αἰὲν [εὖ]μναστόν με ἔθηκε,
ἑαΐτερος καί κ[εν ματρὶ πόθος γένετο
παιδὸς] Πασιθέᾳ, θνατοῖς δὲ ἐοῦσ' ὀνο[μαστὰ
ὠλβίσθη σφετέρας εἵνεκεν εὐτεκνίας].

At, inquit, hoc est ludere. Recte: ludere volui, non illudere.

Dicam nunc de alio valde memorabili lapide, qui trium continet carminum fragmenta praestantissima: quorum etsi partes quaedam plane interierunt, tamen pleraque ita possunt restitui, ut vix quidquam dubitationis relinquatur. Id tractatum est in primo Inscriptionum volumine p. 477. seqq. et in addendis p. 913. seqq. Qui 8primus edidit, I. M. Gesnerus, quae tum temporis multorum erat Graecae linguae imperitia, ita explevit lacunas, ut meram barbariem exhibuerit. Illorum carminum primum hymnus est Aesculapii, in quo quae perperam scripsit lapidarius, emendata sunt ab editore Corporis, praeter unum vitium, in quo tollendo facile patiar me dici coniectura expellere quod in lapide sit certissime. Leguntur enim in eo hymno hi versus:

ὕπνον ἀπὸ βλεφάρων σκεδάσας εὐχῶν ἐπάκουε
σῶν Μερόπων, οἳ πολλὰ γεγηθότες ἱλάσκονται
σὸν σθένος, ἠπιόφρων Ἀσκληπιέ, πρῶτον, Ὑγείαν.

Quis, obsecro, ultima illa verba intelligat? Quae quum et Gesnerus et qui denuo accurate lapidem examinavit Voelkelius scripta viderint, non dubitandum videtur quin posuerit illa verba lapidarius. At vero scriptor hymni num scripsit quod sensu careret? Absit ut id credamus: immo vel obstinatissimus defensor lapidariorum fateatur

necesse est, a poeta profectum esse *Ἀσκληπιέ, δῶτορ ὑγείας**).

Nihil dicam de secundo carmine, quod est Ariphronis, notum aliunde, in lapide autem verbis nonnullis mutatum et scriptum vitiose. Tanto praestantius est carmen tertium, cuius et initium periit et primi versus ita mutili sunt, ut restitui plane nequeant. Invocatur eo Telesphorus versibus elegantissimis, quorum pars recte emendari vel propterea non potuit, quod videbantur heroici esse, quo metro postremi sunt scripti. At prior pars anapaestos habet cyclios. Eos quique sequuntur hexametros, praesertim postquam Voelkelius multa quae Gesnerum latuerant in lapide indicata deprehendit, non nimis difficile est sic integrare, ut neque barbaries inferatur in carmen elegantissimum, neque inepta et absurda dicentem faciamus poetam minime stultum aut indoctum. Videntur autem tres fere versiculi, qui primi fuerunt, penitus interiisse, ut ne una quidem littera supersit. Tum, si recte de spatiis in quibus nullae iam litterae agnitae sunt iudico, octo versuum fragmenta habemus. Eos versus si quis a poesi Graeca non alienus explere voluerit, habebit ille quidem quae eum ducant vestigia quaedam, sed ea tam pauca tamque dubia, ut, etiam si mirabili quadam felicitate id ipsum, quod poeta scripserat, inveniatur, tamen esse inventum nemo sit crediturus. Sunt autem primae quae reliquae sunt litterae *ΝΕΩΘΑΛΟΣ ΑΦ ΠΕΝ*, quarum tres postremae ambiguae sunt: paullo post autem quod legitur *ΔΕΜΟΝ* videtur *δαῖμον* esse. Ab nono demum versu sententiarum ratio intelligi9 potest: quare hinc iam quae desint coniectura invenire licet: quamquam, quae maiores lacunae sunt, quis se confidat ipsis poetae verbis explere? Illud tantum iure postulatur, ut afferantur, quae potuerit, non quae non potuerit scribere. Vncos, quibus supplementa discrevi, omisi ubi nullo modo de restitutione dubitari poterat.

---

*) Propius ab litteris quae in lapide scriptae sunt *ΠΡΩ-ΤΟΝΥΓΕΙΑΝ* abesse *πέμψον ὑγείαν* vidit Seidlerus.

. . . . . νέῳ
Θάλος . αφ . πεν . . .
. . . Τελεσφόρε σὰς ἀρετάς
. . . . . .
. πάνσοφε, λυσίπονον δ' . .
. . . . . .
. . δαῖμον . της . .
. . . . . .
Θανατόνδ' εἰκῇ [σπεύδοντα δρόμῳ
παῦσαι δέδοται πάγ]γλωσσα γένη
μερόπων, ἀνεγεῖραί τ' ἐκ καμάτων
βαρυαλγέα νοῦσον ἀπωσαμένῳ.
Παιὰν δὲ γέγηθεν ἀκειρεκόμης
νέον ἔρνος ἔχων σὲ, Τελεσφόρε, τὸν
πέρι κὴρ ἔσβη,
καὶ π[αιώνει] ἀκρόσεμνα θεοῦ
καμάτου βροτὸν ἔθ[νος ἔλυσ]ε, σύδ[ην δ']
ἔπι φάρμακ]ον αὐτὸς ἄγων μετὰ σοῦ
βαρυαλγέα ν[οῦσ]ο[ν ἀπωθεῖ·]
ἤδη χαῖρέ μοι, ὦ ἰώμενε, ὦ πολύ[υμν]ε.
παῖ[ζε, Τελ]εσφόρε, παῖζε, ἐπεὶ σύ γε γηθο-
σύ[νοισι]
σοῖς περὶ φαιδρὰ πρόσωπα γέλωτι λύεις ἱεροῖ-
σιν.
ὑμνέομέν σε, μάκαρ φαεσίμβροτε, δῶτορ ἐάων.
Παιᾶνος [δ'] ἵδρυμα, Τελεσφόρε κλεινὲ, δ[ιοίκει].
καί σ' Ἐπιδαύριοι μὲν ἀλεξιμόροισιν ἀοιδαῖς
γηθόσυνοι μέλπουσιν, ἄναξ, Ἄκεσιν καλέοντες,
οὕνεκ' ἄκος θνητοῖσι φέρεις στυγερῶν ἀδυνάων.
Κεκροπίδα[ι δὲ σέβ]ουσι Τελεσφόρον, ἐξότε
ν[ηλ]ῆ
νοῦσον ἀπωσάμενος πυροφ[θ]όρον εἰς τέλος αὐ-
τοῖς
εὐτοκίην ταχέως σὺ θεουδέα, δαῖμον, ἔθηκας.
οὐ μὰν τοῦδε χάριν σε, Τελεσφόρε, ᾄδομεν οἷον,
ἀλλ' ὅτι καὶ Παιᾶνος ἀκειρεκόμου θεραπείαις
ζωοφόρον σε ἔθηκεν, ἰὼ μάκαρ, αὐτὸς ὁ Βάκχος.

Non opus videtur ut de singulis dicam. Illud apertum est, *θεοῦ* v. 16. non esse cum *καμάτου* coniungendum, sed accipiendum de Paeane. Ac fortasse lapidarii error est *καμάτου*, poeta autem, ut v. 11. pluralem posuerat. Lapidario etiam v. 20. *ἰώμενος* imputandum puto, pro quo *ἰώμενε* scripsi. Sic enim oportebat, confirmaturque versu 31. Alio modo peccatum v. 21. in *ΠΙΙΖΤΕΕΥ*, quod esse debebat *παῖζε, ἐπεὶ σύ.* Idque posui. Turpi autem errore v. 25. in lapide verbum est plane absurdum *ἀλεξιχόροισιν*. V. 29. non videtur de febri ab Atheniensibus depulsa sermo esse, quam dici oportebat *πυρετηφόρον*, sed de sterilitate agrorum et morbo segetis. Sic addita quam lapidarius omisit littera metrum quoque salvum est.

Obscurum esse visum est Fr. Iacobsio aliisque epigramma quod inscriptio 428. p. 456. praebet. In eo Iacobsius recte vidit *ΕΞΙΙΣΕΝ* mutandum esse in *ἐξήνυσε*. Nam quis idoneus testis est, recte lectas esse litteras quae sunt in lapide? et si sunt illae ipsae, quae esse traduntur, quis non culpam in lapidarium coniicere, quam *ἔστησεν* scribendo simul et emendare errorem lapidarii et corrumpere versum poetae malet? Et lapidarii indiligentiam produnt etiam illa, *ἁρμῆτες ῥέξειν πείρατα πάντα τέχνας*, quae patet non potuisse sic a poetae manu proficisci. Neque vero aut *ῥ᾽ ἔξειν* aut *ῥήξειν* scribi potest. Sic incidi debuit lapidi hoc epigramma:

Ἀμφίων μούσαις κιθάρης ἐξήνυσε Θήβης
τείχεα· νῦν δ᾽ ἐπ᾽ ἐμᾶς πατρίδος Ἰλλύριος
ἀδύλογον μοῦσαν μεθέπω· τῷ καὶ δοκέουσιν
ἁρμῆθ᾽ ἑστήξειν πείρατα πάντα τέχνας.

Quisquis iste Illyrius fuit, cantorem fuisse apparet, qui caementariis moenia urbis exstruentibus canebat, eoque cantu eos ad opus strenue faciendum excitabat. *Ἁρμῆτ᾽* eo scriptum est, quod fere spiritum asperum, ut hodie quoque, in pronunciando negligebant.

In secundo volumine p. 34. inscriptio 1897. hoc modo corrigenda est:

Ἰσόν τοι τοκέεσσι Θράσων γέρας ὤπασε τιμᾶς
Θευγένει ἀντ' ἀγαθᾶς τοῦτο διδασκαλίας,
11 *ἐσθλὰ δαεὶς Παίωνος ἀλεξητήρια νούσων,*
οἷς πολλοὺς θανάτου ῥύσατο καὶ καμάτων.
ἀλλά τις αἰνείτω τὸν ἀεὶ χρόνον ἀνέρα τοῦτον,
ὅττι φίλου λάθαν μηδὲ θανόντος ἔτλα.

In ultimo versu Mustoxydes, qui hoc epigramma ex lamina aerea descripsit, *ἔχοι* dedisse dicitur; Koehlerianum apographum, quod accuratius esse, habere *ἔτλα*. In utroque, ut videtur, initio versus est *ὅς κε*. Welckerus in Sylloge epigrammatum p. 35. et primam et ultimam huius versus syllabam uncis circumdedit. Aperte vero et *ὅς κε ἔχοι* et *ὅςκε ἔτλα* soloecum, posterius etiam sententia nimis mirabile est. Neque vero cum indicativis *ἔχει* vel *ἔτλα* aut *ὅστε* aut *ὅς γε* recte procedit: paullo tamen tolerabilius *ὅστε*. Sed qui caetera tam eleganter scripsit, cur, quum in promptu esset *ὅττι*, male scripsisse credatur? aut cur, ubi res ipsa quid dicendum esset monstrabat, posuisse sententiam, quae nemini facile aut in mentem veniat aut apta esse videatur?

De inscriptione 1907. p. 36. quam in Sylloges Welckerianae censura tractavi, nihil dicerem, nisi *εὐδαεῖ* ut fictum vocabulum, *πολυπλανάτας* ut nec traditis litteris conveniens nec Graecum, *εἶτ' ἀτρεκές* propterea quod in tali epigrammate non defugiendum sit *ἐπ' ἀτρεκές*, reprehendi viderem. Si fictum dicendum est vocabulum, quod et legitur certissime in lapide ipsisque totidem litteris, et recte compositum, sed nondum alio in scripto inventum est, eius culpae non excusationem tantum, sed etiam defensionem exspecto ab ipsis illis, quibus dictus sum quidquid nondum viderim expellere. *Πολυπλανάτας* quam bene aut male conveniat cum litteris quae sunt in lapide *ΟΤΙΠΛΑΝΑΤΑΣ*, quivis videt: Graecum autem esse huiusmodi vocabulum nolo ego sic defendere, ut in tali inscriptione ferendum dicam, in qua profecto ferendum est etiam non Graecum vocabulum, si inauditum illud *ἐπ' ἀτρεκὲς* ferre placet: sed tueantur

id alia nomina, quae ex verbis accusativum admittentibus sunt composita, ut *πολυβοιήρ, πολυδέκτης, πολυΐστωρ, πολυπότης, πολυπράκτωρ, πολυῤῥαίστης, πολυσημάντωρ, πολυτρώκτης, πολυφήτωρ.*

Mala quidem epigrammata sunt, quae scripta sunt in Secundionem p. 58. inscr. 1988. sed tamen, ut iurisconsulti quemlibet praesumi bonum dicunt, donec probetur contrarium, sic etiam criticum cavere oportet ne in-12 iuriam faciat innocentibus, malosque esse putet, si quid non ipsi peccarunt; neve, quum putet malos esse, non vereatur facere ut peiores fiant. Illorum epigrammatum quod primum est, sic scribendum videtur:

κύματα πορθμεύσας κεῖμαι νέκυς ἔνθα Σεκουνδίων,
γῇ πατρίδι κρυφθείς, συνομαίμοσι δάκρυ προλείψας,
τρὶς δεκάτων πλήσας ἐτέων τὸ πανύστατα βαῖνον.
λύπην μή τῳ ἔδρων, καὶ πᾶσι βροτοῖσι διῆγον
δίχθα μάχης ζήσας, ἐν συμπλοίοις δὲ πρόπασιν
πολλοὺς ἐκ φιλίων ἐκτήμην ἄνδρας ἑταίρους.
οὔτε γυναῖκ' ἔλαβον, ἔζησα δ' ἐν εὐσεβίῃσιν.
οὐδάμ' ἀπητήθην τὸ τέλος, ὃ ἔδει ποτὲ δοῦναι.
ἀλλ' ἄρ' ἐνωρκηκὼς συνομαίμονας, οὓς προλέλοιπα,
μητέρ' ἐν εὐσεβίῃ πολλῇ διασώσαθ', ἱκνοῦμαι,
εἰδότες ἀνθρώπων γενεὴ ταχέως ὅτι λήγει.
σώματα γὰρ κατέλυσ' αἶα, ψυχὴ δὲ πρόπασιν
ἀθάνατος ὕψοῦ πωτώμενα πάντ' ἐπακούει.

Negligentissime hos versus aut incisos in lapide aut ex eo descriptos esse, cuivis inspicienti apertum est. Hinc maior concedenda emendanti libertas est. V. 5. *δίχθα* pro *δίχα* posui, quod lapidario deberi puto. Non memini quidem *δίχθα* hoc significatu legisse: sed quum omnino rarior haec forma est, tum potestatem habuisse eamdem quam altera habet videtur. V. 7. in *OITE-*

ΠΟΣΕΚ latere *οὔτε γυναῖκ'*, ex tertia inscriptione cognoscitur, in qua scriptum est *μήτε γυναῖκα λαβών*. V. 8. praedicat se semper persolvisse iusto tempore magistratibus tributa, ita ut numquam exigi ab se pecunia debuerit. V. 12. quod legitur *ΚΑΤΕΛΥΣΕΛΙΚΗΨΥΛΕΠΡΟΠΑΣΑ*, pro *ψυχὴ* inverso syllabarum ordine scriptum *ΚΗΨΥ*. Sententia autem et *αἶα* postulat et *πρόπασιν*. Vltimo versu recte se habet *πωτώμενα*. Audit, inquit, immortalis anima omnia quae sursum volitant dicta superstitum.

Perelegantis epigrammatis reliquiae exstant p. 190. inscr. 2168. in quo recte quidem animadversum videtur, excidisse tertio versu nomen proprium populi alicuius, sed caetera supplementa haud facile probabit, qui Graecam poesin bene cognitam habeat. Eius epigrammatis ea quae non plane perdita sunt ego quidem tali fere modo restituenda esse coniicio.

13 . . . . o . σα . . . βο . .
κάτθανον ἀτρέστῳ μαρνάμ[ενοι κραδίᾳ·]
σύμμαχα δ' ἡγεμόσιν Θέμενοι Ῥ[οδίων ὅπλα, κόσμον]
πατρίδι τὸν κλεινᾶν ὥπασαν [ἐξ ἀρετᾶν.]
ἦ ῥ' ἐτύμως τόδε σᾶμα λεόντε[σσιν πεφύλακται.]
οἳ μὲν γὰρ θηρῶν φέρτατοι, οἳ δὲ βρο[τῶν.]

Eadem pagina quod inscriptio 2169. habet epigramma, eius in primo versu dubitari vix potest quin verum viderint illi, qui in *ΣΟΙΠΛΑΚΑΝΗ . . . ΛΝΙΙΚΕ* latere putarunt *σοὶ πλάκα τήνδ' ἀνέθηκε;* recteque iidem etiam in altero versu *ΟΡΦΙΤΕ* mutandum censuerunt in *ἄφθιτε*. Sed relicta sunt in iis quae sequuntur alia, eaque satis gravia vitia; illud autem turpissimum in ultimo versu, *τρισσὸν ὑπὸ λυκάβαν γραμματικὸς τελέω*, quo et in grammaticam iste scilicet grammaticus peccavit, et, si fuit grammaticus, absurdissime id hoc est in epigrammate testatus. At nec fuit ille grammaticus, nec scripsit tam inepta, quam sunt illa quae ex lapide pro-

tulit is, qui descripsit epigramma valde aut negligenter aut imperite. Est enim elegantissimum, modo tollantur menda: quod profecto non est perdifficile, ipso viam monstrante argumento carminis.

Σοὶ πλάκα τήνδ' ἀνέθηκα, κόρη Διὸς ὑδατόεσσα,
πηγὴ νυμφάων ἄφθιτε νᾶμα φίλον,
ἔνθα πάλαι βασιλῆες ἀπὸ πτολέμοιο καμόντες
ἔγχεα καὶ κόρυθας κάθεσαν ἱπολόφους.
ἐξ οὗ δὴ Δορύκαμνα τέος λάχεν οὔνομα χῶρος,
χῶρος ὅδε λιαρῇ τερπόμενος λιβάδι.
πάντα δέ σοι νῦν ταῦτα διεργατίναις παλάμαισιν
τρισσὸν ὑπὸ λυκάβαντ' ἀκάματος τελέω.

Vix credibile est v. 5. neminem in *Δορύκαμνα* incidisse, quum tamen apertissime hoc illi loco nomen fuisse ostendant ea quae praecedunt. Tabulam, qui posuit hoc epigramma, fonti consecravit tepido, quo olim fessos puguando artus reges recreaverant. Nam *ἐλαιηρῇ*, quod pro *ὅδε λιαρῇ* in lapide esse fertur, profecto ineptissimum est fonti laudando praedicatum. Eum igitur locum ille assiduo per triennium labore coluerat et fecerat amoeniorem.

Non inuenustum est epigramma, quod p. 248. inscr. 2321. ex Maffeii Museo Veronensi p. 61. editum est, qui tabula LIII. 10. imaginem quoque, cui hi ver-13
sus subscripti sunt, exhibuit. Sedens mulier valedicit adstanti viro prehensa manu: ut solitum in monumentis sepulcralibus sedentes fingi qui moriuntur, valedicentesque adstantibus propinquis. Epigramma quum miserari videatur matrem fratremque mortuae, pater existimandus est ante illam vita esse defunctus. Itaque virum, qui adstat, fratrem esse oportet. Desideramus imaginem matris. Verum ea in re non est quod valde haesitemus, quum non una cogitari caussa possit, quare omissa fuerit mater. Versus non sunt a perito poeta facti, sed tamen nec versum heptametrum, nec reliqua, quae vel

insolenter, vel inconcinne, vel absurde dicta sunt, ipsi, quam lapidario, tribuere malim, praesertim quum facile corrigi posse videantur, partimque iam sint ab aliis emendata. In lapide scriptum esse traditur epigramma hoc modo:

ΣΗΜΑΜΕΝΕΝΣΤΗΛΗΓΛΥΠΤΗΘΕΣΑΝΗ-
ΝΙΚΕΠΩΜΕΝ
ΑΕΛΙΟΥΓΛΥΚΕΡΗΝΛΕΙΠΟΝΕΠΕΣΧΑΤΙΗΝ
ΡΗΝΕΙΗΣΔΕΜΕΔΕΚΤΟΜΥΧΟΣΚΑΙΑΛΑΜ-
ΠΕΤΟΝΟΥΔΑΣ
ΑΙΔΕΩΜΑΡ . . . . . ΥΠΟΣΚΟΤΙΗΝ
ΠΑΤΡΟΣΜΕΝΔΗΜΟΣΘΕΝΕΟΣΕΤΕΩΝΔΥΟ-
ΚΕΙΚΟΣΙΜΟΥΣΑΝ
ΙΣΤΕΔΕΜΕΤΡΙΤΑΙΗΝΗΜΑΤΟΣΟΛΑΥΜΕ-
ΝΗΝ
ΩΜΗΤΡΟΣΤΥΤΕΡΗΣΚΑΙΑΔΕΛΦΕΟΥΕΙΝΕΚ-
ΕΜΕΙΟ
ΝΟΥΣΟΣΑΚΩΛΥΤΩΙΜΟΡΣΙΜΟΝΕΙΔΕΤΥΧΗ.

In secundo versu Iacobsius coniiciebat eleganter, ut solet, *γλυκερὴν λεῖπον ἐπισκοπίην*. Veri tamen similius est *ἐπιστατίην*, quod in versu dici recte potuit pro *ἐπιστατείαν*. Significat autem regnum solis. Quartum versum probabiliter explevit Corporis editor. Quintus coerceri potest omittendo *ἐτέων*, quod vidit etiam Iacobsius. Adhuc autem indiget correctione sextus. Ineptissimum est enim horam dici, qua mortua sit mulier ista, non autem ipsum diem memorari. Hunc enim, si tempus mortis indicandum erat, nominari oportebat, ut *Τυβὶ μηνὸς εἰκάδι* in Welckeri Sylloge epigr. 81. Sed longe alia de re cogitasse videtur is qui fecit hoc epigramma, potestque id unius litterae mutatione restitui. Sic enim, si recte iudico, hi versus sunt scribendi:

Σῆμα μὲν ἐν στήλῃ γλυπτῇ θέσαν, ἡνίκ' ἐγὼ μὲν
ἀελίου γλυκερὴν λεῖπον ἐπιστατίην.
Ῥηνείης δὲ μ' ἐδέκτο μυχὸς καὶ ἀλάμπετον οὖδας
Ἄϊδεω, μάρψαν γαῖαν ὑπὸ σκοτίην,
πατρὸς μὲν Δημοσθένεος, δύο κ' εἴκοσι δ' οὖσαν.

ἴστε δ', ἐμὲ τριτάτην ἥπατος ὀλλυμένην
(ὦ μητρὸς στυγερῆς καὶ ἀδελφεοῦ εἵνεκ' ἐμεῖο)
νοῦσος ἀκωλύτῳ μόρσιμον εἶλε τύχῃ.

Impeditior paullo oratio est propter longius disiuncta ἥπατος νοῦσος, interposito etiam integro versu, qui non cohaeret cum reliquis, sed tamen cur sit isto loco positus res ipsa monstrat. Scitote, inquit, me hepatis morbus, tertiam pereuntem (o matrem afflictam et fratrem propter me), inevitabili rapuit sorti destinatam. Cognoscimus ex his versibus, tres liberos Demosthenis eodem mortuos esse hepatis morbo, qui quia hanc iam tertiam matri fratrique eripuit, ineluctabilis huic domui pernicies esse dicitur, materque et frater ipsi lugubri acclamatione appellantur, ut praeter duas alias suorum mortes nunc tertia morte afflicti.

Addam his epigramma, quod in libro Aristoteli tributo, qui est de mirabilibus auscultationibus, legitur §. 133. tractatum illud a multis parum felici successu, postremo a Welckero in Sylloge epigrammatum Graecorum: qui etsi rationem et sententiam versuum illorum recte perspexit, tamen in mendis tollendis non videtur verum esse assequutus. Exhibui narrationem Aristotelis ex editione Academiae Regiae Borussicae vol. II. p. 843. Τῆς καλουμένης Λιγιακῆς χώρας περὶ τὴν ὀνομαζομένην Ὑπάτην λέγεται παλαιά τις στήλη εὑρεθῆναι, ἣν οἱ Λιγιᾶνες τίνος ἦν εἰδέναι βουλόμενοι, ἔχουσαν ἐπιγραφὴν ἀρχαίοις γράμμασιν, ἀπέστειλαν εἰς Ἀθήνας τινὰς κομίζοντας αὐτήν. πορευομένων δὲ διὰ τῆς Βοιωτίας, καί τισι τῶν ξένων ὑπὲρ τῆς ἀποδημίας ἀνακοινουμένων, λέγεται αὐτοὺς εἰσαχθῆναι εἰς τὸ καλούμενον Ἰσμήνιον ἐν Θήβαις· ἐκεῖθεν γὰρ μάλιστα ἂν εὑρεθῆναι τὴν τῶν γραμμάτων ἐπιγραφήν, λέγοντες εἶναί τινα ἀναθήματα ὁμοίους ἔχοντα τοὺς ῥυθμοὺς τῶν γραμμάτων ἀρχαῖα. ὅθεν αὐτούς φασιν ἀπὸ τῶν γνωριζομένων τὴν εὕρησιν ποιησαμένους τῶν ἐπιζητουμένων ἀναγράψαι τούσδε τοὺς στίχους

Ἡρακλῆς τεμένισσε Κυθήρᾳ Φερσεφαάσσῃ,

Γηρυονείας ἀγέλας ἐλάων ἠδ' Ἐρύθειαν ἄγων.
τὰς δ' ἐδάμασσε πόθῳ Πασιφάεσσα θεά.
τῇδε δέ μοι τέκνῳ τῷ δ' Ἐρύθου τε δάμαρ
νυμφογενὴς Ἐρύθη· δὴ τόδ' ἔδωκα πέδον
μναμόσυνον φιλίας, φηγῷ ὑπὸ σκιερᾷ.

τούτῳ τῷ ἐπιγράμματι ἐπεχώρησε καὶ ὁ τόπος ἐκεῖνος Ἐρυθος καλούμενος, καὶ ὅτι ἐκεῖθεν τὰς βοῦς καὶ οὐκ ἐξ' Ἐρυθείας ἤγαγεν· οὐδὲ γὰρ ἐν τοῖς κατὰ Λιβύην καὶ κατ' Ἰβηρίαν τόποις οὐδαμοῦ τὸ ὄνομά φασι λέγεσθαι τῆς Ἐρυθείας. Haec qui consideret, facile intelligat, viditque id Welckerus, Herculem illo epigrammate dici lucum consecrasse Veneri, quo loco Erythia, nymphae cuiuspiam filia, quam simul cum Geryonae bubus secum ducebat, filium ei pepererit conceptum sub umbrosa fago, cui coniugi suae eum locum ab se dono esse datum. Sed versus ipsi, quos patet vehementer corruptos esse, quomodo restituendi sint dubitatur. Ac v. 1. libri etiam *Ἡρακλέος, Ἡρακλέους*, tum *τεμένιστε, τεμένει τε*, et cod. Vindob. cuius scripturas memoravit Welckerus, *τεμένισσῳ* praebent. Veneris quum nec Phersephaassae nec Pasiphaessae cognomen aliunde notum sit, illud quidem qui incorrupto iudicio utatur non adducetur ut credat, eamdem deam sine ulla caussa his tam similibus et tamen potestate tam diversis cognominibus tam brevi in epigrammate esse appellatam. Quare quum alii eam bis Phersephaassam, Buherius autem bis Pasiphaessam dictam censuissent, huic certe non debebat obloqui Welckerus. Nam *Πασιφάεσσα* cur dicta sit Venus, facile caussa inveniri potest*); non item cur vocata sit *Φερσεφάασσα*. Nam quae commentus est Welckerus, ut huius nominis rationem expediret, non opus est refutari. Immo non potest dubitari quin *Φερσεφα-*

*) Et dictam esse Pasiphaen testatur Io. Lydus in libro de mensibus c. 44. p. 214. ed. Roetheri, imperite tamen explicans nomen: *καλεῖται δὲ πολλαχοῦ καὶ Πασιφάη, ἡ πᾶσιν ἐπαφιεῖσα τὴν ἡδονήν.*

άσσῃ natum sit ex errore antiqui alicuius librarii, cuius menti illud nomen obversabatur: in epigrammate scriptum fuerat *Πασιφαέσσῃ*. V. 2. praeter primi nominis aliquot mendosas formas e codicibus adnotatum est *ἀγέλαι*, *ἀγέλων* et *ἐρυθόν*. Ineptum et ab ipso metro damnatum *ἐλάων* iure eiecit Welckerus. V. 3. legitur etiam *τὰς δάμασσε*. Bekkerus coniecit *τᾶς ἑ δάμασσε*, propemodo verum assequutus, nisi codicis Vindobonensis scriptura, *τὰς μὲν ἐδάμασσε*, certam emendandi viam monstraret. V. 4. aliquot libri *ἐρύθοντι* et *δάμαρτι*. Nihil caussae est cur hic filius Herculis non alia nominis forma quam *Ἔρυθος* appellatus fuerit: nam locus ille, qui Erythus dictus est, quidni a matre potius Erytha sive Erythia nomen acceperit? *Εὔρυθον* vero dictum esse, praeter Welckerum, qui *Ἔρυθον* et *Εὔρυθον* unius nominis diversas formas esse sibi persuasit, nemo credet, nisi qui *ἐφήβους* etiam *εὐφήβους* vocari non miratur. Sed *τεκνοῖ* recte Welckerus, itemque *τῇ* v. 5. pro *δή*. Iam vero ex his quae diximus facile erit nito-17 rem suum reddere epigrammati, quod vix dubitandum arbitror quin sic scriptum fuerit:

Ἡρακλέης τεμένισσα Κυθήρᾳ Πασιφαέσσῃ,
Γηρυονέως ἀγέλας ἰδ' Ἐρύθειαν ἄγων,
τᾶς μ' ἐδάμασσε πόθῳ Πασιφάεσσα θεά.
τῇδε δέ μοι τεκνοῖ παῖδ' Ἐρύθοντα δάμαρ,
νυμφογενὴς Ἐρύθη· τῇ τόδ' ἔδωκα πέδον
μναμόσυνον φιλίας φηγῷ ὑπὸ σκιερᾷ.

Dialectus hoc in epigrammate, ut in plurimis, sibi non constat.

3

DE FRAGMENTIS POETARVM IN SCHOLIIS VATICANIS AD EVRIPIDIS TROADES ET RHESVM DISSERTATIO.

Indicenda sunt antiquo instituto huius Litterarum Vniversitatis colloquia, quibus qui magisterii honores ambitis Candidati humanissimi, rationem reddere debeatis studiorum vestrorum, speciminaque exhibere operae in litteris collocatae, quibus digni reperiamini quos Ordo Philosophorum rite iubeat magistros artium liberalium philosophiaeque doctores appellari. Scitis autem iis hunc honorem praemium esse propositum, qui studiis litterarum ita formati sint, ut et instrumenta liberalis doctrinae idonea possideant, et recte iis sapienterque uti didicerint. Nam doctrina quamvis magna sine recto mentis iudicio caeca et iners est, nec memoriae multa mandasse facit ut quis pro erudito haberi possit, nisi cogitatio accedat, in qua vis denique omnis atque utilitas versatur scientiae. Quod etsi nemo est quin verum esse fateatur, tamen multos id hodie, seculi moribus abreptos, in ipso opere obliviscentes deprehendimus. Quum enim doctrinae omnes, crescente in dies materiae copia, tantum ceperint ambitum, ut vix unam aliquam, nedum multas, unus homo exhau-

rire discendo possit: alii plurima complectendi studio, dum cogitandi officium negligunt, nihil recte ac penitus cognoscunt; alii autem, discendi molestum laborem declinantes, solis mentis viribus cogitationisque intentione etiam quid sit aut fuerit intelligere se posse opinantur. Quorum alteri eruditionis, alteri ingenii laudem appetentes, si aliquam famam, brevi perituram adipiscuntur, ad incrementa scientiae autem perfectionemque artium haud sane multum conferunt. Quare qui sese ita litteris operam dare volunt, ut id neque inutiliter nec vanae existimationis caussa fecisse iudicentur, nec discendi debent assiduitatem reformidare, nec diligentia languescere cogitandi. Atque hanc quidem mentis in cogitando iudicandoque exercitationem severius explorandam censemus in iis, qui honores nostros petunt, quod ea non solum ad utendum iis quae quis didicerit, verum etiam ad discen-4 dum quae nondum cognoverit, necessaria est. Nam discendi finis homini nullus est: discere autem non est colligere modo quae quis reminisci possit, sed etiam rei cuiusque naturam et veram rationem cognoscere ac perspicere. Nihil autem nec tam leve est aut exiguum, ex quo non, si quis cogitationis lumen adhibeat, aliquis fructus percipiatur, nec tam abstrusum aut perplexum, ut non mentis acie penetratum patescat et planum fiat. Placet, quoniam scribendi mihi data est occasio, id exemplis quibusdam ex eo litterarum genere, in quo mea versantur studia, declarare.

Habemus scholia in Euripidis Troades et Rhesum, quae ex codice Vaticano in lucem ab Hieronymo Amatio prolata, primum edita sunt cum tragoediis Euripidis Glasguae a. MDCCCXXI. iterumque quarto anno post Lipsiae ab L. Dindorfio. Quae quum aliquot contineant eaque partim non aliunde nota fragmenta poetarum, operae pretium me facturum arbitror, si illa fragmenta, quae mendosa hic illic atque lacunosa sunt, emendare atque integrare conabor, praesertim quum id tentatum quidem a quibusdam, sed non ita perfectum sit, ut, qui Graecam poesin bene norit, acquiescere possit illis in

coniecturis. Et memorantur quidem in illis scholiis praeter Homerum poetae bene multi, ut quae Hesiodus, Euripides, Callimachus de Europa narrarunt, ad Rhesi v. 28. quae de Pane Euphorio et Aeschylus, ad v. 36. quae de nocte in quinque vigilias divisa Stesichorus et Simonides, ad v. 5. Porro Callimachi verba ex hymno Deli v. 112. afferuntur ad Troadum v. 214. et ex Iovis hymno v. 47. ad Rhesi v. 324. tum Cleostrati Tenedii duo versus ad v. 528. nec dubitandum, quin quod ad Troadum versum 31. parum emendate scriptum est, *Λυσίμαχος δὲ τὸν τὴν Περσηΐδα πεποιηκότα φησὶ γράφειν οὕτως*, eo *Ἰλίου πέρσις* designetur: quod fugit C. G. Müllerum in eo libro, quem scripsit de Cyclo Graecorum epico. Quorum vero praeter hos poetarum facta est mentio, eorum fragmenta quoniam dubitandi praebent materiam, de his deinceps explicabo.

Et Sophoclis quidem versus, qui ad Troadum v. 218. allatus est, etsi ex eo genere est, de quo propter fontium penuriam vix certi quid licet statuere, tamen habet quo probabili coniecturae locum faciat. Legitur in scholio isto: *Σοφοκλῆς δὲ ἐπὶ τῶν καιρῶν Τριπτολέμου οἰκισθῆναι τὴν Καρχηδόνα ἐν οἷς φησί· Καρχηδόνος δέ, κράσπα τιν ἀσπάζομαι.* Intulit haec, ut conveniebat fragmentis Triptolemi G. Dindorfius. Nam illa in fabula, ut ex Dionysii Halicarnassensis Antiq. Rom. I. 12. compertum habemus, Ceres Triptolemo terras nominabat, quibus eum semina impertire oporteret. Eadem igitur in oratione deae, ex qua tres versus attulit Dionysius, hunc quoque fuisse, eoque Carthaginis dominatorem salutari Triptolemum credibile est. Ex quo sic videtur esse corrigendus:

*Καρχηδόνος δὲ προστάτην ἀσπάζομαι**).

---

*) Theodorus Bergkius in commentatione de fragmentis Sophoclis p. 30. coniecit, *Καρχηδόνος δὲ κράσπεδ', ἣν ἀσπάζομαι.* Id mihi quoque primum in mentem venerat, sed moverunt ultimae litterae *α τιν* ut *προστάτην* praeferrem. Vtrum horum verum sit, diiudicari nisi aliis repertis subsidiis nequit.

Alii, non illi quidem ignoti versus, quos ex scholiis ad Orestem v. 1376. *ἐν κύκλῳ*, i. e. a poeta cyclico positos fuisse scimus, ad Troadum v. 822. ex parva Iliade afferuntur his verbis: *τὸν Γανυμήδην καθ' Ὅμηρον Τρωὸς ὄντα παῖδα, Λαομέδοντος νῦν εἶπεν, ἀκολουθήσας τῷ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα πεποιηκότι, ὃν οἱ μὲν Θεστορίδην Φωκέα φασίν, οἱ δὲ Κιναιθῶνα Λακεδαιμόνιον, ὡς Ἑλλάνικος, οἱ δὲ Διόδωρον Ἐρυθραῖον· φησὶ δὲ οὕτως·*

> *ἄμπελον, ἣν Κρονίδης ἔπορεν οὗ παιδὸς ἄποινα,*
> *χρυσείην, φύλλοισι παναργυρέοις κομόωσαν*
> *βότρυσί θ', οὓς Ἥφαιστος ἐπασκήσας Διὶ πατρὶ*
> *δῶχ', ὃ δὲ Λαομέδοντι πόρεν Γανυμήδεος ἀντί.*

Scripsi haec, sicut emendanda censeo. In codice legitur *μελάνικος* pro *Ἑλλάνικος*, in versuum autem illorum secundo *χρυσείοις φύλλοισιν, ἀγανοῖσι κομόωσαν βότρυσί θ' οὕς*, quae in scholiis ad Orestem sic scripta sunt: *χρυσείην, φύλλοισιν ἀγανοῖσιν κομόωσαν βότρυσι τούς*. Et *χρυσείην* quidem non dubito praeferre, quum quod consueverunt epici epitheta rem describentia in initio versus alterius ponere, tum quod id convenit cum verbis scholiastae ad Orestem hisce: *τινὲς οὐχ ἅπους, ἀλλὰ χρυσῆν ἄμπελόν φασι δεδόσθαι ὑπὲρ Γανυμήδους, καθάπερ ἐν κύκλῳ λέγεται.* Ex quo consequitur recte in scholiis Vaticanis legi *βότρυσί θ' οὕς*. Illud vero per mihi mirum videtur, quod, quum res ipsa monstret folia quoque et uvas ex pretioso factas esse metallo debuisse, tamen viri docti vel acquiescendum in inepto pravoque vocabulo, vel id commutandum cum alio etiam ineptiore putaverunt. Nam Schneiderus in Lexico *ἀγανοῖσιν* scribendum coniiciebat, quod verbum non dicitur de rebus inanimatis: alii autem defendi *ἀγανοῖσιν* posse crediderunt, idque vel ordine verborum mutato, ut C. G. Müllerus, qui numeros9 corrupit in iis quae de Cyclo epico p. 98. scripsit, vel producenda secunda syllaba, in qua sententia fuit Schaeferus in indice poeseos gnomicae, Brunckii sequutus iu-

dicium, qui in carmine Phocylideo v. 62. sic, ut in cod. Mutinensi scriptum est, pronunciari volebat

ἡδὺς ἀγαννόφρων κικλήσκεται ἐν πολιήταις,

damnabat autem, quod in codice uno inventum est ἡδὺς δ'. At ita codex ille rectissime: nam cum articulo poeta iste dixerat:

ἡδὺς δ' ἀγανόφρων κικλήσκεται ἐν πολιήταις.

Sequitur in eodem scholio Vaticano statim hoc: καὶ Ἀριστοφάνης Λαομέδοντος παῖδα τὸν Γανυμήδην φησὶ διὰ τὴν τῶν οἰκείων

ὁρᾷς ἐν τῇδε μενόντων Φρυγῶν. τύραννος ὤκων τυγχάνει γέρων. ἀπ' ὀργῆς Λαομέδων καλούμενος.

L. Dindorfius in scholiastae verbis οἰκιῶν scribendum existimabat, quo ἐξήγησιν vel simile vocabulum in spatio quod vacuum litteris est fuisse putaretur. Nam Aristophanem, quem grammaticum intelligendum esse, ex versibus qui sequuntur collegisse Laomedontis filium fuisse Ganymedem. At id ex his quidem ille versibus quomodo colligere potuerit non apparet. Qui enim domus, quam habitaverit Laomedon, filium ei Ganymedem fuisse, cuius nulla est mentio in illis versibus, prodiderit? Versus ipsos sic emendandos coniiciebat Dindorfius:

ὁρᾷς; ἐν τῇδε μὲν
ὄντων Φρυγῶν τύραννος ᾤκει τυγχάνων
γέρων ἀποργῆς Λαομέδων καλούμενος.

Quae etsi et facilis est et elegans emendatio, tamen non ita satisfacit, nihil ut dubitationis relinquatur. Nam primum ὁρᾷς quaerere non potuit is qui loquitur. Non enim cerni hoc poterat, habitasse olim in his aedibus Laomedontem. Deinde si Laomedon non nunc habitare in illa domo, sed olim habitasse dicitur, non recte additum est ὄντων Φρυγῶν, sive post primam haec dicta sunt expugnationem Troiae, sive post alteram. Nam si post primam, falsum dicitur, quia superstites adhuc erant Phryges; sin post alteram, inutile atque adeo ineptum est, quia, si demum cum Priamo deleti sunt, ne dubitari quidem potuit, quin fuerint quum regnabat Laomedon. Porro

quod dicitur *Λαομέδων καλούμενος*, quis fuit iste tam peregrinus homo tamque ignarus rerum celebratissimarum, ut ei nomen Laomedontis esset ignotum, exponique sic7 illum appellatum esse oportuerit? Et tamen tam sana esse haec verba videntur, ut vix de eorum veritate moveri possit dubitatio. Admittunt vero defensionem aptissimam, si non sunt ex tragoedia sumpta. Nam in fabula, quae non fuit tragoedia, recte introduci potuerunt personae nulla instructae illarum rerum scientia, quas tragicis personis notas esse conveniebat. Confert eo aliquid etiam *ἀποργῆς**), quod vocabulum recte restitutum videtur, etsi non est aliunde cognitum, quam ex eo, quod Erotianus *ἀποργέστερον* interpretatus est *ἀπηνέστερον*. Ac ne haec quidem adnotatio libera est erroris suspicione, si eam Foesius recte ad illa rettulit, quae scripsit Hippocrates in libro de fractionibus p. 763. E. sive vol. III. p. 94. ed. Lips. *ἀλλὰ μὴν ἀστεργέστερόν γε ξύλον ὑποτετάσθαι, ἢν μὴ ὅπως ἄν τις μαλθακόν τι ἐς αὐτὸ ἐντιθῇ*. Sic haec emendanda videntur. Fecit autem coniecturam Foesius de eo, quod Galenus illud *ἀστεργέστερον* similiter ut Erotianus per *ἀπηνέστερον καὶ ἀηδέστερον* explicat. Verum *ἀστεργέστερον* quidem aptissime scripsit Hippocrates, ubi monebat rudius esse atque inclementius, ligneum canalem, nisi linteis vel culcita imposita, fracto cruri subiicere: sed *ἀποργέστερον* an id appellari potuerit, valde dubito, etiam si alicubi *ἀποργὴς* similem ut *ἀπηνὴς* potestatem habuit. Omnino autem vereor, *ἀποργὴς* ut umquam simpliciter de saevo et duro dictum sit, quam vocem analogia de eo dici postulabat, cuius ira et cupiditas deferbuisset. Neque enim usquam intendendi augendique vim habet *ἀπὸ* praepositio. Quod si homo morosus dictus est *ἀποργής*, confectum irascendo intelligi oportebit, sicuti Germanice dicimus ***abgeärgert***. Hoc si verum est, ipsa per se haec vox a tragoedia repudiatur. Praeterea vero illud in isto fragmento vel maxime requirimus, ut

*) Seidlerus coniecit *ἀπ' ἀρχῆς Λαομέδων καλούμενος*.

de Ganymede aliquid dicatur. Aliter nihil plane conferunt hi versus ad id, quod demonstrare volebat scholiastes. Adiuvat emendationem praeter ea quae attuli etiam *καί*, quo hanc adnotationis suae partem incipit scholiastes: quae particula ostendit alium ab eo auctorem adiici, qui Laomedontis filium fuisse Ganymedem dixerit. Nam si sententiam Aristophanis grammatici de Troadum versu commemorasset, dixisset *Ἀριστοφάνης δέ*. His omnibus adducor ut et scholiastae et poetae verba hoc modo supplenda scribendaque credam: *καὶ Ἀντιφάνης Λαομέδοντος παῖδα τὸν Γανυμήδην φησὶ διὰ τὴν τῶν οἰκιῶν [κοινωνίαν·*

8 *στέγας δὲ Γανυμήδους] ὁρᾷς.*) ἐν τῇδε μὲν*
ὁ τῶν Φρυγῶν τύραννος οἰκῶν τυγχάνει,
γέρων ἀποργής, Λαομέδων καλούμενος.

Antiphanes enim comicus Ganymedem scripsit comoediam, in qua raptus describebatur Ganymedis. Ex ea fabula insigne fragmentum servavit Athenaeus X. p. 459. in quo iam credere licebit, herum, qui cum servo colloquitur, ipsum esse Laomedontem. Id fragmentum quoniam nondum penitus emendatum explanatumque est, sic, uti scribendum arbitror, apposui. Scribit autem Athenaeus: *ἐπεὶ δὲ ἱκανὴν παράβασιν πεποιήμεθα περὶ τῶν γρίφων, λεκτέον ἤδη καὶ τίνα κόλασιν ὑπέμενον οἱ μὴ λύσαντες τὸν προτεθέντα γρῖφον. ἔπινον οὗτοι ἅλμην παραμισγομένην τῷ αὐτῶν ποτῷ, καὶ ἔδει προσενέγκασθαι τὸ ποτήριον ἀπνευστί, ὡς Ἀντιφάνης δηλοῖ ἐν Γανυμήδει διὰ τούτων·*

Π. οἴμοι περιπλοκὰς
λίαν ἐρωτᾷς. Λ. ἀλλ' ἐγὼ σαφῶς φράσω·
τῆς ἁρπαγῆς τοῦ παιδὸς εἰ ξύνοισθά τι,
ταχέως λέγειν χρὴ πρὶν κρέμασθαι. Π. πότε
ρά μοι

---

*) Aliud idque valde probabile supplementum mecum communicavit F. V. Fritzschius; *φησὶ διὰ τούτων· τὴν οἰκίαν τὴν τοῦ Γανυμήδους οὐχ ὁρᾷς;*

γρῖφον προβάλλεις τοῦτον, εἰπεῖν, δέσποτα,
τῆς ἁρπαγῆς τοῦ παιδὸς εἰ ξύνοιδά τι,
ἢ τί δύναται τὸ ῥηθέν; Λ. ἐξω τις δότω
ἱμάντα ταχέως. Π. ὃν γ' ἐγὼ οὐκ ἔγνων ἴσως.
ἔπειτα τοῦτο ζημιοῖς με; μηδαμῶς·
ἅλμης δ' ἐχρῆν τι παραφέρειν ποτήριον.
Λ. οἶσθ' οὖν ὅπως δεῖ τοῦτό σ' ἐκπιεῖν; Π. ἐγώ;
κομιδῇ γε. Λ. πῶς; Π. ἐνέχυρον ἀποφέροντά
σου.
Λ. οὔκ, ἀλλ' ὀπίσω τὼ χεῖρε ποιήσαντα δεῖ
ἕλκειν ἀπευστί.

Legebatur οἷον οὐκ ἔγνων ἴσως et ἀποφέροντά σοι. Servus praecavens sibi ne loris caedatur, ita, inquit, me poculum ebibere oportet, ut id pro pignore a te auferam, quo meum sit, si tu me caedas. Minime vero, respondet senex: ne tanges quidem, sed reiectis in dorsum manibus uno spiritu trahes.

Ad Rhesi v. 419. legitur hoc scholion: ἄμυστιν. οἱ μὲν ποτηρίου εἶδος ἐπιτηδειότητα ἔχον πρὸς τὰς ἀμυστὶ πόσεις. ὡς ἐν αὐτῇ σὺν τῷ βαθείας καὶ πυκνὰς ἕλκουσι τὰς ἀμυστίδας. ἄλλοι δὲ ἐπὶ τῆς ἀπευστὶ τάσεως τάττουσι τὸ ὄνομα ὡς Κρατῖνος· ἀλλ' οὖν θεὸν πείσαντες, μῦστιν δεῖ ποιεῖν. In his Cra-9 tini versum recte sic emendavit L. Dindorfius:

ἀλλ' οὖν θεῷ σπείσαντ' ἄμυστιν δεῖ πιεῖν.

Sed idem quod pro τάσεως scribi voluit πόσεως, mihi commutandum videtur cum verbo magis proprio σπάσεως. Illud vero miror, quod novissimi editores Euripidis non animadverterunt huius poetae fragmentum, quod illo scholio servatum est. Neque enim dubitandum quin prior pars scholii sic sit corrigenda: οἱ μὲν ποτηρίου εἶδος ἐπιτηδειότητα ἔχον πρὸς τὰς ἀμυστὶ πόσεις, ὡς ἐν Αὐγῇ·

σὺν τῷ βαθείας καὶ πυκνὰς
ἕλκουσι . . . . . τὰς ἀμυστίδας.

Numeri ostendunt omissum esse aliquid, quod poeta po-

suerat post *ἕλκουσι**). Qui *σὺν τῷ* quum dixit, Herculem voluit intelligi, qui ipse de se illa in fabula:

νῦν δ' οἶνος ἐξέστησέ μ' · ὁμολογῶ δέ σε
ἀδικεῖν · τὸ δ' ἀδίκημ' ἐγένετ' οὐχ ἑκούσιον.

Tegeae enim ille in templo Minervae compresserat Augam: nec quidquam caussae erat, cur Matthiae negaret partem fabulae Tegeae, partem in Mysia esse actam. Qui cum scriberet, nullum tragicorum rem, quam in scena ob oculos ponat, ex alio in alium locum traiicere, non recordabatur Aeschyli Eumenidum, qua in tragoedia primo Delphis, deinde Athenis, atque ibi quoque primo in arce, post in Areopago res agitur. Euripidis in Auga versuum non fecit mentionem Athenaeus XI. p. 783. D. ubi *ἄμυστιν* describit.

Omnium, quae Vaticanis illis scholiis continentur praestantissimum est Pindari fragmentum, quod in ultimo est ad Rhesum scholio allatum: in quo restituendo nuper F. G. Schneidewinus et F. Th. Welckerus laborarunt in Musei philologici Rhenani vol. II. fasc. I. p. 110. seqq. Sed de eo priusquam dicam, emendare volo aliud scholion, quod est ad 246. in quo sermo est de filiis Musarum, quorum quosdam attigit illo in fragmento Pindarus. Id scholion ad hunc fere modum est corrigendum: *οὐκ εἴρηκε τίνος Μουσῶν ὁ Ῥῆσος εἴη παῖς. Κλειοῦς μέντοι λέγουσιν αὐτὸν εἶναι, καθάπερ Μαρσύας ὁ νεώτερος ἐν τοῖς Μακεδονικοῖς περὶ τῶν κακομόρων γράφων οὕτως · εἰσὶ δὲ οἳ καὶ περὶ τούτου εἶπον τοῦτο · Κλειὼ τὴν θεὸν ὑπὸ τοῦ Στρυμόνος ἐκ τοῦ χοροῦ τῶν Μουσῶν νυμ-*

---

*) Certe, quia nomen poetae non positum, Euripidem ab scholiasta significari credibile est. Nisi ille scripsit *ὡς Φιλύλλιος ἐν Αὔγῃ*·

σὺν τῷ βαθείας καὶ πυκνὰς
ἕλκουσι τὰς ἀμυστίδας.

Nam Philyllius quoque comicus Augam scripsit, commemoratam ab Athenaeo III. p. 110. F. et XI. p. 485. B.

φευθῆναι, τεκνῶσαί τε τὸν Ῥῆσον. καὶ μετ' ὀλίγον· ἔστιν ἱερὸν τῆς Κλειοῦς ἐν Ἀμφιπόλει ἱδρυθὲν ἀπέναντι τοῦ Ῥήσου μνημείου ἐπὶ λόφου τινός. ἔνιοι δὲ Εὐτέρπης αὐτὸν γενεαλογοῦσι, καθάπερ Ἡράκλειτος. φησὶ δέ· ἑβδόμη δὲ Καλλιόπη ποίησιν εὗρε ποιημάτων, καὶ συνοικήσασα Οἰάγρῳ γεννᾷ Ὀρφέα, τὸν πάντων μέγιστον ἀνθρώπων ἐν τῇ κιθαρῳδικῇ τέχνῃ γενόμενον, πρὸς δὲ καὶ τῆς ἐγκυκλίου μαθήσεως συγκριματικώτατον· ὀγδόη δ' Εὐτέρπη, ἣ τὴν κατ' αὐλοῦ εὗρεν εὐέπειαν, συνοικήσασα Στρυμόνι ἐντεκνοῖ Ῥῆσον, ὃς ὑπὸ Ὀδυσσέως καὶ Διομήδους ἀναιρεῖται. οἷς καὶ Ἀπολλόδωρος ἐπηκολούθησε γράφων οὕτως· τὰς μὲν Μούσας οἱ μὲν πλεῖστοι παρθένους παραδεδώκασι· γράφεται δὲ εἶναι Οὐρανίας μὲν Λίνον, Καλλιόπης δὲ Θάμυριν, Εὐτέρπης δὲ Ῥῆσον, Τερψιχόρης δὲ Σειρῆνα, Κλειοῦς δὲ Ὑμέναιον. τῶν δὲ λοιπῶν Θαλείας Παλαίφατον, ἐκ δὲ Πολυμνίας Τριπτόλεμον· Ἐρατὼ δὲ ἐρασθῆναι μὲν Ὑακίνθου, τελευτήσαντος δὲ αὐτοῦ μηδένα μηδ' υἱον γενέσθαι αὐτῶν. In codice quum alia non sunt emendate scripta, tum corruptissime illud: *Μαρσύας ὁ νεώτερος ἐν τ.˜.. οἰκοδομ.˜..τῶν κακοβρῖ, γράφων οὕτως.* De Marsya illo recentiore, qui pariter ut alter antiquior Macedonica scripsit, praeter Vossium de historicis Graecis I. 10. dixit Valesius ad Harpocrationem v. *Λητή*. Ex Apollodoro quae afferuntur, multum discrepant ab iis, quae hodie in Apollodori bibliotheca legimus I. 3, 2. p. 16. seqq. Rursum alia tradidit Pindarus in scholio ad Rhesi v. 895. de quo nunc explicabo. Eius scholii prima pars sic est in codice scripta: *Ἰαλέμῳ, καὶ Ἀσκληπιάδης. ἐν τ.˜.. περὶ δουλ..... πλείους τῆς Καλλιόπης λέγει παῖδας ἐν τουτ... Καλλιόπη γὰρ τὸν Ἀπόλλωνα μιχθέντα, γεν.....λιν...τὸν πρεσβύτερον. καὶ τρεῖς μετ' ἐκεῖνον· Ὑμέναιον·.....*

Ὀρφέα, τῷ δὲ νεωτέρῳ τὴν μὲν ἐπιθυμίαν .... ευμάτων ἐμπεσεῖν. καὶ περὶ τὴν μουσικὴν .....πάντων. οὐ μὴν τοιοῦτό γε πάθος .....γενέσθαι. Haec, si Welckerum p. 120. audimus, sic integranda sunt: *καὶ Ἀσκληπιάδης ἐν τοῖς περὶ δουλοσύνης θεοῦ πλείους τῆς Καλλιόπης λέγει παῖδας ἐν τούτοις. Καλλιόπῃ γὰρ τὸν Ἀπόλλωνα μιχθέντα γεννῆσαι Λίνον τὸν πρεσβύτερον καὶ τρεῖς μετ' ἐκείνου, Ὑμέναιον, Ἰάλεμον καὶ Ὀρφέα. τῷ δὲ νεωτέρῳ τὴν μὲν ἐπιθυμίαν καθαρμάτων καὶ μαν-*
11*τευμάτων ἐμπεσεῖν, καὶ περὶ τὴν μουσικὴν περιγενέσθαι πάντων, οὐ μὴν τοιοῦτό γε πάθος τῶν ἑτέρων γενέσθαι.* At ita haec scribi non possunt. Nam ut *μετ' ἐκείνου* mittam, quem errorem esse typothetae puto, nec memorem *τὸν πρεσβύτερον* et *τῷ νεωτέρῳ*, quae, si appositas adnotationes, „*pro πρεσβύτατον*“ et „*νεωτάτῳ, Orpheo,*“ recte intelligo, defendenda censuit Welckerus, primo demonstrandum erat, quo auctore Asclepiadae tribueret *τὰ περὶ δουλοσύνης θεοῦ*, qui sive singularis liber fuit, sive pars *Τραγῳδουμένων*, certe non sic, sed potius *περὶ δουλείας θεῶν* vel *τοῦ Ἀπόλλωνος* erat dicendum. *Τραγῳδούμενα* autem significari, quorum in sexto libro haec perscripta fuerunt, ex Pindari scholiasta cognoscitur ad Pyth. IV. 313. ubi Lini nomen excidit. Conf. Werferum in Act. Monac. T. II. fasc. IV. p. 516. Deinde illa, *τὴν ἐπιθυμίαν καθαρμάτων καὶ μαντευμάτων ἐμπεσεῖν*, linguae legibus repugnant, haec autem, *οὐ μὴν τοιοῦτό γε πάθος τῶν ἑτέρων γενέσθαι*, etiam inutiliter addita esse, inepteque cum praecedentibus copulata, tam apertum est, ut demonstratione non indigeat. Et sermo et sententia recte procedet, si sic fere scripsisse Asclepiadem putabimus: *Καλλιόπῃ γὰρ τὸν Ἀπόλλωνα μιχθέντα γεννῆσαί φασι Λίνον τὸν πρεσβύτατον, καὶ τρεῖς μετ' ἐκεῖνον, Ὑμέναιον, Ἰάλεμον, Ὀρφέα· τῷ δὲ νεωτάτῳ τὴν μὲν ἐπιθυμίαν ὀλεθρίαν ἀποβῆναι, ἣν αὐτῷ τῶν ἐπιτηδευμάτων ἐμπεσεῖν, οὐ μὴν τοιοῦτό γε πάθος, οἷον λέγουσί τινες, αὐτοῦ γενέσθαι.*

Sequitur alterum scholion, illud in quo Pindari fragmentum est. Id sic editum: *ἄλλως. Ἰαλέμω ..... λεγονπαρωνομᾶσθαι ἐπὶ τιμῇ Ἰαλέμου, τοῦ Ἀπόλλωνος καὶ Καλλιόπης ὥς φησι Πίνδαρος. ἔντι μὲν χρυσαλακάτου τεκέων ..... ἀοιδαὶ ὦ ..... παιάνιδες· ἔντι ..... ελλοντες· ἐκ κισυ .˜. στέφανον ἐκ δισ ..... αιόμεναι. τὸ δὲ κοιμίσαντῳ̃ .... ἀποφθιμένων· ἃ μὲν ἀχέταν Λίνον αἴλινον ὑμνεῖν. ἃ δὲ Ὑμέναιον· ἐργάμοισι χροϊζόμενον ..... συμι πρῶτ..λάβεν· ἐσχάτοις ὕμνοις· ἃ δὲ Ἰάλεμον δμοβόλῳ νούσῳ. ὅτι παῖδα θέντοι σθένος υἱὸν Οἴαγρον.* Ita haec ab Amatio accepta habemus. Sed Ambroschius, qui Welckeri gratia codicem denuo diligenter excussit, adnotavit post *τεκέων* periisse *Λατοῦς*, cuius pauca vestigia supersint; deinde *παιάνιδες* non tam longe distare ab *ὦϊ* vel *ὦϋ*, ut in codice esse; porro de sequentibus tantum *λλοντες ἐκισῦ στέφανον* apparere, sed *ἐκισυ* non prorsus certo; non esse tamen duplicis *ζ* ullum vestigium; inde omnia evanuisse, ut non audeat de *αιόμεναι* aliquid testari, quamquam reliquias eo ducere; plane etiam evanuisse quae sequebantur, sed tamen, quod Welckerus supplevit, *σώμαι* certum videri, deesse tamen apostrophum; deinceps codicem habere *λινὸν*, certissimum esse *ἐργάμοισι;* post *χροϊζόμενον* periisse omnia, ita ut de *συμι* vel *ὕμι* nihil decerni possit; denique etiam *ἐσχάτοις ὕμνοις* aliquid suspecti habere, quum super ultima in *ὕμνοις* posita *α* littera esse videatur. Haec ego si aliter restituenda existimo, quam Schneidewino Welckeroque visum est, non id mirabuntur viri docti: sed tamen, ne temere spernere illa videar, dicendum paucis est cur non probem. Ac primo quidem quod Schneidewinus initium scholii facile sic integrari posse dixit, *φασὶ τὸν ἔλεγον παρωνομάσθαι*, eo magnam prodidit levitatem. Non enim de elegis sermo est, sed quod Rhesi scriptor posuit *ἰαλέμῳ* explicabat scholiastes. Ex quo apertissimum est scripsisse eum: *φασὶ δὲ ἰάλεμον παρωνομάσθαι ἐπὶ τιμῇ Ἰαλέμου τοῦ Ἀπόλλωνος καὶ Καλλιόπης.* Deinde idem

Schneidewinus recte quidem vidit *Λατοῦς* post *τεκέων* esse restituendum, sed mira perversitate iudicii rationem affert hanc, quod *χρυσαλάκατος* haud raro Latonae sit epitheton. At est etiam aliarum dearum: ut ex epitheto non colligi possit quae hic dea sit a Pindaro nominata, nisi paean argumento esset, non de aliis quam de Latonae liberis esse sermonem: quare Latonae nomen debebat restitui, etiam si alio Pindarus usus esset epitheto. Recte vidit in *χισῦ* latere *χισσοῦ*, sed quod tum coniicit *ἐκ Διω[νύσου μεταμ]αιόμεναι*, ex iis est coniecturis, quas ex indicibus conquirunt, qui non ex ipso fonte haurire dedicerunt. Nam quid lucramur restituto verbo, quo alibi semel usum esse Pindarum index docet, nisi aperitur, quomodo id verbum cum omni horum versuum sententia cohaereat, atque hanc propter debuerit poni? In iis, quae sequuntur, Welckeri opinionem, qui *τὸ δὲ* scholiastae esse putabat aliquot Pindari verba omittentis, iure refutavit Schneidewinus ut aperte falsam usuique repugnantem. Tum vero Welckerus postremam partem fragmenti sic explendam coniecit:

κοίμισαν τρ[ιῶν θεαὶ υἱῶν] σώματ' ἀποφθιμένων·
ἃ μὲν ἀχέταν Λίνον αἴλινον ὑμνεῖν, ἃ δ' Ὑμέναιον
ἐν γάμοισι χροϊζόμενον [λέχος ἱμερτὸν] συμπρῶτα (sic) *λάβ' ἔσχατ'* (sic) *ὑμνοῦνθ'·*
ἃ δ' Ἰάλεμον ὁμοβόλῳ νούσῳ,
ὅτι πεδαθέντα σθένος υἱὸν Ὀιάγρου. —

At in his neque oratio Pindarica, immo ne Graeca quidem est, nec numeri, quales in Dorico carmine esse decebat, nec denique apta sententia. In primo versu errorem arguunt turbati numeri Dorici, turpisque hiatus *θεαὶ υἱῶν*. In secundo illa, *ἀχέταν Λίνον αἴλινον ὑμνεῖν*, rectius Schneidewinus videtur intellexisse, quam Welckerus, qui quum *αἴλινον ὑμνεῖν* ex *ἀχέταν* pendere voluit, comparans Sophoclis *εὐδρακὴς λεύσσειν*, sententiam excogitavit nullo pacto aptam. Nam sive Linus, uti debet, filius est Musae, is profecto non suam ipse

mortem est lamentatus; sive carmen Welckerus, ut videtur, in mente habuit, illud prodigiosum est, carminis, quod *αἴλινον* resonaret, non filii obitum luxisse Musam. Deinde *χροϊζόμενον λέχος ἱμερτόν*, quae ex Euripidis et Pindari indicibus comportata sunt, quum certo, ac pulcre quidem opposita esse postremis vocibus carminis nuptialis putat, significanterque dictum *συμπρῶτα*, quod vocabulum neque usurpatum a quoquam, et natura sua absurdum est, si autem Graecum esset, *σύμπρωτα* scribi deberet, vellem declarasset quid esset illud de Musa *λάβεν*. Nam quid est hoc: *illa Hymenaeum in nuptiis desiderabili toro appropinquantem simul prima cepit ultima canentem?* Schneidewino solum *ἔσχαθ' ὑμνοῦντα* videtur displicuisse. Mirabilia porro sunt, quae illi de scholiastae verbis in versuum intervallo adscriptis disputaverunt, *τῷ εὐθὺς γενομένῳ θρήνῳ;* quibus quum apertissime explicetur quod Rhesi scriptor posuit:

Ἰαλέμῳ αὐθιγενεῖ,
τέκνον, σ' ὀλοφύρομαι·

Welckerus ea ad *ὁμοβόλῳ νούσῳ* trahi voluerat, quumque Schneidewinus, etsi dubitanter, aperuisset errorem, non ad *αὐθιγενεῖ*, sed ad aliam scripturam, quam Schneidewinus excogitavit, *εὐθυγενεῖ* spectare censuit: quoniam autem carmina a Pindaro hic ipsa ut morientia describantur, Ialemum, qui una cum Orpheo, *ὁμοβόλῳ νούσῳ*, moriatur, nihil aliud esse existimavit quam *Ἰάλεμον εὐθυγενῆ*. Intelligat haec, qui potest, plaudatque, si potest, Pindaro, morientia fingenti carmina, quorum ortus declarare volebat; quin, si cui placet se omnia miscenti pervertentique scholae addicere, laudet etiam mirificum et incredibile Schneidewini iudicium, qui, ubi recte emendatum esse di-14
xit *υἱὸν Οἰάγρου*, eoque pertinere haec scholiastae Pindari ad Pyth. IV, 313. *Ἀπόλλωνος τὸν Ὀρφέα φησὶν εἶναι, ὃν καὶ αὐτὸς ὁ Πίνδαρος καὶ ἄλλοι Οἰάγρου λέγουσιν*, Apollinem et Oeagrum natura haud multo magis quam Neptunum et Aegeum diversos fuisse narrat: additque non minus mirabilem coniecturam *στένειν*, sa-

nissimam vocem *σθένος* nondum sanatam ratus. Neque Apollinis filium Pindarus Orpheum dixit, neque confudit Apollinem cum Oeagro, quum scripsit,

ἐξ Ἀπόλλωνος δὲ φορμικτὰς ἀοιδᾶν πατὴρ
ἔμολεν εὐαίνητος Ὀρφεύς,

sed, ut Ammonius aliique grammatici viderunt, *ἐξ Ἀπόλλωνος φορμικτὰν* appellavit.

Qui mutilatos et lacunosos scriptorum locos restituere volunt, ante omnia id curare debent, ut videant quid oportuerit dici, deinde id quomodo dici potuerit, denique quomodo dictum esse probabile sit. Aliter inanis est omnis opera et inepti lusus instar habenda. De his adeo non cogitasse videtur Welckerus, ut, quum *τρ̃* scriptum videret, statim id pro *τριῶν* accipiens, nullam quarti rationem haberet, quem propter *ὁμοβόλῳ νούσῳ* obiter cum Ialemo coniunctum esse putavit, etsi id nec verba nec mens et consilium poetae permittunt. Non multum dissentire videtur Schneidewinus, sed tamen haud inepte coniecit *ὠμοβόρῳ νούσῳ*. Ego quidem etsi mihi non id arrogem, ut illa ipsa, quae a Pindaro scripta fuerint, me sperem restituere posse, hoc tamen videor iure contendere, poetam varia carminum genera commemorare, quumque paeanes et dithyrambos nominasset, transire ad threnos, quibus Musae filios suos defleverint, Linum, Hymenaeum, Ialemum, Orpheum: quorum a tribus quum carmina, quae ab iis nomina acceperunt, originem duxerint, simul carminum illorum aliquam intexit memoriam; Orpheum autem, laudatissimum eorum qui ex Musis nati perhibentur, quemque et flevisse et sepelivisse Musas poetae cecinerunt, etsi ab eo nullum est carminis genus cognominatum, praeterire non potuit, nominavitque recte et significanter ultimo loco, ut universe threnos canendi primariam et potissimam occasionem. Ea si non ipsis poetae verbis, saltem iis verbis, quae et accommodata rei sint, et numerus habeant Dorico carmini convenientes, integrari poterunt. Itaque sic fere scripsisse Pindarum credo:

15 *ἔντι μὲν χρυσαλακάτου τεκέων Λατοῦς ἀοιδαὶ*

ὥριαι παιάνιδες· ἔντι δ' ἐπαντέλλοντος εὐχίσσου
στέφανον
ἐκ διθυράμβου μαιόμεναι· τὸ δὲ κοιμίσαν τε
τράζυγον θεαὶ
κᾶδος υἱῶν σώματ' ἀποφθιμένων,
ἃ μὲν ἀχέταν Λίνον αἴλινον ὕμνει,
ἃ δ' Ὑμέναιον, ὃν ἐν γάμοισι χρονίζόμενον
βρότεος αἰὼν φθέγμα σὺν πρώτοις λάβεν
ἐσχάτοις θ' ὕμνοισιν, ἃ δ' Ἰάλεμον, ὠμοβόλῳ
νούσῳ πεδαθέντα σθένος θ'
υἱὸν Οἰάγρου.

Sunt, inquit, *Latonae liberorum paeania suo tempore praeconia; sunt, quae oriente ex dithyrambo hederae coronam quaerunt; funusque quadriiugum peremptorum corpora filiorum condens Musae, alia Linum aelino canebat, alia Hymenaeum, quem in nuptiis tardatum gens mortalis primo postremoque in cantu vocat, alia Ialemum, crudelique morbi tactu membra captum filium Oeagri.* Sic haec concinunt cum adnotatione scholiastae, qui quum his Pindari versibus ialemum inventum esse testetur in honorem Ialemi, Apollinis et Calliopae filii, collegit id ex eo, quod eadem Musa cum Ialemo Orpheum quoque luxisse dicitur, quem omnes ex Calliopa natum tradiderunt. Orphei quam fabulae ferebant crudelem mortem poeta more suo humanius est interpretatus. Inde Asclepiades, si recte coniecimus supra: *οὐ μὴν τοιοῦτό γε πάθος, οἷον λέγουσί τινες, αὐτοῦ γενέσθαι.*

Optime hi versus conveniunt initio threni: quamquam etiam in medio carmine ad aliam partem argumenti transgrediens haec scribere potuit Pindarus. Id dictum volo propterea, quod, si hoc est principium threni, incertum est, utrum longius producta fuerit stropha, an antistropha his verbis, *υἱὸν Οἰάγρου*, inceperit; sin ex medio carmine sumpti sunt hi versus, non incredibile est, sexto versu vel stropham vel epodum cepisse initium. Diligenter enim cavendum est, ne huiusmodi in fragmentis temere quis et inconsiderate stropharum se fines at-

que initia, ac proinde etiam versuum responsiones deprehendisse credat. Id accidisse video A. Boeckhio in fragmento Timocreontis Rhodii, servato in Plutarchi vita Themistoclis cap. 21. de quo ille in prolusione huius 16anni mense Aprili edita disputavit. Quo in fragmento quum se putaret antistrophae initium invenisse, quia unum in eo versum redire videbat, aliter id, quam mihi visum erat, emendandum iudicavit. Illam enim quoniam in opinionem inciderat, duos qui illum versum sequuntur versus mutando, transponendo, delendo ita composuit, ut alteris duobus responderent. Itaque sic illud fragmentum scripsit:

ἀλλ᾽ εἰ τύγε Παυσανίαν, ἢ καὶ τύγε Ξάνθιππον
αἰνέεις, ἢ τύγε Λευτυχίδαν,
ἐγὼ δ᾽ Ἀριστείδαν ἐπαινέω ἄνδρ᾽ ἱερᾶν ἀπ᾽ Ἀθανᾶν ἐλθέμεν
λῷστον· Θεμιστοκλῆ᾽ ἐπεὶ ἦχθαρε Λατώ,
ἀντ. ψεύσταν, ἄδικον, προδόταν, ὃς Τιμοκρέοντα ξεῖνον ἐόντα
ἀργυρίοις σκυβαλικτοῖσι πεισθεὶς οὐ κατᾶγεν ἐς πατρίδα
Ἰάλυσον· λαβὼν δὲ τρί᾽ ἀργυρίου τάλαντ᾽ ἔβα πλέων ἐς ὄλεθρον,
τοὺς μὲν κατάγων ἀδίκως, τοὺς δ᾽ ἐκδιώκων, τοὺς δὲ καίνων, ἀργυρίων ὑπόπλεως·
Ἰσθμοῖ δ᾽ ἐπανδόκευε γελοίως ψυχρὰ κρέα παρέχων,
οἱ δ᾽ ἤσθιον
κεὔχοντο μὴ ὥραν Θεμιστοκλεῦς γενέσθαι.

Mittam tantisper caussam, propter quam factae sunt hae mutationes, et considerabo ipsas, quid habeant, quo se commendent, vel non videantur probandae. Ac statim hiatus in ἐπαινέω ἄνδρα pravus est, quem defendere quidem studuit Boeckhius, sed tutius est exemplis ex hoc ipso carmine depromptis. At ea exempla sic demum aliquid ponderis haberent, si non per versuum descriptionem, quae ipsi placuit, essent illata, sed illa versuum descriptio alio quod certum esset niteretur funda-

damento. Non numero autem in illis hiatibus μὴ ὥραν, quod eum etiam Attici tenent. In orbem igitur revertitur Boeckhii argumentatio, hiatus volens admitti, quia sic describendi sint versus, versus autem sic describi, quia admittendi hiatus sint. Deinde apud Plutarchum et elegantissime et oratione planissima et numeris optimis legitur ἐλθεῖν ἕνα λῷστον, ἐπεὶ Θεμιστοκλῆ' ἤχθαρε Λατώ. Quae quis tandem, si per se considerantur, distingui volet sic, uti factum videmus, scriptura verborum mutata, ordine inverso, expulso quod significantissime positum est ἕνα? Porro male exit versus quartus in ἐόντα, quum qui sequitur versus a vocali et quidem eadem qua prior finitur incipiat. Est id verbum quidem plene scriptum apud Plutarchum, sed est etiam Θεμιστοκλῆα, ut, si in altero elidenda est vocalis, non appareat cur17 in altero non sit idem faciendum. Tum εἰς πατρίδα, etsi est apud Plutarchum, tamen pessimum praebet choriambum, praesertim sequente Ἰάλυσον. Id a me propter hanc ipsam caussam commutatum erat cum πάτραν, putoque id recte factum esse, eamque emendationem non minus facilem, quam propter numeros esse necessariam. Ἐς ὄλεθρον utrum scripserit Timocreon, an, ut apud Plutarchum legitur, εἰς ὄλεθρον, quis sciat, ubi nullum habemus versum antistrophicum? Cur ergo mutata est scriptura? Certe quod dicit vir doctissimus, dedisse se paeonem quartum, clausulam usitatissimam, ubi, ut hic, vehementiorem exitum postulet sententia, ut ille mentem percutiat fortius, id dupliciter sine caussa dictum esse contendimus, tum quia εἰς ὄλεθρον choriambus esse potest, cuius numerus etiam vehementior est paeone, tum quia, si non est choriambus, sententia minime adspernatur epitritum. Quid enim? Multo certe vehementius est, quod iratus quis dicit οὐκ εἰς ὄλεθρον, et tamen id sic producta syllaba dixit Sophocles in Oedipo Rege v. 430. et 1146. In huiusmodi rebus si argutari libet, nihil est quod quis non possit labefactare. In penultimo denique versu quod est apud Plutarchum in vulgaribus libris Ἰσθμιοῖ δ' ἐπανδόκευε, in codice Parisiensi autem

Ἰσθμοῖ δὲ πανδόκευε, quum esset a me Ἰσθμοῖ δὲ πανδοκεὺς scriptum, Boeckhius pridem se sanavise dicit eiecto υ. Licebit vero dubitare an sanaverit. Nam non solum illud mirum accidit, quod poetam, qui Dorismi usu aliquantum superavit Pindarum, hic non, ut exspectabamus, scriptumque est ab Mehlhornio, ἐπανδόκει, sed plane insolenter Ionica lingua ἐπανδόκεε dicentem videmus; verum etiam ipsum illud verbum suspectum est. Vsitatum est πανδοκεύειν: πανδοκεῖν autem quis dixit? Aeschylus, in Septem ad Thebas v. 18. At is si usus est hoc verbo (nam variant libri, habentque alii δοκοῦσα, alii προσδοκοῦσα) ipse id finxisse pro sermonis illius ratione videtur, quo significaretur πάντως ὑποδεχομένη. De patria enim loquens scribit:

ἦ γὰρ νέους ἕρποντας εὐμενεῖ πέδῳ,
ἅπαντα πανδοκοῦσα παιδείας ὄτλον,
ἐθρέψατ' οἰκιστῆρας ἀσπιδηφόρους
πιστοὺς, ὅπως γένοισθε πρὸς χρέος τόδε.

18Quocirca tantum abest, ut illud verbum Timocreonti tribui hac auctoritate posse videatur, ut significationem eius aliam esse appareat, quam quae est in πανδοκεύειν, quod ponere Timocreontem, si substantivo non uteretur, oportebat.

Revertor nunc ad primos fragmenti versus. In his igitur ut Boeckhius hiatus inferret, scripturam mutaret, ordinem verborum inverteret, vocabulum aptissimum et significantissimum eiiceret, hanc caussam habuit, quod isti tres versus finis sint strophae, respondereque debeant ultimis tribus fragmenti versibus: quod alii quoniam non viderint, perficere eos emendationem non potuisse. Quid vero, si id non ita est, recteque illi non viderunt, quod ne erat quidem videndum? Nam quid cogit, ut ista sibi respondere necesse sit? Nihil aliud, quam quod primus fragmenti versus ex iisdem membris constat, ex quibus ille, qui tertius a fine est. At huius rationis vis nulla est, praesertim in carmine numeris Doricis scripto, in quo eadem ubique membra inter se copulari solent, sae-

peque idem versus etiam eadem in stropha redit. Crederem vera dicere Boeckhium, si etiam qui sequuntur versus eamdem utroque loco membrorum coniunctionem vel haberent vel non dubiis indiciis proderent. At id non est: diversi enim sunt numeri, et suo utrique loco tales, ut non modo iusti aptique sint, sed vitiis etiam careant illis, quae mutandis numeris illata esse videmus. Ad haec non intelligo quid responderi possit, ut erroris arguamur. At, inquiet, aptissime illis verbis, *ψεύσταν, ἄδικον, προδόταν,* stropha incipit. Vero: neque enim nego, sed affirmo ipse, quum praesertim optime epitritis finiatur stropha, qui sunt in ultimo versu fragmenti. Iam quis ostendet, quia haec initium sunt systematis, antistropham hoc systema esse, ac non, quod pari iure sumere licet, initium esse strophae, illa autem, quae praecedunt, epodi versus postremos? Crediderim ego quidem hoc ita esse comparatum, ut, quum sic servari possint librorum scripturae, neque aut mutatione verbi ullius, aut eiectione, aut transpositione, aut hiatuum insolitorum admissione opus sit, non solum probabilior haec ratio, sed necessaria existimari debeat. Nam quid tandem est, quod quis vituperet in his:

ἀλλ᾽ εἰ τύγε Παυσανίαν ἢ καὶ τύγε Ξάνθιππον
αἰνέεις
ἢ τύγε Λευτυχίδαν, ἐγὼ δ᾽ Ἀριστείδαν ἐπαι-
νέω
ἄνδρ᾽ ἱερᾶν ἀπ᾽ Ἀθανᾶν 19
ἐλθεῖν ἕνα λῷστον· ἐπεὶ Θεμιστοκλῆ᾽ ἤχθαρε
Λατώ,
στρ. *ψεύσταν, ἄδικον, προδόταν, ὃς Τιμοκρέοντα*
ξεῖνον ἐόντ᾽
ἀργυρίοις σκυβαλικτοῖσι πεισθεὶς οὐ κατᾶγεν
ἐς πάτραν Ἰάλυσον,
λαβὼν δὲ τρι᾽ ἀργυρίου τάλαντ᾽ ἔβα πλέων εἰς
ὄλεθρον,
τοὺς μὲν κατάγων ἀδίκως, τοὺς δ᾽ ἐκδιώκων,
τοὺς δὲ καίνων,

ἀργυρέων ὑπόπλεως, Ἰσθμοῖ δὲ πανδοκεὺς γελοίως
ψυχρὰ κρέα παρέχων·
οἳ δ' ἤσθιον, κεύχοντο μὴ ὥραν Θεμιστοκλεῦς γενέσθαι

Membra versuum an ubique recte distinxerim neque ego scio, nec magis scire credo alios, quia hac de re tum demum iudicari posset, si totum carmen exstaret. Nam si una atque altera horum coniunctio membrorum aliquo in Pindari carmine pro uno versu est, non habet id aliam vim, quam ut potuisse sic consociari a Timocreonte membra illa, non ut debuisse efficiatur.

Quoniam de fragmentis poetarum ab scholiasta Euripidis Vaticano servatis disputavi, non alienum duco, illa quoque fragmenta attingere, quae in parte vitae Euripidis leguntur, quam Rossignolus in Diario eruditorum Gallico a 1832. m. Aprili ex libro manuscripto edidit. Repetierunt eam vitae partem G. Dindorfius in Annalium philolog. et paedagog. supplementis vol. I. fasc. IV. p. 539. seq. et Welckerus in Musei philologici Rhenani vol. I. fasc. II. p. 297. seqq. In ea leguntur haec, quae statim emendate scripta posui: *εἶχεν οἰκογενὲς μειράκιον ὀνόματι Κηφισοφῶντα· πρὸς τοῦτον ἐφώρασε τὴν οἰκείαν γυναῖκα ἀτακτοῦσαν. τὸ μὲν οὖν πρῶτον ἀπέτρεπεν ἁμαρτάνειν· ἐπεὶ δ' οὐκ ἔπειθε, κατέλιπεν αὐτῷ τὴν γυναῖκα, βουλομένου αὐτὴν ἔχειν τοῦ Κηφισοφῶντος· λέγει οὖν καὶ ὁ Ἀριστοφάνης·*

Κηφισοφῶν ἄριστε καὶ ταλάντατε,
σὺ δὴ συνέζης εἰς τὰ πόλλ' Εὐριπίδῃ
καὶ συνεποίεις, ὥς φασι, τὴν μελῳδίαν.

λέγουσι δὲ καὶ ὅτι γυναῖκες, διὰ τοὺς ψόγους οὓς ἐποίει εἰς αὐτὰς διὰ τῶν ποιημάτων, τοῖς Θεσμοφορίοις ἐπέστησαν αὐτῷ, βουλόμεναι ἀνελεῖν, ἐφείσαντο δὲ αὐτοῦ, πρῶτον μὲν δι' αὐτὰς τὰς Μούσας, ἔπειτα δὲ βεβαιωσαμένου μηκέτι αὐταῖς κακῶς ἐρεῖν. ἐν γοῦν τῇ Μελανίππῃ περὶ αὐτῶν τάδε φησί·

μάτην ἄρ' εἰς γυναῖκας ἐξ ἀνδρῶν ψόγος 20
ψάλλει κενὸν τόξευμα καὶ κακῶς λέγει·
αἳ δ' εἴσ' ἀμείνους ἀρσένων, ἐγὼ λέγω.

In Aristophanis versibus codex: *Κισιφῶν ἄρισιε καὶ μελάντατε, σὺ δὲ συνέζης.* Dindorfius et Welckerus scripserunt *σὺ δὲ ξυνέζης.* Welckero, nec dubium quin soli, *μελάντατε* alludere ad *μελῳδίαν* videbatur. *Ταλάντατε* Seidlero hos versus legenti in mentem veniebat; et videtur ille recte coniecisse. In Euripidis fragmento Welckerus *ψάλλει* se correxisse ait: scilicet scripsit *ἰάλλει*, synizesin litterarum *ια* apud tragicos haud raram esse dicens. Nescio quos illos tragicos dicat. Sincerissimam esse codicis scripturam vel illud in Bacchis docere potuerat v. 785.

πέλτας δ' ὅσοι πάλλουσι καὶ τόξων χερὶ
ψάλλουσι νευράς.

Eadem in vitae Euripidis parte eo loco, quo excipit partem eam, quae ex Mediolanensi codice adiecta est Elmsleii editioni Baccharum, haec leguntur: *λέγουσι δὲ καὶ Σοφοκλέα ἀκούσαντα ὅτι ἐτελεύτησε, αὐτὸν μὲν ἱματίῳ φαιῷ ἤτοι πορφυρῷ προελθεῖν, τὸν δὲ χορὸν καὶ τοὺς ὑποκριτὰς ἀστεφανώτους εἰσαγαγεῖν ἐν τῷ προαγῶνι, καὶ δακρῦσαι τὸν δῆμον**). Omisit *ἀστεφανωτοὺς* Welckerus vel sua vel typothetae negligentia. Illa, *ἤτοι πορφυρῷ* deleri volebat Rossignolus: ego quidem vel *ἤτοι ἀπορφύρῳ*, vel quod nescio an praestet, *ἀντὶ πορφυροῦ* scribendum arbitror. Idem Rossignolus scribi voluit *ἐν τῷ ἀγῶνι*, quod Welckerus

*) Valde prababilis est F. V. Fritzschii suspicio, cui videtur Euripides cum Aeschylo esse commutatus: nam haud veri simile esse, Euripide mortuo Sophoclem in extrema senectute fabulam docuisse, idque eo incredibilius esse, quod brevissimo spatio post Euripidem et quo fortasse vix nuncius de obitu eius ex Macedonia pervenisset, mortuus sit Sophocles: de qua re disseruisse Boeckhium in iis quae de tragicis scripsit p. 209. seqq. et Ritschlium in commentatione de Agathone c. 6.

utrum probet an improbet, non potest ex eo intelligi, quod addit, *Προαγῶνα* fabulam fuisse Philonidis, sedecim annis actam ante mortem Euripidis. De illa fabula fuse disputavit in fragmentis Aristophanis G. Dindorfius, non ille tamen nomen eius explicans, quod ne alios quidem usquam fecisse video. Nomen fabulae certe aliquid fuisse ostendit, quod *προαγὼν* dictum fuerit. Quod nisi fallor, ita vocabatur solemnis pompa, quae sacris factis ante commissionem ludorum duceretur. Id colligi licet ex iis, quae Aeschines scripsit in oratione in Ctesiphontem §. 67. de Demosthene: *γράφει ψήφισμα, τοὺς καιροὺς τῆς πόλεως ὑφαιρούμενος, ἐκκλησίαν ποιεῖν τοὺς πρυτάνεις τῇ ὀγδόῃ ἱσταμένου Ἐλαφηβολιῶνος μηνός, ὅτ' ἦν τῷ Ἀσκληπιῷ ἡ θυσία καὶ ὁ προαγών, ἐν τῇ ἱερᾷ ἡμέρᾳ, ὃ πρότερον οὐδεὶς μέμνηται γενόμενον.*

21 Adiiciam his, quoniam semel in manibus est hic Musei Rhenani fasciculus, epigramma venustissimum, quod in iis, quae ibi Welckerus tractavit, duodecimum est. Venustissimum vero? inquietis, Candidati doctissimi: immo absurdissimum, omnique genere perversitatis plenum. Fateor, ut quidem editum, et, si diis placet, emendatum est. Nam sane quidem ***audire est operae pretium.***

Πατρὶς μέν μοί ἐστι Λύκων πόλις· εἰμὶ δ' Ἀπολ-
λ[ώνιος]
ἐν Φαρίῃ γαίῃ θυμὸν ἀποφθίμενος.
νήπιός ἡρπάσθην δ' ἑκκαιδεκάτου ἐνιαυτοῦ
ἕκτον δωροσύνης μῆνα παρερχόμενος.
νῦν δ' Ἀβυδηναίου Ὀσίριδος ἀμφιπολεύω
θῶκον, καὶ φθιμένων οὐκ ἐπάτησα δόμους·
(ἀθανάτων καὶ τέκνα μεμορμένον οἶκον ἐπελ-
[θεῖν·],
ἀλλ' οἰκῶ μακάρων ἠλύσιον πεδίον,
ἔνθ' ἅμα παισὶ θεῶν ἀει[γενέ]ων Κυλλήνιος
Ἑρμῆς
ἵδρυσε, καὶ λήθης οὐκ ἔπιον λιβάδα.

In primo versu lapis ἡ παιρίς, lapicidae, ut audimus, errore. Immo critici errore deletus articulus. Porro *poteram*, inquit, *scribere* Ἀπολλᾶς. Cur ergo non fecit, sed maluit versum disperdere? Nihil dictum de tertio versu: et tamen quid hoc monstri est, puer infans, idemque sedecim annos et sex menses natus? Versu quarto iure quidem δωροσύνη vocabulum novum appellatur: ac sane tam novum est, quam quod eadem pagina ipse vir doctissimus fecit, *effossit*. Addit, illud δωροσύνη obscurae hic quidem significationis esse. Crediderim non hic tantum, sed ubique, si umquam est usurpatum. Statum enim aliquem haec nominum forma significat. Ad septimum versum, quem ipse sic emendavit, parenthesin longiorem commemorat ex alio epigrammate. Quid hoc ad rem? Si ita scripsisset, ut ipse vult, is qui epigramma fecit, addidisset hunc versum appositionis figura ad δόμους, quo δόμοι dicerentur οἶκος μεμορμένος καὶ ἀθανάτων τέκνα ἐπ' αὐτὸν ἐλθεῖν. At inepta est illa sententia, quia ei repugnant sequentia: nam si etiam deorum filios in Orcum pervenire necesse est, qui fit, ut hic sedecim annorum infans, qui non est dei filius, sese tamen in campis Elysiis habitare, quodque permirum est, ibi quoque inter filios deorum, quos modo alium in locum detrusos dixerat, vivere autumet? Denique cur nono versu donamur heptametro, et in decimo verbi mensura vitiosa?22 Videte vero, Candidati optimi, quam facile turpissimae istae labes abstergi possint. Lapidis scripturas Welckerus memorat has: v. 1. *ΗΠΑΤΡΙΣ*. v. 7. *ΟΙΥΟΝΕΠΕΙ*. v. 8. *ΑΛΛΟΙΚΕΙ*. v. 10. *ΠΑΡΥΣΕ*. Reddamus igitur scriptori sua:

Ἡ πατρὶς μὲν μοῦσι Λύκων πόλις· εἰμὶ δ' Ἀπολλᾶς,
ἐν Φαρίῃ γαίῃ θυμὸν ἀποφθίμενος.
νήπιος ἡρπάσθην δ' ἑκκαιδεκάτῃ ἐνιαυτοῦ
ἕκτον κουροσύνης μῆνα παρερχόμενος.
νῦν δὲ Ἀιδωνήιου Ὀσίριδος ἀμφιπολεύω

θῶκον, καὶ φθιμένων οὐκ ἐπάτησα δόμους*).
ἀθανάτων καὶ τέκνα μεμορμένον οἶτον ἐπισπεῖν,
ἀλλ' οἰκεῖ μακάρων Ἠλύσιον πεδίον.
ἔνθ' ἅμα παισὶ θεῶν μ' ἀγαγὼν Κυλλήνιος Ἑρμῆς
ἥδρασε, καὶ Λήθης οὐκ ἔπιον λιβάδα.

Lycopolis patria est: dicebar nomine Apollas.
In Pharia mea sunt membra sepulta solo.
Aetatis senos post menses fata tenellum
Sexta me decima corripuere die.
Nunc sed Abydenaei Osiridis aedituum esse
Scito, atque infernas non adiisse domos.
Ipsorum prolem superorum certa manet mors,
Sed campis felix degit in Elysiis.
Illa inter divum pueros me sede locavit
Mercurius, Lethes nec tetigi laticem.

Intelligitis, opinor, Candidati humanissimi, etiam in tenui argumento non temere neque incogitate esse versandum, sed mentis et iudicii ope discuti tenebras et vera aut proxima veris patefieri. Eam igitur rationem curate ut in omnibus studiis vestris teneatis, si non vulgi perituram admirationem, sed mansuram approbationem eorum qui sapiunt consequi cupitis. Speramus autem vos id velle, eoque acceptae nobis erunt petitiones vestrae: quas rogo ut ante diem XVIII. Ianuarii, quo comparendum vobis coram Ordine nostro erit, ad me afferatis. Me vero Ordinemque Amplissimum, si quo modo vos in impetrandis honoribus, quibus ornari optatis, adiuvare potuerimus, volentes ac paratos invenietis.

P. P. Dom. I. Adv. Chr. a. MDCCCXXXIII.

---

*) Videndus de optimatum sepultura Abydi Creuzerus in commentationum Herodotearum parte I. p. 97. seqq.

PICTVRA PARIETVM

CONIECTVRAE*).

Radulphus Rochettus, vir antiquitatis scientia clarissimus, nuper diariis eruditorum Parisinis dissertationem inseruit de veterum Graecorum pictura parietum, scriptam non solum maximo cum apparatu doctrinae, sed etiam ea circumspectione ac moderatione, quae quoniam certissimum est animi ingenue veritatem quaerentis documentum, vel ipsa per se haud exiguam debet ad persuadendum vim habere. Propositum erat viro doctissimo, ut ostenderet falsam esse illorum opinionem, qui morem illum parietum tectoria pingendi, cuius tot exempla in sepulcris Etruscorum inveniuntur, apud Graecos iam florentissimo artis aevo pervulgatum fuisse credunt. Quos quum iam C. A. Boettigerus erroris convincere in eo libro instituisset, quem de pictura veterum scripsit, Rochettus eam rem denuo, tum iisdem tum aliis usus argumentis, pertractavit diligentissime. Cuius dissertatio quasi bipartita est, quoniam a coloribus profectus, quos veteres Graeci statuis et caelaturae induxerunt, deinde disputationem ad parietum picturam transtulit. Vtroque in

*) Editae a. 1834.

genere sunt, de quibus adhuc viri docti inter se dissentiunt. Nec mirum. Nam archaeologiae, quam hodie non, ut olim, universam antiquitatis scientiam, sed illam modo eius partem, quae ad artium monumenta spectat, appellare consuerunt, haec est ratio, ut, quum tres sint ex quibus hauriri debeat fontes, ipsorum contemplatio superstitum monumentorum; testimonia litterarum; indagatio eorum quae rei cuiusque natura vel fert vel poscit: eorum in nullo quidem non diligentia, exercitatione, rectoque et cauto iudicio opus sit, sed maxime id, quod secundo loco posui, quia plenum est operis et laboris, vel negligatur, vel a quibusdam etiam contemnatur. Et tamen fere potissimum est: quia testimoniis certissima conficitur rerum cognitio, si quidem iis et interpretatio iusta, et, ubi opus est, recta emendatio adhibeatur. Ex hoc
4igitur genere adnotabo quaedam ad Rochetti dissertationem, quo, si possim, aliquid conferam ad explananda ea quae dubia videbantur.

Ac primo quod Rochettus cum Voelkelio in Postumis I. p. 91. Platonem in IV. de rep. p. 420. C. de statuis coloratis loquutum censuit, recte factum credo. Scribit Plato: *ὥσπερ οὖν ἂν εἰ ἡμᾶς ἀνδριάντας γράφοντας προσελθών τις ἔψεγε λέγων, ὅτι οὐ τοῖς καλλίστοις τοῦ ζῴου τὰ κάλλιστα φάρμακα προστίθεμεν· οἱ γὰρ ὀφθαλμοί, κάλλιστον ὄν, οὐκ ὀστρείῳ ἐναλήλιμμένοι εἶεν, ἀλλὰ μέλανι· μετρίως ἂν ἐδοκοῦμεν πρὸς αὐτὸν ἀπολογεῖσθαι λέγοντες· ὦ θαυμάσιε, μὴ οἷον δεῖν ἡμᾶς οὕτω καλοὺς ὀφθαλμοὺς γράφειν, ὥστε μηδὲ ὀφθαλμοὺς φαίνεσθαι, μηδ' αὖ τὰ ἄλλα μέρη; ἀλλ' ἄθρει εἰ τὰ προσήκοντα ἑκάστοις ἀποδιδόντες τὸ ὅλον καλὸν ποιοῦμεν.* In tabula pictas imagines dici crediderunt, grammaticis addicti, Schaeferus in Melet. cr. p. 102. perrarum hunc vocabuli usum esse dicens, et Ern. Schneiderus. At Schaeferus quidem aperte falsus est: nam et quae affert grammatici verba (in Bekkeri Anecd. p. 82, 9. quibus cum Suida addi possunt p. 324, 5. 334, 18.) *ἄγαλμα καὶ γραφὴν καὶ ἀνδριάντα ἀδιαφόρως· Ἀντιφάνης Ζωγράφῳ*, non *ἀνδριάντα* de pictura dici,

sed differre potius a γραφῇ, utrumque autem ἄγαλμα vocari ostendunt, ut verissime monuit Voelkelius; nec perrarum dici potest, quod uno tantum, ipsoque eo loco legitur, in quo dubitatur an sit ita dictum. Non puto enim Platoni adhibitum iri, quod de ara quadam Neptuni scribit Scylax p. 321. ed. Gail. ἐν δὲ τῷ βωμῷ εἰσὶ γεγραμμένοι ἀνδριάντες, λέοντες, δελφῖνες· Δαίδαλον δέ φασι ποιῆσαι· in quibus verbis non est, ut Welckero in Sylloge epigrammatum p. 162. videbatur, mira vocabulorum confusio: quid impediebat enim, modo scriptura vitio vacua sit, quin penicillo vel caelo etiam statuae exprimerentur? Megalographiam simulacra deorum habentem memoravit Vitruvius VII. 5. qui megalographiam quid dicat, cognosci potest ex Platonis Sophista p. 235. E. Alia exempla statuae in pictura repraesentatae videre licet apud Pausaniam I. 22, 6. X. 26, 3. ed. Bekkeri, cuius numeros sequor. Ac nescio an picturam significaverit Lucianus in libello de domo c. 26. vol. III. p. 205. κατὰ δὲ τὸν μέσον τοῖχον ἄνω τις ἀντίθυρος Ἀθηνᾶς ναὸς πεποίηται· ἢ θεὸς λίθου λευκοῦ, τὸ σχῆμα οὐ πολεμιστήριον, ἀλλ' οἷον ἂν γένοιτο εἰρήνην ἀγούσης θεοῦ πολεμικῆς. Haec interpretes, cum iisque Iacobsius, qui eleganter illam Luciani descriptionem illustravit in praefatione Imaginum Philostrati p. 65.5 de vero signo sacelloque acceperunt, credo, quod statim sequitur: εἶτα μετὰ ταύτην ἄλλη Ἀθηνᾶ, οὐ λίθος αὕτη γε, ἀλλὰ γραφὴ πάλιν. At haec verba etiam aliam interpretationem admittunt. Redeo ad Platonem. Schneiderus, quem latuit statuarum picturae antiquitas, testes nominat, quorum affirmatio quidem aperta, sed suspecta fides est. Nam quae in Bekkeri Anecdotis scripta sunt p. 82, 11. ἀνδριὰς καὶ ἐπὶ γραφῆς. Πλάτων Πολιτείᾳ· Μένανδρος Δυσκόλῳ· et p. 210, 15. ἀνδριάντα· σημαίνει καὶ τὴν γραφήν, ὥσπερ ὁ Πλάτων· et p. 211, 14. ἀνδριάντα· τὸν χαλκοῦν ἢ τὸν λίθινον, ἢ καὶ τὴν γραφήν· ea ex unius videntur grammatici interpretatione fluxisse, qui quod non cognitum haberet illum signa pingendi morem (obsoleverat enim),

tabulam pictam a Platone dici putabat, simili fortassis ambiguitate etiam in versu Menandri deceptus. Platonem quidem, si de tabula esset loquutus, *ἀνθρώπους* dicturum fuisse recte animadvertit Voelkelius.

Quaesitum porro est, *γραπτὴ εἰκὼν* vel *γραπτὸς τύπος* quum dicitur, sitne id de figuris sola pictura descriptis intelligendum, an de caelatura colorum varietate distincta. Parum explicate Welckerus in Sylloge p. 161. *γραπτὰ ζῶα*, inquit, apud *Empedoclem* p. 209. (immo 309.) *sunt figurae pictae.* Versus Empedoclis de Venere hi sunt apud Porphyrium de abstinentia II. 21. p. 140. et apud Athenaeum XII. p. 510. D.

> *τὴν οἵγ' εὐσεβέεσσιν ἀγάλμασιν ἱλάσκοντο,*
> *γραπτοῖς τε ζῴοισι, μύροισί τε δαιδαλεόδμοις,*
> *σμύρνης τ' ἀκρήτου θυσίαις λιβάνου τε θυώδους,*
> *ξουθῶν τε σπονδὰς μελίτων ῥίπτοντες ἐς οὖδας.*

Mirum videatur, picta animalia offerri deae. Hinc Reiskio in mentem venerat scribi posse *ῥαπταῖς τε ζώνησι.* Potuerat lenius, *γραπταῖς τε ζώνησι.* Sed nec mutanda librorum scriptura est, et dubitari potest an textilia potius quam tabulas dixerit Empedocles, sicuti quum alii aliis verbis, tum Aeschylus in Choeph. 230. *θήρειον γραφὴν* in textili dixit. Accommodata huic rei sunt haec Manethonis II. 319.

> *τεύχει δ' ἐν τούτοισι τόποις καλὴ Κυθέρεια*
> *αἰόλ' ὑπὸ χροιῇ ποικίλματα δαιδάλλοντας,*
> *παντοίοις ζῴοισιν ἐοικότα, τοὺς μὲν ἐφ' ἱστῶν*
> *κερκίσιν ἠδὲ χερῶν τεχνήμασιν, ἀμφί τε πέπλοις*
> *δεικνύντας μορφὰς θηρῶν πάντων τε καὶ ἀνδρῶν.*

6Ac suspicor Rochettum sic interpretatum esse Empedoclem, quoniam *ζῴδια ἱματίῳ ἐνυφασμένα* in adnotatione ex Aristotele de mirab. c. XCIX. p. 201. (erratum erat in utroque numero) commemoravit. Simillima Em-

pedocleis sunt haec Platonis XII. de legg. p. 956. A. *ὑφὴν δὲ μὴ πλέον ἔργον γυναικὸς μιᾶς ἐμμηνον· χρώματα δὲ λευκὰ πρέποντ' ἂν θεοῖς εἴη καὶ ἄλλοθι καὶ ἐν ὑφῇ· βάμματα δὲ μὴ προσφέρειν ἀλλ' ἢ πρὸς τὰ πολέμου κοσμήματα· θειότατα δὲ δῶρα ὄρνιθές τε καὶ ἀγάλματα ὅσαπερ ἂν ἐν μιᾷ ζωγράφος ἡμέρᾳ εἰς ἀποτελῇ.* Quae Latine vertit Cicero de legg. II. 18. Atque de solio Iovis Olympiae Pausanias V. 11, 2. *καὶ ζῷά τε ἐπ' αὐτοῦ γραφῇ μεμιμημένα καὶ ἀγάλματά ἐστιν εἰργασμένα.* Apparet ex his, alienos esse Empedoclis versus ab ea quaestione, quae est de pictis statuis. Porro adhibita sunt, quae apud Galenum vol. III. p. 615. Bas. sive XVIII. part. I. p. 519. ed. Lips. ex Euripidis Hypsipyla sic scripta leguntur: *ἰδοὺ πρὸς αἰθέρα ἐξαμιλλῆσαι κόραι, γραπτοὺς οἵσι πρόσβλεπον τύπους.* Probarunt viri docti Valckenarii emendationem in Diatr. p. 214.

ἰδού, πρὸς αἰθέρ' ἐξαμιλλῶνται κόραι
γραπτοὺς ἐν αἰετοῖσι προσβλέπειν τύπους.

Κόραις tamen coniecit Matthiae, non puellas, sed oculos dici videns: cui merito assentitur Rochettus. *Αἰετοῖσι* an recte scripsisset Valckenarius, non dubitavisset Voelkelius, Galenum si inspexisset, qui propter hanc ipsam vocem usus est Euripidis versibus. Sed eos Valckenarius violenter diffinxit. Sic erant scribendi:

ἰδού, πρὸς αἰθέρ' ἐξαμίλλησαι κόρας,
γραπτοὺς ἐν αἰετοῖσι προσβλέπων τύπους.

Similiter loquutus Plutarchus in vita Arati c. 3. de commentariis illius viri: *ἃ παρέργως καὶ ὑπὸ χεῖρα διὰ τῶν ἐπιτυχόντων ὀνομάτων ἀμιλλησάμενος κατέλιπε.* Certissimum autem esse censet Rochettus, caelatas imagines pictas dicere Euripidem: et est hoc profecto propriae verborum significationi ita accommodatum, ut, nisi poeta esset qui ista scripsit, nullus dubitationi locus relinqueretur: verum poesis his verbis et pictas imagines et sculptas et adeo statuas dicere potuit, sic quidem con-

texta oratione. Similis levi cum discrimine eorumdem verborum ratio est in epigrammate Anthologiae Palatinae VII. 730. vol. I. p. 529. quod quoniam nondum penitus expurgatum video, emendate scriptum dare visum est:

7 Δειλαία Μνάσυλλα, τί τοι καὶ ἐπ' ἠρίῳ οὗτος
μυρομένᾳ κούρας γραπτὸς ἕπεστι τύπος
Νευτίμας; ἆς δή ποκ' ἄπο ψυχὰν ἐρύσαντο
ὠδῖνες, κεῖται δ' οἷα κατὰ βλεφάρων
ἀχλὺϊ πλημμύρουσα φίλας ὑπὸ ματρὸς ἀγοστῷ,
αἰαῖ, Ἀριστοτέλης δ' οὐκ ἀπάνευθε πατὴρ
δεξιτερᾷ κεφαλὰν ἐπεμάσσατο. ὦ μέγα δειλοί,
οὐδὲ θανόντες ἐῶν ἐξελάθεσθ' ἀχέων.

Nam hic quoque, ut in poetico sermone, incertum est, pictane caelatura, ut Iacobsio et Rochetto placet, an simpliciter caelatae imagines, an denique solis coloribus pictae significentur: sed apud Euripidem etiam illud ambiguum est, utrum γραπτούς, ut in epigrammate isto, additum sit ut figuras illas pictas vel sculptas esse indicetur, an ut quo loco sint positae cognoscamus: potest enim ἐν αἰετοῖσι vel cum τύπους vel cum γραπτοὺς coniungi. Vtcumque est, certe his non possunt uti, qui parietes pictos defendunt.

Non minus ambiguum saepe est, quid sit εἰκὼν γραπτή. Quod in Deliaco decreto Tyriorum mercatorum scriptum est, ἀναθεῖναι δὲ αὐτοῦ εἰκόνα γραπτὴν ἐν τῷ τεμένει τοῦ Ἡρακλέους, Welckerus in Sylloge p. 162. Sponium falso pro imagine sculpta, Wesselingium pro tabula picta habuisse dicens, *fortasse*, inquit, *statua coloribus insignita*. Falso igitur illi, quia fortasse fuit, quod ipsi placuit? Quid vero, si id non fuit? Et non fuisse visum est Rochetto, merito, quia nullo prorsus est argumento demonstratum. Is tabulam pictam dici arbitratur, item ut a Strabone in his XIV. p. 648. καὶ ἡ πατρὶς δ' ἱκανῶς αὐτὸν ἠὔξησε πορφύραν ἐνδύσασα ἱερωμένην τοῦ σωσιπόλιδος Διός, καθάπερ καὶ ἡ γραπτὴ εἰκὼν ἐμφανίζει ἡ ἐν τῇ ἀγορᾷ· ἔστι δὲ καὶ χαλκῆ εἰκὼν ἐν τῷ θεάτρῳ. De his

et de decreti illius verbis disserens Osannus Inscript. fasc. V. p. 244. neque coloribus pictas imagines hominum ferendas censet, non cogitans sine colore purpuream vestem ab non purpurea internosci non potuisse, neque credit picta tempestatibus fuisse exposita. Et tamen vel in ipsa Germania Augustae Vindelicorum in exterioribus aedium parietibus eximias in tectorio picturas cerni licet. Quo autem modo faciendum esset tectorium, ut colores non remitteret, docuit Vitruvius VII. 3. Hominis vero imaginem pictam decretam videmus in inscriptione apud Osannum p. 234, 53. *ἀναθεῖναι δὲ αὐτοῦ καὶ εἰκόνα ἐν τῷ Διονυσίῳ γραπτὴν τελείαν*, quae totam viri figuram ostenderet. Et quot pictas imagines deorum hominumque Pausanias, Plinius, aliique sunt testati. Sed per se *εἰκὼν γραπτὴ* et statua coloribus variata, et picta imago, et caelata vel sculpta effigies esse potest. Atque quod ex inscriptione apud Walpolium affert Osannus, *καὶ ἐτίμησαν εἰκόνι γραπτῇ ἐπιχρύσῳ*, apertum est non posse de pictura dictum credi. Idem statuendum de Aeolica illa inscriptione, cuius mentionem fecit Osannus: *ὀντεθῆν δὲ αὐτῷ καὶ εἰκόνας γραπτάν τε ἐν ὅπλῳ ἐν χρυσῷ καὶ χαλκίαν, καττὰ αὐτὰ δὲ καὶ μαρμαρίαν καὶ χρυσίαν ἐν τῷ γυμνασίῳ*: item de illa, quae apud Boeckhium est n. 124. in qua v. 17. scriptum *εἰκόνα γραπτὰν ἐν ὅπλῳ*, et v. 26. *τῆς γραπτῆς εἰκόνος ἐν ὅπλῳ*. Quam addidit Welckeri notationem repetens Rochettus, n. 125. in ea neque *εἰκὼν γραπτὴ* neque *ὅπλον* nominatur, sed *ὁπλοθήκη*, ut lubricum sit inde imaginem in clipeo pictam divinare. Has imagines facile quis vel scalptas esse credat, vel affixas clipeis. *Εἰκόνα ἔνοπλον* in inscriptione Olbiensi statuam armatam significare statuerat Rochettus. Pro *ἐν ὅπλῳ* dictam volunt Koehlerus, Osannus, Boeckhius vol. II. Inscriptt. p. 128. b. quod quamvis insolens, tamen habet qua defendatur Latine dictam imaginem clipeatam. Et tamen ex Latinis solus clipeatam imaginem dixisse videtur Macrobius Sat. II. 3. Alii clipeos nominarunt. Eas imagines obliquas esse consen-

taneum erat, referentes faciem dimidiatam, ut quae caelo scalpuntur, de quibus Plato in Symposio p. 193. A. sive ed. Wolf. c. 16. p. 53. (non 33. quem numerum Boettigerus de pictura p. 237. et Rochettus posuerunt) *φόβος οὖν ἡμῖν, ἐὰν μὴ κόσμιοι ὦμεν πρὸς τοὺς θεούς, ὅπως μὴ καὶ αὖθις διασχισθησόμεθα καὶ περίιμεν ἔχοντες ὥσπερ οἱ ἐν ταῖς στήλαις καταγραφὴν ἐκτετυπωμένοι, διαπεπρισμένοι κατὰ τὰς ῥῖνας, γεγονότες ὥσπερ λίσπαι.* In his dubius fuisse videtur Rochettus, utrum *καταγραφήν*, an cum plerisque aliis de Ruhnkenii sententia, quod pauci libri habent, *κατὰ γραφὴν* praeferret. Hoc Boettigerus recte ut non aptum reiecit. Müllerus autem in additamentis ad Voelkelii librum p. 101. quasi nihil illa scriptura certius esset, *γραφὴν* imaginem caelatam significare voluit. At recte codices plerique *καταγραφήν*, quod potuit etiam *καταγραφῇ* dici, ut tacite est ab Schneidero in Lexico scriptum: verissimeque illi, qui obliquam delineationem intel-
9lexerunt. Id planissime monstrat Hipparchus ad Arati Phaenom. I. 6. p. 180. *ἅπαντα γὰρ τὰ ἄστρα ἡστερίσθαι πρὸς τὴν ἡμετέραν θεωρίαν καὶ ὡς ἂν πρὸς ἡμᾶς ἐστραμμένα, εἰ μή τι κατάγραφον αὐτῶν ἐστί*: quod perversissime Is. Vossius ad Catull. XXV. v. 63. coloribus pictum est interpretatus. Conturbavit quosdam, quod Plinius XXXV. 34. de Cimone Cleonaeo scripsit: *hic catagrapha invenit, hoc est obliquas imagines.* Nam Boettigerus, quod obliquas imagines multo prius inventas esse oporteret, explicationem illam non esse a Plinio profectam, catagrapha autem semiobliqua dicta suspicabatur. Quin fuit qui totam spectanti obversam faciem illo nomine appellatam coniiceret. (*Kunstblatt* 1829. *Januar N.* 7.) Errasse ego quidem Plinium puto, sed eo, quod usitatiorem, non primam, ex qua illa nata est, significationem adscripsit. Nam quum ipsum per se hoc vocabulum, tum quae de Cimone illo porro praedicat Plinius, designationem dici ostendunt qua non solum extremae figurarum lineae, sicut umbrarum, sed interiora quoque lineamentade scribuntur. Verbo ita usus Pausanias I.

28, 2. de statua Minervae: *καί οἱ ἐπὶ τῆς ἀσπίδος Λαπιθῶν πρὸς Κενταύρους μάχην καὶ ὅσα ἄλλα ἐστὶν ἐπειργασμένα λέγουσι τορεῦσαι Μῦν, τῷ δὲ Μυῒ ταῦτά τε καὶ τὰ λοιπὰ τῶν ἔργων Παῤῥάσιον καταγράψαι τὸν Εὐήνορος.* Hinc *κατάγραφος* etiam omnino dicitur lineamentis notatus atque distinctus, ut apud Athenaeum IX. p. 387. F. et Lucianum Alexand. 12. vol. II. p. 220.

Venio ad picturam parietum: de qua dum refero Rochetti sententiam, interponam quae mihi dubia videntur. Et quas urbe Roma antiquiores picturas Ardeae et Lanuvii visas memorat Plinius, de quibus infra iterum dicetur, non dubitat Rochettus quin eodem modo ut quae nostra memoria in Etruscorum sepulcris inventae sunt, in ipsis pictae fuerint parietibus arte Graeca vel a Graecis accepta. Eodem refert hoc Pausaniae, VII. 25, 13. *σῆμά τε ἐν δεξιᾷ τῆς ὁδοῦ καὶ ἄνδρα εὑρήσεις ἐπὶ τῷ μνήματι ἵππῳ παρεστῶτα, ἀμυδρὰν γραφήν*: aliter tamen sentiens de his: 22, 6. *μνῆμα λευκοῦ λίθου θέας καὶ ἐς ἄλλα ἄξιον καὶ οὐχ ἥκιστα ἐπὶ ταῖς γραφαῖς, αἵ εἰσιν ἐπὶ τοῦ τάφου, τέχνη Νικίου.* Quorum de interpretatione locorum reprehendens quae scripsit Siebelis, in posteriore notat etiam Silligium, qui hunc Niciam diversum esse iudicaverit ab illo, cuius sollertia inurendi Praxiteles in operibus suis est usus. In quo ego quidem Silligium non vituperaverim, siquidem nec tempora conveniunt, et ipse Plinius duorum suspicionem suggerit, quum Latine vertens Graeci auctoris verba scribit XXXV. 40, 28. *hic est Nicias, de quo dicebat Praxiteles interrogatus, quae maxime opera sua probaret in marmoribus: quibus Nicias manum admovisset: tantum circumlitioni eius tribuebat. Non satis discernitur, alium eodem nomine, an hunc eumdem quidam faciant Olympiade centesima duodecima.* Apud Silligium scriptum video *centesima secunda.* Et quamquam non incredibile est, etiam nobilem pictorem, qualem fuisse illum Nicomedis filium constat, operam suam praestitisse Praxiteli, tamen

hoc quoque valde est veri simile, ut confusus cum illo fuerit alius Nicias, ipse quoque inurendi peritia laudem adeptus: praesertim quum Plinius alio loco, XXXV. 39. illam inurendi artem ipsi tribuat Praxiteli his verbis: *cera pingere ac picturam inurere quis excogitaverit non constat: quidam Aristidis inventum putant, consummatum a Praxitele.* Dicebatur autem talis artifex *ἀγαλματοποιοῖς ἐγκαυστής.* Id enim apertum est restitui debere inscriptioni apud Reinesium IX. 51. vol. I. p. 569. pro *ἀγαλματοποιὸς ἐγκαυστής*, quod nec Welckero in Sylloge p. 163. nec Rochetto p. 4. fuit suspectum. Sed Chaeremonis versibus apud Athenaeum XIII. p. 608. D. colores archaeologice, non poetice inusti sunt ab O. Müllero in additamentis ad Voelkelium p. 98. Non isto modo, sed sic scripserat poeta elegantissimus:

κόμαι δὲ κηροχρῶτες, ὥς ἀγάλματος,
αὐτοῖσι βοστρύχοισιν ἐκπεπλασμέναι,
ξουθοῖσιν ἀνέμοις ἐνετρύφων φορούμεναι.

Redeo in viam. Niciae quidem illam in sepulcro picturam fatetur Rochettus incertum esse utrum in tabula an in ipso pariete inustam putare debeamus. Sic iudicat etiam de his, quae Pausanias II. 7, 3. de monumento Xenodocae scripsit: *πεποίηται δὲ οὐ κατὰ τὸν ἐπιχώριον τρόπον, ἀλλ' ὡς ἂν τῇ γραφῇ μάλιστα ἁρμόζοι· γραφὴ δέ, εἴπερ ἄλλη τις, καὶ αὕτη ἐστὶ θέας ἀξία.* Quum ante docuerit Pausanias, qua forma Sicyonii exstruere mortuorum monumenta consuessent, quae non multum spatii in fastigio columnae imposito relinquebat picturis: patet hoc monumentum sic factum fuisse, ut caperet quas oporteret imagines: sed illae utrum in pariete an in tabula pictae fuerint non est declaratum. Tetigit Rochettus epigramma inter incertorum 670. sive in Anthol. Pal. VII. 279.

11 *παῦσαι νηὸς ἑρετμὰ καὶ ἔμβολα τῷδ' ἐπὶ τύμ-*
βῳ
αἰεὶ ἐπὶ ψυχρῇ ζωγραφέων σποδιῇ.

Sed si in monumentis sepulcralibus picti sint parietes, non putat pictos esse in templis aliisque aedificiis. Quamquam fatetur, quod de Panaeno scribit Plinius XXXVI. 55. *in Elide aedes est Minervae, in qua frater Phidiae Panaenus tectorium induxit lacte et croco subactum, ut ferunt*, factum videri a Panaeno, ut eo in tectorio pingeret: pinxisse enim eumdem parietes, qui Olympiae cingebant statuam Iovis, de quibus sic Pausanias V. 11, 4. ἐν Ὀλυμπίᾳ δὲ ἐρύματα τρόπον τοίχων πεποιημένα τὰ ἀπέρχοντά ἐστι· (sic scribendum) τούτων τῶν ἐρυμάτων ὅσον μὲν ἀπαντικρὺ τῶν θυρῶν ἐστίν, ἀλίμπται κυανῷ μόνον· τὰ δὲ λοιπὰ αὐτῶν παρέχεται Παναίνου γραφάς. Quas picturas dein describit. Eas in udo pictas fuisse coniicit Rochettus, collatis Plinii et Pausaniae inter se testimoniis, quamquam ex mentione, quam Plutarchus in Amatorio p. 759. C. et Plinius XXXV. 31. huius pingendi generis faciant, non posse colligi, communiter apud Graecos usurpatum esse florente arte et a claris pictoribus. Itaque hoc singulare exemplum nihil probare nisi Panaenum propter cognationem et amicitiam cum Phidia se ad vilius genus picturae demisisse. Vereor ne plus quam opus erat largitus sit Rochettus parietum picturam Graeciae vindicantibus. Nihil est enim quod cogat credere in tectorio ista pinxisse Panaenum, quoniam isti parietes, quos Pausanias τρόπον τοίχων πεποιημένα ἐρύματα appellat, non fuisse muri, sed muros repraesentasse videntur. Caeterum picturam in udo, de qua praecepit Vitruvius VII. 3, 7. p. 185. ed. Schneid. nescio an Plato quoque comprehenderit his, quae scripsit in Epinomide p. 975. D. καὶ ὅσων γραφικὴ μήτηρ πολλῶν καὶ παντοίων ποικιλμάτων ἀποτελουμένων ἐν πολλοῖς ὑγροῖς καὶ ξηροῖς γένεσιν.

Tractat deinde Rochettus ea, quae Plinius XXXV. 40. de Pausia encaustis claro refert: *pinxit et ipse penicillo parietes Thespiis, quum reficerentur quondam a Polygnoto picti, multumque comparatione superatus existimatur, quoniam non suo genere*

certasset. Haec confitetur tam speciosum praebere parietum picturae testimonium, ut ipse Boettigerus p. 368. de parietibus cogitasse videatur. Sed quum ab illo tamen sic de Polygnoto disputatum sit, ut omnem eius artem in tabulis versatam credi oporteat, suspectum habet
12illo in loco Plinii nomen Polygnoti. In quo ego quidem non assentior. Tantus enim artifex fuit Polygnotus, ut mirari non debeamus, si nullum ille genus picturae intentatum reliquit. Nam encausticas quoque eius picturas exstitisse testatur Plinius XXXV. 39. ex quo simul intelligitur, plerumque eum penicillo pinxisse, quod egregie convenit cum illa narratione de pictura Thespiensi. Quin statuariam quoque attigit. Praeterea nihil proficimus Polygnoti nomine remoto: manet enim, ipsos videri parietes pictos esse Thespiis, nisi plane inepte loquutum credere Plinium volumus.

Addidit his Rochettus Pausaniae verba I. 26, 5. de templo Erechthei Athenis: *γραφαὶ δὲ ἐπὶ τῶν τοίχων τοῦ γένους εἰσὶ τοῦ Βουταδῶν.* Quas imagines non in ipso pariete, sed in tabula pictas fuisse putat, motus testimonio Plutarchi in Vitis X. oratorum p. 843. E. sive vol. IX. p. 355. ed. Reisk. qui postquam scripsit, *κατῆγον δὲ τὸ γένος ἀπὸ Βούτου τοῦ Ἐρεχθέως τοῦ Γῆς καὶ Ἡφαίστου* (mirum hanc scripturam fugere quemquam potuisse), *τὰ δὲ ἐγγυτάτω ἀπὸ Λυκομήδους καὶ Λυκούργου, οὓς ὁ δῆμος ταφαῖς ἐτίμησε δημοσίᾳ,* pergit sic: *καὶ ἔστιν αὕτη ἡ καταγωγὴ τοῦ γένους τῶν ἱερασαμένων τοῦ Ποσειδῶνος ἐν πίνακι τελείῳ, ὃς ἀνάκειται ἐν Ἐρεχθείῳ γεγραμμένος ὑπὸ Ἰσμηνίου τοῦ Χαλκιδέως, καὶ εἰκόνες ξύλινοι τοῦ τε Λυκούργου καὶ τῶν υἱῶν αὐτοῦ Ἄβρωνος, Λυκούργου, Λυκόφρονος, ἃς εἰργάσατο Τίμαρχος καὶ Κηφισόδοτος οἱ Πραξιτέλους υἱεῖς. τὸν δὲ πίνακα ἀνέθηκεν Ἄβρων ὁ παῖς αὐτοῦ, λαχὼν ἐκ τοῦ γένους τὴν ἱερωσύνην καὶ παραχωρήσας τῷ ἀδελφῷ Λυκόφρονι· καὶ διὰ τοῦτο πεποίηται ὁ Ἄβρων προσδιδοὺς αὐτῷ τὴν τρίαιναν.* Tribuit aliquid huic verbo *τελείῳ* Rochettus, quod interpretatur ***unam tabulam***

ligneam. At tabula lignea, etiam si ex uno ligno constat, non magis Graece τέλειος πίναξ, quam Latine *perfecta* dici potest: id quod movebat Reiskium, ut illam vocem mendosam putaret. Neque vero ista una potuit tabula esse, si verum est, quod Pausanias scripsit, ἐπὶ τῶν τοίχων pictas fuisse illas Butadarum imagines. At nec falsa dixit Pausanias, neque apud Plutarchum mendosum est τελείῳ, sed pulcre consentiunt inter se ambo scriptores: nam πίναξ sic dictus a Plutarcho est, ut picturam ipsam, non materiam in qua picta esset significaret, qui nec rarus vocabuli usus est et observatus a grammaticis: unde Hesychius: πίνακες, ἀναγραφαί, εἰκόνες. Hunc πίνακα Plutarchus τέλειον dixit, quod omnium a Buta deinceps Butadarum imagines contineret,13 quae quod bene multae erant, non in uno erant, sed pluribus in parietibus Erechthei pictae. Ex quo consequitur, Plutarchi seu quisquis illum librum scripsit narrationem non impedire quin imagines illae in tectorio pictae fuisse credantur. Idem ergo cadit etiam in haec Pausaniae IX. 4, 2. γραφαὶ δέ εἰσιν ἐν τῷ ναῷ Πολυγνώτου μὲν Ὀδυσσεὺς τοὺς μνηστῆρας ἤδη κατειργασμένος, Ὀνασία δὲ Ἀργείων ἐπὶ Θήβας ἡ πρότερα στρατεία· αὗται μὲν δή εἰσιν ἐπὶ τοῦ προνάου τῶν τοίχων. Aliaque apud eumdem non pauca huiusmodi inveniuntur, de quibus infra.

Iure vero ac merito Rochettus Mülleri notavit levitatem, qui in breviario archaeologiae p. 208. quum a veteris Atticae disciplinae pictoribus parietes pictos esse ex Pausania VII. 22, 6. collegisset, confirmari id dixit tectorii quod Athenis in templo Thesei fuerit reliquiis, in quibus tamen nullum picturae vestigium est repertum.

De aliis aliorum erroribus, ut Welckeri, maximeque de Hittorffii mirabilibus commentis ita disputavit Rochettus, illi ut satis refutati videantur. Sed de Olbiade pictore, cuius a Pausania I. 3, 5. facta est mentio, quum ita dubitavit vir doctissimus, ut et gravius corrupta esse putaret illa Pausaniae verba, et laudaret Silligium, quod omiserit istum artificem in Catalogo, fugisse eum videtur

lenissima et certissima emendatio Clavigeri, quam merito recepit Bekkerus: *τοὺς δὲ θεσμοθέτας ἐγραψε Πρωτογένης Καύνιος, Ὀλβιάδης δὲ Κάλλιππον, ὃς Ἀθηναίους ἐς Θερμοπύλας ἦγαγε φυλάξοντας τὴν ἐς τὴν Ἑλλάδα Γαλατῶν ἐσβολήν.* Confirmatur haec emendatio validissime iis, quae §. 4. et X. 20, 5. narrata legimus.

Cratini versus in Dionysalexandro apud Pollucem VII. 122.

παραστάδας καὶ πρόθυρα βούλει ποικίλα,

utrum sit, ut Rochettus coniecit, de lapidum diversicolorum emblematis intelligendus an de coloribus, non diiudicem: verum quod Boettigerus p. 284. Agatharchum, pictorem scenarium, quem domum Alcibiadis pinxisse Andocides et Plutarchus tradiderunt, non parietes ipsos, sed ligneas tabulas picturis ornasse putat, et quidem quia scenae quoque ligneae essent, id vereor ne haerenti semel in animo opinioni indulserit. Nam pictor scenarius non a materia, in qua pingat, sed ab rebus, quas pingit, nomen habet: pingebantur autem non solum ligneae tabulae scenarum, sed etiam vela, quae in periactis suspen-
14derentur. Non dico hoc, quasi contendam Agatharchum in illa domo non pinxisse tabulas ornandis parietibus, sed quod nego per ea quae habemus testimonia liquere, tabulasne an tectoria pinxerit. Nam ne ex eo quidem quidquam coniici potest, quod, licet celeritatem qua pingeret iactaverit Agatharchus, ut Plutarchus in vita Periclis c. 13. prodidit, tamen quarto demum mense, ne tum quidem absoluto opere, teste Andocide, e domo Alcibiadis profugit. Sed hoc ipsum temporis spatium etiam Rochetti coniecturae refragatur, qui cum, Voelkelio in Postumis p. 104. auctore, nihil nisi ornamenta quaedam illa in domo pinxisse arbitratur. Nam istiusmodi res multo breviore tempore, ab eo praesertim pictore, cuius tanta celeritas esset, pingi potuerunt. Quocirca mihi quidem nec quid pinxerit Agatharchus in domo Alcibiadis, nec qua in materia pinxerit, satis exploratum videtur. Tabulis quidem undecumque coemptis ornatam do-

mum memoravit Philostratus in Vita Apollonii V. 22. *ἐτύγχανε δὲ καὶ μειράκιον νεόπλουτόν τε καὶ ἀπαίδευτον, οἰκοδομούμενον οἰκίαν τινὰ ἐν τῇ Ῥόδῳ, καὶ ξυμφέρον ἐς αὐτὴν γραφάς τε παντοίας καὶ λίθους ἐξ ἁπάντων ἐθνῶν.* Illud vero facile concedetur Rochetto, in Socratis verbis apud Xenophontem Memor. III. 8, 10. *γραφαὶ δὲ καὶ ποικιλίαι πλείονας εὐφροσύνας ἀποστεροῦσιν ἢ παρέχουσιν*, quae sunt de aedibus privatorum dicta, *ποικιλίας* intelligenda esse ornamenta parietibus illita, quae *ποικίλματα* dicta in Oeconom. c. 9, 2. et Platonis Hippia mai. p. 298. A. Aeliano vero et propter temporum rationem et propter ipsius scriptoris levitatem nihil tribuendum putat, scribenti in V. H. XIV. 17. *Σωκράτης ἔλεγεν Ἀρχέλαον εἰς τὴν οἰκίαν τετρακοσίας μνᾶς ἀναλῶσαι Ζεῦξιν μισθωσάμενον τὸν Ἡρακλεώτην, ἵνα αὐτὴν καταγράφοι.* At sive vera sive falsa tradidit Aelianus, certe picturis ornari domos illo tempore non insolitum fuisse prodit hoc testimonium: quamquam parietesne an tabulae parietibus inserendae pictae sint, non docemur.

His fere argumentis (nam leviora quaedam praetereo) eam Rochettus sententiam amplectitur, ut eo tempore, quo maxime florebat apud Graecos ars pingendi, in ipsis parietibus, si ornamenta excipiantur, nihil pictum esse putet, nisi in nonnullis monumentis sepulcralibus et serius etiam in aedibus privatis, sed ut numquam hoc genus argumenta historica comprehenderit. Quae quamvis docte sint diligenterque exposita, tamen aliquid dubitationis relictum videtur. Ac primo quidem, etsi concedendum est, plerosque scriptores tam ambigue loqui, ut nec testari parietum picturam nec non pictos significare videantur, tamen illud non est ostensum, historica argumenta a parietibus fuisse exclusa. Vix enim credi potest, quae in sepulcris erant, non e genere historico fuisse: immo, quum confiteatur Rochettus, Ardeae et Lanuvii in parietibus picta fuisse, quae Plinius XXXV. 6. se admiratum scribit, luculentam habemus pro historica pictura testimonium. Sic autem ille: *exstant certe hodieque antiquiores*

picturae Ardeae in aedibus sacris, quibus equidem nullas aeque demiror tam longo aevo durantes, in orbitate tecti veluti recentes: similiter Lanuvii, ubi Atalanta et Helena comminus pictae sunt nudae ab eodem artifice, utraque excellentissima forma, sed altera ut virgo, ne ruinis quidem templi concussae. Caius princeps eas tollere conatus est, libidine accensus, si tectorii natura permisisset. Durant et Caere, antiquiores et ipsae. At, inquiat quis, hoc non Graecum est exemplum. Sed tamen Graecum fuisse Ardeatis templi pictorem, quem civitate ibi donatum dicit Plinius XXXV. 37. Cleoetam nomine, persuasit Rochetto Silligius in Catalogo p. 246. seqq. reficto epigrammatis Latini versu, quod in ipsa pictura scriptum fuit. Mihi quidem etsi valde suspecta est illius coniecturae veritas in tanta scripturae fluctuatione, tantum tamen valere testimonium illud videtur, ut prodat, pictorem istum, sive Graecus, sive alius nationis fuit, non pinxisse res Graecas, nisi a Graeco magistro eruditum. Topiarii vero generis picturis domos apud antiquiores Graecos ne exornatas putemus, Plinius obstat, qui XXXV. 37. divi demum Augusti aetate primum institutam esse amoenam parietum picturam testatur, quae villas, porticus, lucos, nemora, et quae alia huiusmodi multa enumerat, repraesentaverit. Omnino autem vereor ne Plinii severae seculi censurae plus quam oportebat et Boettigerus tribuerit, et qui ei assensus est Rochettus. Scribit enim Plinius, ubi illa quae modo indicavimus in parietibus pingi coepta dixit: *sed nulla gloria artificum est nisi eorum qui tabulas pinxere: eoque venerabilior apparet antiquitas. Non enim parietes excolebant dominis tantum, nec domos uno in loco mansuris quae ex incendiis rapi non possent. Casula Protogenes contentus erat in hortulo suo. Nulla in Apellis tectoriis pictura erat. Nondum libebat parietes totos pingere. Omnis eorum ars*
16 *urbibus excubabat, pictorque res communis terrarum erat.* Visa haec sunt valde confirmari his Cice-

ronis verbis in Verrem IV. 55. *pugna erat Agathocli regis in tabulis picta praeclare: his autem tabulis interiores templi parietes vestiebantur*: et paullo post: *viginti et septem praeterea tabulas pulcerrime pictas ex eadem aede sustulit.* Luculenta sane haec et gravia sunt testimonia: sed tamen operae pretium est videre quid testentur. A Cicerone accipimus, Syracusis in aede Minervae tabulis vestitos fuisse parietes, quas tabulas sustulisse Verrem. At eo non efficitur nusquam ipsos pictos esse parietes: quales si qui fuerunt in Sicilia, quoniam non parietes totos tollere Verres potuit, ne mentioni quidem locus erat. Fuisse autem, si non illic, at alibi, nescio an ex ipsis colligi possit verbis Ciceronis. Nam cur opus habuit dicere *pugna erat Agathocli regis in tabulis picta praeclare*, nisi quia potuit ea pugna etiam non in tabulis, sed in ipso pariete esse picta? At hic Plinium opponi video, qui neget morem fuisse, parietes ut pingerentur. Negatne vero? Non crediderim. Nam primo, si nullam gloriam fuisse dicit artificum, nisi qui tabulas pinxerint, fuisse oportet, qui quod non pinxerint tabulas, manserint obscuri. Opponit autem tabularum pictores pictoribus parietum: fuerunt ergo qui parietes pingerent, sed minore fama, et si qui in utroque genere versati erant, tabulis magis quam parietibus pictis inclaruere. Caeterum qui tabulas pinxerunt, certo non cogitabant de igne vitando, a quo ne templa quidem tuta fuisse, permultorum ostendit deflagratorum memoria templorum apud Pausaniam. Scilicet Plinius privatarum aedium parietes vel picturis tectorii vel impressis affixisve tabulis ornari indignum iudicabat, quod sic et delitescerent praestantes picturae et saepe perirent incendiis. Pictores alias credo et satis idoneas caussas habuisse, quibus magis ad tabulas pingendas invitarentur: materiam ligni haud paullo quam tectorii et tractabiliorem et subtilitatis maioris capacem, tum etiam diuturniorem; facilitatem pingendi tabulam in machina commode positam; tranquillitatem otii domestici ad elaborandum perpoliendumque; plerumque

etiam vendendae maiore pretio picturae, quae ex sententia successisset, opportunitatem. Quare quum peritissimi quique pictores tabulas pingere mallent, fere his tabulis potius templa deorum aliaque publica aedificia esse ornata, quam minus claris artificibus ad pingendum commis-
17sos parietes, facile quis adducatur ut credat: sed ex eo non sequitur, ut id semper et ubique sit factum, neque ut pictores, quorum tabulae laudabantur, non aliquando etiam parietes pinxerint. Deinde vero qui potuit Plinius dicere nullam in Apellis tectoriis picturam fuisse, si tum non pingebantur omnino tectoria? Patet enim laudari ab eo Apellem, quod, quum picta habere potuerit, nudis fuerit contentus. Quodsi omnis ista Plinii querimonia haec duo tantum continet, nobilissimos pictores claritudinem suam adeptos esse tabulis, parietes autem imaginibus oppidorum, nemorum, aliarumque huiusmodi rerum opplere Augusti demum aetate esse institutum: censendus est picturam in tectorio ut minus celebratam fere praeteriisse, sed tamen ut meritam laudem impertiret pictori illi templi Ardeatis, de quo est supra dictum, cuius picturas ipse vidit et admiratus est maximopere. Aegre sane ferimus, quod qui plurimas in Graecia picturas vidit Pausanias, quum in statuis plerumque ex qua materia factae sint indicet, de picturis nusquam ita loquitur, ut satis utrum in tabulis an in tectorio fuerint appareat. Nam semel tantum diserte tabulam nominat, VIII. 37, 2. *ἐν δὲ τῇ στοᾷ τῇ παρὰ τῇ Δεσποίνῃ μεταξὺ τῶν τύπων πινάκιόν ἐστι γεγραμμένον ἔχον τὰ ἐς τὴν τελετήν*. Sic codex Mosc. Impressi libri *γεγραμμένα*, ut dubitari possit, an pictura fuerit. Plerumque neutram in partem quidquam indicii facit, *γραφαί εἰσι* dicens, vel *γέγραπται*, vel *οἴκημά ἐστι γραφὰς ἔχον*, et quae sunt aliae huiusmodi locutiones: ut I. 1, 2. 3. 3, 3. 4. 5. 15, 1. 17, 2. 18, 1. 9. 20, 3. 21, 2. 4. 22, 6. 37, 1. II. 3, 3. 7, 3. 27, 3. IV. 36, 2. V. 11, 2. 5. VI. 6, 11. 25, 4. VII. 22, 6. 25, 13. VIII. 9, 8. 11, 3. 47, 2. IX. 4, 2. 15, 5. 22, 3. 35, 6. 7. X. 25, 1. 26, 6.

38, 6. Nec plus lucis est, ubi paullo distinctius loqui videtur ut IX. 25, 7. *πρὸς τῷ ὀνομαζομένῳ Πυθίῳ Χάριτες καὶ ἐνταῦθά εἰσι, Πυθαγόρου γράψαντος;* aut VII. 31, 11. *γραφαὶ δὲ καιὰ τοῦ ναοῦ τὸ ὄπισθεν;* neque ubi diserte parietes nominat: I. 15, 2. *ἐν δὲ τῷ μέσῳ τῶν τοίχων Ἀθηναῖοι καὶ Θησεὺς Ἀμαζόσι μάχονται;* I, 3, 3. *ἐπὶ δὲ τῷ τοίχῳ τῷ πέραν Θησεύς ἐστι γεγραμμένος;* aliisque locis, quos vel supra attulimus vel infra afferemus. Nam videri quidem potest inter *γραφὴν ἐπὶ τοίχῳ* et *ἐπὶ τοίχου* hoc interesse, quod, quum dativus proprie locum cui quid illatum est, genitivus autem locum in quo quid est significet, *γραφαὶ ἐπὶ τοίχῳ* sint, quae in tabulis affixae sint parieti, *ἐπὶ τοίχου* autem, quae sint in ipso pariete18
pictae, sicut *σῆμα ἐπ' ἀσπίδος* saepe et ab Aeschylo in Septem ad Thebas et ab aliis dictum est, et illa apud ipsum Pausaniam, in quibus non intelligi tabulas patet, V. 11, 2. de solio Iovis: *καὶ ζῷά τε ἐπ' αὐτοῦ γραφῇ μεμιμημένα καὶ ἀγάλματά ἐστιν εἰργασμένα;* et VII. 22, 6. *ἐπὶ ταῖς γραφαῖς, αἳ εἰσιν ἐπὶ τοῦ τάφου.* Sed tamen huic distinctioni nihil tribuendum esse quum res ipsa docet, quia et parieti affixa pictura recte dici potest in pariete esse, et quae picta est in pariete, illata in eum esse ab eo qui pinxit; tum multa illa exempla ostendunt, in quibus etiam statuae aliaque signa imposita basi suae tum dativo tum genitivo significantur, non quod vis eadem sit dativi et genitivi, sed quod utrumque recte dicitur. Itaque quum nusquam diserte indicet Pausanias, utrum in tabulis fuerint quas vidit picturas an in tectoriis, dubitari sane potest, loquaturne ita propterea, quod nullae non essent in tabulis, an, quae maxime memorabilia quoque in loco invenisset describens, solam praestantiam spectaverit picturarum. Et hoc mihi quidem multo videtur probabilius. Nam si quaerimus, quid per ipsam rei naturam sit veri simillimum, vix poterit dubitari, quin tabularum insertione prior fuerit ipsorum pictura parietum. Quamquam hoc argumento non utar, quia ex primis rudimentis non licet de

progressibus artis iudicare. Sed alia sunt, quae haud levem parietum ab antiquis in Graecia artificibus pictorum suspicionem faciant. Ac nescio qui factum sit, ut memorabile ex eo genere exemplum Graecae artis apud ipsum Plinium non fuerit a viris doctis ad hanc disputationem adhibitum. Nam is XXXV. 49. postquam ostendit diuturnissimos esse parietes latericios, exstructaque iis esse apud Graecos et publica opera et domos regias, sic scribit: *Lacedaemone quidem excisum latericiis parietibus opus tectorium, propter excellentiam picturae ligneis formis inclusum, Romam deportavere in aedilitate ad comitium exornandum Murena et Varro. Quum opus per se mirum esset, translatum tamen magis mirabantur.* Non explicat quidem quid eo in tectorio pictum fuerit, sed vix credi potest tanta cura illud opus Romam esse deportatum, si nihil nisi ornamentorum lusus habuisset. Praeterea, nisi fallor, etiam apud Pausaniam vestigia deprehendi licet picti tectorii. Nam si Rochettus ipse, ut supra dictum est, quam Pausanias in quodam sepulcro memorat *ἀνδρὰν γραφήν*, in tectorio pictam fuisse iudicat, ea caussa,
19quod talis pictura facilius vanescat quam quae facta est in tabula: id quod etiam Plinius indicare videtur, quum se templorum Ardeatis et Lanuvini picturas tam longo aevo veluti recentes demiratum scribit: certo, si quae alia vanescentis picturae exempla inveniuntur, haec quoque tectorium pictum prodere erunt censenda. Non utar his, quae de porticu Olympiaca refert Pausanias V. 21, 17. *πρὸ τῆς ποικίλης στοᾶς καλουμένης ὅτι ἦσαν ἐπὶ τῶν τοίχων γραφαὶ τὸ ἀρχαῖον*: quod incertum est, parietum picturas delitas, an demptas tabulas dicat. Sed apertum est hoc testimonium, X. 38, 9. de templo quodam Dianae: *γραφαὶ δὲ ἐπὶ τῶν τοίχων ἐξίτηλοί τε ἦσαν ὑπὸ τοῦ χρόνου καὶ οὐδὲν ἔτι ἐλείπετο ἐς θέαν αὐτῶν.* Aliud exemplum invenitur I. 22, 6. quem locum mendis liberatum sic scribendum interpungendumque puto: *ἔστι δὲ ἐν ἀριστερᾷ τῶν προπυλαίων οἴκημα ἔχον γραφάς, ὁπόσαις γε μὴ καθέστηκεν ὁ*

χρόνος αἴτιος ἀφανέσιν εἶναι. Διομήδης ἦν καὶ Ὀδυσσεύς, ὃ μὲν ἐν Λήμνῳ τὸ Φιλοκτήτου τόξον, ὃ δὲ τὴν Ἀθηνᾶν ἀφαιρούμενος ἐξ Ἰλίου. ἐνταῦθα ἐν ταῖς γραφαῖς ἐστὶν Ὀρέστης Αἴγισθον φονεύων καὶ Πυλάδης τοὺς παῖδας τοὺς Ναυπλίου βοηθοὺς ἐλθόντας Αἰγίσθῳ· τοῦ δὲ Ἀχιλλέως τάφου πλησίον μέλλουσά ἐστι σφάζεσθαι Πολυξένη. (Ὁμήρῳ δὲ εὖ μὲν παρείθη τόδε τὸ ὠιὸν οὕτως ἔργον, εὖ δέ μοι φαίνεται ποιήσας Σκῦρον ὑπὸ Ἀχιλλέως ἁλοῦσαν, οὐδὲν ὁμοίως καὶ ὅσοι λέγουσιν ὁμοῦ ταῖς παρθένοις Ἀχιλλέα ἔχειν ἐν Σκύρῳ δίαιταν, ἃ δὴ καὶ Πολύγνωτος ἔγραψεν· ἔγραψε δὲ καὶ πρὸς τῷ ποιαμῷ ταῖς ὁμοῦ Ναυσικάᾳ πλυνούσαις ἐφιστάμενον Ὀδυσσέα κατὰ τὰ αὐτὰ καθ' ἃ δὴ καὶ Ὅμηρος ἐποίησε.) γραφαὶ δέ εἰσι καὶ ἄλλαι καὶ Ἀλκιβιάδης· ἵππων δέ οἱ νίκης τῆς ἐν Νεμέᾳ ἐστὶ σημεῖα ἐν τῇ γραφῇ, καὶ Περσεύς ἐστιν ἐς Σέριφον κομιζόμενος, Πολυδέκτῃ φέρων τὴν κεφαλὴν τὴν Μεδούσης. — ἔτι δὲ τῶν γραφῶν παρέντι τὸν παῖδα τὸν τὰς ὑδρίας φέροντα, καὶ τὸν παλαιστὴν ὃν Τιμαίνετος ἔγραψεν, ἔστι Μουσαῖος. Adscribenda duxi haec omnia, ne Polygnoto tribuerentur, quae non erant ab hoc artifice picta: in qua opinione cum aliis Boettigerum fuisse video p. 290. seq. Nam Polygnoti quas dixit Pausanias Achillis in Scyro et Vlixis ad Nausicaam accedentis imagines, non fuerunt partes illius picturae, quam in sacello isto ad propylaea ab se visam describit, sed aliae, quarum, de Homero loquens, obiter mentionem inseruit. Alioqui statim ab initio dixisset *οἴκημα γραφὰς ἔχον Πολυγνώτου.* Atque alius pictoris opus explicari ostendunt etiam quae postrema de Alcibiade, Perseo, Musaeo, tum quae de puero urceos gestante et Timaeneti luctatore adiecit. Illius autem ignoti artificis picturae pars evanuerat vetustate: et quidem quae non amplius dispici poterant, Diomedes erant et Vlixes, alter Palladium, alter arcum Philoctetae auferens. Ideo Pausanias non, ut de exstante adhuc pictura semper, *ἔστι,* sed *ἦν* dicit.

Scilicet a demonstratore acceperat, quid istic pictum fuisset. Videtur his tertium addi posse exemplum, I. 17, 3. ubi de templo Thesei scribit: *τοῦ δὲ τρίτου τῶν τοίχων ἡ γραφὴ μὴ πυθομένοις ἃ λέγουσιν οὐ σαφής ἐστι, τὰ μέν που διὰ τὸν χρόνον, τὰ δὲ Μίκων οὐ τὸν πάντα ἔγραψε λόγον.* Boettigero p. 258. ita evanidam fuisse hanc picturam narranti, nihil ut de ea referre potuerit Pausanias, fidem habuit Silligius. At hoc dicit Pausanias, qui fabulam ad quam spectet ista pictura non cognitam habeant, iis obscurum esse quid pinxerit Mico, quod aliquid fortasse vetustate perierit, aliquid etiam ab ipso pictore non sit depictum. Sed quae supererant vidisse Pausaniam ex eo apparet, quod deinde exponit eam fabulam, quam illa pictura non totam repraesentabat.

Apparet ex his exemplis, si vanescens pictura indicio est pictam esse in pariete, non posse abiudicari ab antiqua Graecia artem usumque tectoria pingendi. Atque etiam si quis tabularum quoque colores senescere et vetustate exstingui ostenderit, quamquam id non est veri simile, ad illa, ex quibus supra de parietum pictura coniecturam fecimus, hoc accedit non levissimum argumentum, quod, quum Etruscorum monumenta perantiquum id inventum esse prodant, mirum ac pene incredibile esset, si hoc genus pingendi intentatum sivisset sollers industria Graecorum, qui quum rudem accepissent artem pingendi, ita eam excoluerunt, ut alias gentes superaverint omnes. Quin illi si non pinxissent parietes, certe, credo, memoratum alicubi legeremus, a quo primum et apud quos pingi parietes esset institutum. Nam Ludium istum, qui Augusti aevo primus topiarii operis pictura parietes ornavit, aperte Plinius non parietes primum, sed res istas in parietibus pinxisse dixit. Invenient fortasse alii, qui in legendis antiquis scriptoribus ad has res attendere voluerint, quod certiora quam quae mihi nunc in promptu erant indicia in alterutram partem praebeat. Rochetto utique magna habenda est gra-

tia, quod egregia illa et multae eruditionis plena dissertatione hanc quaestionem ita tractavit, ut quaereret lucem potius, quam, quod quidam facere amant, incendio inferret.

DE BACHMANNI EDITIONE LYCOPHRONIS*).

Lycophronis Alexandra. Ad fidem codd. MSS. recensuit, paraphrasin ineditam, scholia minora inedita et indices locupletissimos addidit Ludovicus Bachmannus. Vol. I. Lipsiae, sumptibus Hinrichs. 1830. XLVI. et 626. pp. 8.

Quod dudum desiderabatur, ut tragoediae Lycophronis, quae satis mira quidem nec lectu iucunda, sed tamen plena est et fabulis reconditioribus et rarioribus vocabulis, ea adhiberetur artis criticae opera, quam haec tempora postulant, id tandem incredibili diligentia L. Bachmanni effectum est, qui hoc libro sic est de Lycophrone meritus, ut magna ei a philologis gratia debeatur. Sebastiani quam levis et negligens opera fuerit, etsi non ignotum erat, nunc sedula Bachmanni cura monstravit apertissime. Is quinque et viginti usus est codicibus, quorum plerosque ipse inspexit. Ex iis duos, qui seculi decimi sunt, ante Tzetzam scriptos esse patet; alii quattuor sunt tertii decimi seculi; caeteri XIX. recentiores quidem, sed aliqui eorum bonis ex fontibus derivati. Eos codices Bachmannus descripsit in praefa-

*) Germanice scripta edita est haec censura in diurnis litterariis Lipsiensibus a. 1831. m. Martio n. 52. 53. 54.

tione, et primo quidem undecim codices Parisinos, notatos litteris A—L. in quibus codex A omnium et antiquissimus et optimus est. Sequuntur tres libri Neapolitani, quorum usus quum editori paucos modo dies concessus esset, potissimas tantum maximeque memorabiles discrepantias ex iis enotavit. Deinde codex Vaticanus. Tum quattuor Vindobonenses, tres Vitebergenses, unus Cizensis, item Palatinus, et Rehdigerianus. Ad hos XXV. libros accedunt duo Potteriani, illique quibus Sebastianus est usus. Qui quoniam eos incredibili levitate contulit, consultius duxit Bachmannus, in adnotationibus textui subiectis nullam istarum lectionum rationem habere, sed totam illam collectionem una cum Potteriana separatim tamquam appendicem addere. Inter eos codices eminet seculi decimi liber bibliothecae Vaticanae n. 1307. cuius collatio scholiorumque antiquorum, quae eo in codice sunt, promissa Bachmanno est. Quodsi aetatem huius libri virtus aequat, aliquantum ex eo lucri sperari poterit.

Editionis Bachmanniae volumen primum post praefationem continet *ὑπόθεσιν*, Reichardi synopsin argumenti Cassandrae, indicem notarum quibus codices a Bachmanno collati significantur, et ex quibus scholia minora sunt edita; deinde epigramma Latinum ad lectorem. Tum sequitur tragoedia, subiectis adnotationibus criticis, in quibus simul scripturae diversitates indicantur; sub his autem scholia illa minora, additis ubique librorum e quibus petita sunt notationibus: quod valde laudandum. Documento est enim bene gnarum esse editorem officii critici, siquidem de scholiis et glossis saepe non potest recte iudicari nisi cognita textus ad quam pertinent lectione. Sequitur p. 295—339. paraphrasis, subiecta diversitate scripturae; tum p. 341—452. *varietas lectionis a Io. Pottero et Leop. Sebastiano collecta cum annotatione editoris.* Inde versio metrica Ios. Scaligeri additis discrepantiis primae editionis, p. 453—504. Postremo quinque indices, primus, plane illa novus summaque diligentia factus, omnium verborum Lycophronis,

ubique integras locutiones, ut par est, continens; secundus rerum mythologicarum et historicarum; tertius geographicus; quartus Graecitatis in adnotationibus et scholiis; quintus denique scriptorum citatorum. Accedunt duo folia, in quibus addenda afferuntur et quaedam corrigenda.

Materiam hanc commodius putamus distribui potuisse. Nam cuiusvis libri molestior usus est, si, quae ad unum locum pertinent, diversis ex locis conquirenda sunt. Et Lycophron vel maxime talis est, quem quis haud facile sine explicationibus legere possit, quoniam vix fieri potest, ut insolita illa nomina et inusitata vocabula, quibus plenus est, ita memoria teneantur, ut statim appareat de qua re et quid dicat. Quocirca melius consultum lectoribus esset, si sub textu paraphrasis et scholia posita essent, adnotationes criticae autem subiectis Sebastiani lectionibus alio volumine continerentur, quo lector duobus voluminibus simul omnia, quibus quoque loco opus esset, ante oculos haberet. Deinde desideramus dissertationem, qua de Lycophrone ipso, de tragoedia eius, de regulis, quas in dictione et metris sequutus est, maximeque de conditione, qua carmen eius ad nos pervenit, exponatur. Dictum est quidem de quibusdam harum rerum hic illic in adnotationibus, sed tamen his ad capita quaedam revocatis nonnulla, quae separatim considerata minus patescunt, maiore cum fructu tractari potuisse existimamus. Multitudo codicum indicio est, valde lectitatum aliquando fuisse Lycophronem. Quod quibus scriptoribus contigit, in iis, praesertim si obscuriores sunt, non rara esse solent glossemata atque interpolationes. Cuius generis vestigia quum apud Lycophronem quoque deprehendantur, non modo non incredibile, sed potius, secundum veterum recentiorumque observationes, in primis ad v. 1229. satis veri simile est, aliena in carmine illo additamenta inesse, quae, si possint, secerni ab eo debeant. Huiusmodi igitur observationes si in unum locum congeruntur diligenterque expenduntur, signa nonnulla

inveniri possunt, quae aliquid momenti ad criticam tractationem habeant: id quod infra apparebit.

Sed ut ad hoc ipsum, emendationem tragoediae dico, adnotationesque accedamus, in quibus constitutae lectionis ratio redditur, non solum incredibilis illa atque accuratissima diligentia laudanda est, qua tam infinita copia scripturarum collecta, ordinata, iudicata est, sed praedicanda etiam magnopere moderatio et circumspectio in usu tam ampli instrumenti. Ac vel praefatio documento est, quam curiose codices inter se comparati, singulorumque pretium et virtutes notatae sint. Quo in genere si aliquando aliquid neglectum est, facile excusationem leve peccatum in tanta copia scripturarum inveniet, ut quum p. XVI. sedecim exempla omissionum, quae tamen fere paucarum litterarum sunt, in cod. Paris. I. memorantur, sed in adnotationibus ad v. 14. 58. 69. 125. 158. 1207. nihil eiusmodi adnotatum est: quod contra non allata est in sedecim illis magna duorum dimidiatorum versuum omissio v. 680. In adnotationibus Bachmannus non solum attulit scripturae diversitates, sed etiam, plerumque paucis verbis, diiudicavit, saepe autem etiam explicatius suam sententiam, et fere refutato Müllero vel Sebastiano, exposuit. Quod ad Müllerum attinet, virum schola regenda maximam merito laudem adeptum, qui se ad Lycophronem iam senex nec recentiorum philologiae progressuum notitia satis instructus contulerat, huius parum probabiles coniecturae fere vel silentio praetermitti, vel paucis verbis reiici poterant. Praeterea magna diligentia quae alii scriptores ex Lycophronis tragoedia attulerunt, adnotavit Bachmannus: miramur tamen, quod praeteriit Etymologicum Gudianum, in quo Lycophron, atque aliquoties cum aliqua diversitate scripturae, memoratur his locis: v. 20. p. 130, 13. 442, 37. v. 23. p. 290, 16. v. 131. p. 302, 36. v. 295. 296. p. 351, 19. v. 338. p. 479, 21. v. 605. p. 299, 4. v. 772. p. 498, 49. v. 1165. p. 586, 39. v. 1264. p. 429, 28. v. 1385—1387. p. 302, 47.

Aliquando aliquid obscuritatis in discrepantia scriptu-

rae deprehendimus, ut ad v. 15. ubi non indicatum est, quo modo cod. Vind. III. et ed. Bas. I. versus transpositos habeant; item v. 709. Non raro accuratae fructuosaeque immixtae sunt disputationes de rebus grammaticis, ut de ἄιστος et ἀισιῶσαι: qua in synizesi quae offensio inesse videtur Bachmanno, ea tollitur, si reputamus, ἄϊστος in ἄιστος contractum vix aliter quam ut diphthongus audiretur pronunciatum esse, et non ut αι, quemadmodum in aliis vocabulis, ae sonaret: quapropter accentus quoque rectius priori quam alteri vocali adscribi videtur; deinde ad v. 247. de οιο genitivo, ubi etiam αο ex v. 848. addi potuerat; ad v. 268. de λευρός, ubi corrigitur explicatio ad v. 159. proposita; ad v. 285. de adverbiis in ει desinentibus, ubi tamen editorem et Sturzii dissertatio, repetita illa in eius Opusculis, et aliorum recentiorum observationes latuere; ad v. 461. de ἄΐτης, quae scriptura in corrigendis verbo tantum praefertur alteri ἀείτης; ad v. 546. de αὖτις et αὖθις; ad v. 577. de productione vocalis brevis in fine vocis ante consonam duplicem; ad v. 959. de omissione augmenti, ubi numerus versus 88 in 85 mutandus, addendusque est versus 1026; aliis autem in locis de accentibus. Quamquam est ubi vitiosos accentus servatos inveniamus: 278. 279. δύναι et ῥίψαι pro δῦναι et ῥῖψαι; v. 462, φίτυν, qui tamen typothetae error videtur, quum v. 486. recte scriptum sit φῖτυν: v. 700. et 822. αἰθραν, etsi codd. nonnulli recte scriptum αἴθραν exhibent; v. 725. Λάρις pro Λᾶρις; v. 801. ποτ' pro πότ'. Perperam anastrophen passum ἄντι v. 95. Bachmannus ipse ad v. 305. retractavit: tametsi fortasse grammatici hanc anastrophen reiecerunt, ipsis antiquis etiam trium morarum praepositiones retracto accentu pronunciantibus, sicut ἄνα et δία, quod inepta subtilitate improbarunt grammatici. Alia peccata, ut δομήσατο v. 48. μόσυνας v. 433. ad v. 719. et 1432. correcta sunt. De quarumdam vocum scriptura nescio an mutaturus olim suam sententiam sit Bachmannus. Sic v. 153. Ἐρινύς, quae scriptura, de qua alibi dixi-

mus, valde probabilis est, simpliciter ut vitiosa repudiatur, etsi eam in uno eorum locorum, in quibus apud Lycophronem exstat, omnes codices tuentur. Addimus his *Γοροῦσαν* v. 870. pro *Γοροῦσσαν*, *Σαλμυδησός*, de quo ad v. 1286. expositum, pro *Σαλμυδησσός*, quod nomen, sicuti caetera similiter formata, disertis grammaticorum testimoniis per duo *σ* et pronunciabatur et scribebatur. In his et similibus geminationibus non constitit sibi Bachmannus: quamquam id aequius ferendum, quoniam haec res adhuc longam exspectat accuratamque explicationem. Sed *κώνυμον* v. 1126. ad quod nulla adnotata est scripturae diversitas, etiam contra libros metro iubente in *κώνυμαον* erat mutandum. In huiusmodi rebus codicum nulla auctoritas est, et, quamvis laudandus sit Bachmannus, quod scripturam non ex coniectura mutare propositum habuit, tamen, ubi tam evidenter patet quid verum sit, emendatio vitii sola librariorum negligentia nati non erat reprehensioni obnoxia.

His praemissis de singulorum locorum tractatione dicemus. Et gaudemus sane, quod editor eximia diligentia scripturas tum pro praestantia codicum tum pro sententiae ratione ponderavit, quaeque vel meliora vel certiora essent in ordinem recepit: sed in scriptore, qualis Lycophron est, qui non constanter unam dialectum sequitur, sed ubique rara, obsoleta, inusitata, certorum locorum propria ex abditissimis atque ignotissimis fontibus comportat, tantaque in copia diversarum scripturarum, etiam post diligentissimam curam relinqui necesse est quae dubia videantur, vel denuo considerata aliquid emendationis admittant. Quare et ab editore meritissimo et a lectoribus nostris maiorem nos gratiam inituros putamus, si ea potius, de quibus dissentimus, quam nonnulla de multis illis, de quibus nemo non assentietur Bachmanno, afferemus.

V. 2. 515. 714. vellemus ex cod. Par. A. quem ipse Bachmannus caeteris praeferendum censet, *ἄχρας* pro *ἄχρῃς* receptum, quum codex ille etiam v. 515. et

714. cum plerisque aliis codd. *ἄκρας* praebeat, sicut alibi *ἄκραν* accusativum Bachmannus servavit.

V. 18. in his verbis, *ἐν κοίτῃσι, τῆς Κέρνης πέλας*, etsi nec libri discrepant, et eadem apud Draconem Stratonicensem scriptura est, tamen pravus articulus ita, ut sermonis lex postulat, in *ταῖς* debebat mutari.

V. 22. interpunctum est:

αἱ δὲ παρθενοκτόνον Θέτιν
ἰουλόπεζοι θεῖνον εὐῶπες σπάθαις,
πελαργοχρῶτες αἱ Φαλακραῖαι κόραι.

At sic distincta oratione articulus ante *πελαργοχρῶτες* ponendus erat: quare post *πελαργοχρῶτες*, quod cum *θεῖνον* coniungendum est, distingui oportebat.

V. 51. non assentimur Bachmanno, contra plerosque libros, in quibus est Par. A. *τὸν Ἀιδὴν δεξιούμενον πάλαι* scribenti, idque participium cum quibusdam antiquis interpretibus de Hercule pro *χειρωσάμενον* dictum putanti. Nam nec defendi haec interpretatio potest, nisi perquam artificiosa explicatione adhibita, nec praesenti hic locus est.

V. 93. ne consensu quidem omnium librorum adducimur, ut scripsisse Lycophronem credamus

ὡς πρόσθε κάλλους τὸν θυωρίτην τριπλαῖς.

Nam non modo articulus, quem paraphrasis quoque omittit, hic addi non potuit, sed ne *τριπλαῖς* quidem tam nude positum esse credibile est, ut tres deae, quas Paris iudicaverit, significarentur. Certo hic vel articulus a glossatore adscriptus *θεαῖς*, quae necessaria vox est, expulit, vel imperitus aliquis metricus, cui in unam syllabam contractum *θεαῖς* offensui esset, male versum constituit.

V. 153. epitheta Cereris non debebant virgulis separari, quod usui quum aliorum poetarum tum Lycophronis repugnat. Id dictum volumus etiam de aliis locis, ut de v. 537.

V. 154. sine dubitatione praeferendum erat, quod

Etymologicum magnum et antiqua scholia servarunt *φάρῳ* pro lectione omnium codicum *τάφῳ*. Nam non solum auctores haec scriptura multo antiquiores habet, sed necessaria est etiam sententiae caussa, quia *τάφῳ* metaphorice de voragine dictum et inutile est adiecto *τυμβεῦσαι*, et nimis longe quaesitum ac durum. Aperte istud *τάφῳ* ex Sophoclis loco, quem imitatus est scriptor, natum, sive quod eum librarius aliquis in mente habebat, sive quod adscripserat glossator. Praeterea *μιστύλασ' ἐτύμβευσεν* non prorsus menda vacat, sed versus hic monstrantibus libris nonnullis sic scribendus:

ἄσαρκα μιστύλασα τύμβευσεν φάρῳ,

et quidem propterea quod caesurae, quibus Lycophron utitur, non sunt aliae quam *πενθημιμερὴς* et *ἑφθημιμερής*.

V. 166. de equis Oenomai scriptum legimus:

ὃ τὴν πόδαργον Ψύλλαν ἡνιοστροφῶν,
καὶ τὴν ὁπλαῖς Ἅρπινναν Ἁρπυίαις ἴσην.

Repetitio articuli in altero versu ita abhorret a dictione poetica, ut scholiastam audire videamur. Aeque prava est trium codicum scriptura *καὶ ταῖς*. Neutrum, ut nobis videtur, ab Lycophrone profectum est, sed periit, quod ille posuerat, verbum. Fortasse tale quid posuerat:

νωμῶν θ' ὁπλαῖς Ἅρπινναν Ἁρπυίαις ἴσην.

Nam quem hodie habemus textum carminis haud parum a prisca eius forma diversum esse, aliquot exemplis infra apparebit:

V. 184. servavit Bachmannus *χερνίψουσιν*, de quo verbo in adnotatione scribit: *χερνίψαντες* ***Par. A. et Vat.*** **1307.** ***duo antiquissimi Codices, quibuscum, ut fere semper, consentit Paraphrasis Vaticana,*** *σφαγιάσαντες* ***exhibens. Memorabilis sane lectionis varietas, licet vix ferenda, nisi statueris, Lycophronem, quo impeditior esset sensus, consulto orationis filum abrupisse.*** Rectissime libri illi *χερνίψαντες*, eratque recipiendum. Non abrupta est

oratio, sed Bachmannus, interpunctione in fine versus 182. deceptus, ubi coli signum ponendum fuerat, non animadvertit, ex iis quae v. 180. praecesserunt,

χὠ μὲν παλιμπόρευτον ἵξεται τρίβον,

ad *οἱ δὲ χερνίψαντες* supplendum esse *παλιμπόρευτον ἵξονται τρίβον.*

V. 255. nescio an Lycophron non

πρὸς αἰθέρος κυροῦσα νηνέμους ἕδρας,

sed *κύρουσα* scripserit ex Homero *καί ῥα μελάθρου κῦρε κάρη* in hymno Cereris v. 188.

V. 261. non coactus fuisset Bachmannus, ut commixtas esse metaphoras censeret, si virgula post *διαγράφων* sublata *χέρσον* non pro substantivo, sed pro adiectivo habuisset, quod, ut *ἀτρύγετος* apud Homerum, et *ἐρήμη* apud Pindarum, de aethere dictum est. Nam his verbis,

πτεροῖσι χέρσον αἰετὸς διαγράφων
ῥαιβῷ τυπωτὴν τόρμαν ἀγκύλῃ βάσει,

nihil aliud quam orbem designat, quem vacuo in aethere aquila describit.

V. 295. iniuria reprehenditur Müllerus, quod accusativos cum *πηδῶντες* construi volebat, quod Bachmannus nullo pacto fieri posse existimat. Nobis id potius plane necessarium videtur, constructioque eadem, quae apud Sophoclem in Aiace v. 30. *πηδῶν πεδία.* Sermo est de Graecis, quorum naves incendit Hector:

ἄφλαστα καὶ κόρυμβα καὶ κληδῶν θρόνους
πυκνοὶ κυβιστητῆρες ἐξ ἑδωλίων
πηδῶντες, αἱμάξουσιν ὀθνείαν κόνιν.

Iam supra vidimus, antiquiores quasdam, quam codices sunt, exstitisse scripturas. Quod si v. 298. legimus,

πολλοὺς δ' ἀριστεῖς πρωτόλειά θ' Ἑλλάδος
αἰχμῇ φέροντας, καὶ σποραῖς ὠγκωμένους,
αἱ σαὶ καταξανοῦσιν ὄμβριμοι χέρες,

confidenter videmur in hac parum concinna oratione ex coniectura reponere posse Ἑλλάδος αἰχμῆς. Vide Eurip. Orest. 1485.

V. 307.

> αἰαῖ στενάζω καὶ σὸν εὔγλαγον θάλος
> ὦ σκύμνε, τερπνὸν ἀγκάλισμα συγγόνων,
> ὅστ' — — — —
> — — τύμβον αἱμάξεις πατρός.

Ὅστε pronomen non modo praeter necessitatem, sed ne recte quidem positum. Hinc videntur nobis, ut saepe, duae scripturae, ὃς et ὅτ', i. e. ὅτε, esse coniunctae.

V. 331. de Hecuba dicitur:

> σὲ δὲ —
> πρέσβιν Δολόγκων δημόλευστον ὠλένῃ,
> ἐπεσβόλοις ἀραῖσιν ἠρεθισμένην
> κρύψει κυτάς τις χερμάδων ἐπομβρίᾳ.

Omnes libri habent ἠρεθισμένην. Bachmannus versum sic explicat: *diris et conviciis quasi furentem; furentis instar diras et convicia effundentem*: sed fatetur tamen, Canteri coniecturam ἠρεθισμένῃ, quod ad ὠλένῃ pertineat, multo faciliorem explicatum habere. Eam coniecturam nos quidem non dubitassemus recipere, siquidem fabulae non minus quam orationi consentanea est.

V. 357. dicit Cassandra:

> τῆμος βιαίως φάσσα πρὸς τόργου λέχος
> γαμφαῖσιν ἅρπης οἰνὰς ἑλκυσθήσομαι.

Hi versus multum molestiae crearunt interpretibus. Bachmannus excusare studet iterationem eiusdem metaphorae, φάσσα et οἰνάς. Verum vix credi potest, ita loquutum esse Lycophronem. Par. A. habet γναφαῖσιν ἅρπαις, quod scholiastes recte per ἐπικαμπέσι δρεπάναις interpretatur: aduncos ungues intelligit. Et ἅρπαις caeteri quoque codices fere omnes habent. Quod si γναφαῖσιν ἅρπαις recipimus, meminimusque οἰνὰς etiam idem quod μαινὰς esse posse, ut in Oppiani Cyneg. IV. 235. quae

vox accommodatissima est divinitus commotae Cassandrae: omni ex parte et sententiam et orationem aptam habemus.

Aliud exemplum, quo intelligitur omnes codices a vera et veteri scriptura recedere, invenitur in versibus 373. 374.

Ὀφέλτα καὶ μύχουρε χοιράδων Ζάραξ,
σπίλοι τε καὶ Τρυχάτα καὶ τραχὺς Νέδων.

Iniuria vituperat Bachmannus Stephanum Byzantinum, qui, quum scriberet: *Τρύχαι, πόλις Εὐβοίας. Λυκόφρων δὲ μεταφράσας Τρύχαντα καλεῖ. τὸ ἐθνικὸν Τρυχεύς· τοῦ δὲ Τρύχαντος Τρυχάντιος,* non inspexerit Lycophronem, nisi forte epitomator verba eius corruperit. At sane Stephanus accusativum *Τρύχαντα* hic invenerat. Id ita esse, locus ipse ostendit. Nam plane ineptus fuisset poeta, si hic, ubi certa loca nominatim et memorat et debet memorare, incertum illud *σπίλοι* sic nude posuisset. Immo scripsit:

σπίλοι δὲ κὰτ Τρύχαντα καὶ τραχὺς Νέδων.

Id si reputasset Bachmannus, neque hic neque alibi et in addendis ad v. 850. graviter reprehendisset Stephanum, sed recepisset potius etiam v. 593. 850. 1149. 1309. 1390. lectiones ab hoc scriptore oblatas.

V. 420. non debebat Bachmannus assentiri Eustathio, qui, quod duo versus, alter *πέλας*, alter *λέπας* in fine habent, more suo lusum in litteris rimatus est, de quo non cogitavit Lycophron.

V. 425. Bachmanno visus est poeta singulari audacia pro *Ἄλεντος*, quod pauci libri habent, Doricam genitivi formam *Ἀλέντα* posuisse:

καύηκας οὐκ ἄπωθεν Ἀλέντα ποτῶν.

Id nos quidem eo minus credibile esse iudicamus, quod sic illud nomen etiam mensuram, de qua nihil dixit Bachmannus, insolitam habiturum esset. Nam brevis est prima syllaba. Hic quoque existimamus veram scripturam antiquo errore ex codicibus expulsam esse:

Ἄλεντος οὐκ ἄπωθε καύηκας ποτῶν.

Similem transpositionem infra videbimus: atque aliis quoque locis ipsi inter se codices in ordine verborum discrepant, ut v. 49. 574. 1204.

Contra non essemus ausi v. 443. ex uno codice *ἁλιβρῶς* pro *ἁλιβρὼς*, quod in caeteris omnibus est, recipere. Fortasse hanc formam Lycophron ab epico aliquo ex *ἁλίβορος* contractam accepit.

V. 505. 506. de Dioscuris dicitur:

ὧν ὀστράκου στρόβιλος ἐντετμημένος
κόρσην σκεπάσει ξῦμα φοινίου δορός.

Veremur ut futurum ex *σκεπᾶν* habeat *α* productum: verum, ut hoc mittamus, omnino quid hic futuro opus sit, non apparet, quum nihil nisi usitatus Ledae filiorum vestitus describatur. Quare Lycophronem *σκεπάζει* scripsisse credimus.

V. 525. *στέρξαι* in his, *οὐκ ἂν ἓν ἦμαρ ἀρκέσειε στέρξαι βαρεῖαν ἐμβολὴν ῥαιστηρίαν*, non potest defendi. Quod Bachmanno videtur, hoc verbum ubique adhiberi posse, ubi firma quaedam animi voluntas ac perseverentia exprimatur, ea non ipsius verbi potestas est, quod nihil nisi *contentum esse*, *acquiescere aliqua re* significat, sed consequitur ex iis rebus, de quibus quoque loco sermo est. Hic quidem non dubitandum quin Canterus rectissime restituerit commutari cum illo solitum *στέξαι*, cuius aperta explicatio est *ὑπομεῖναι*, quod habet paraphrasis.

V. 538. *ὀρθάγην* pro *ὀρθάγγην* scribendum coniecerunt, recte, ut videtur, si quidem *Ὀρθάγης* brevem habet mediam, quod etsi non apparet ex loco Platonis apud Athenaeum X. p. 441. F. tamen veri simile est. Sed quod Bachmannus dicit: *quo certius est, Lycophronem finxisse pariter atque diffinxisse vocabula, ut verborum sensum obscuraret, eo cautiori debemus uti iudicio*, id eo minus in hunc locum cadit, quod iniusta esse haec criminatio videtur. Composuit Lycophron vocabula, ut quivis alius poeta: at novas plane-

que ignotas formas certo non finxit, sed pleraque ex reconditis fontibus et gentium quarumdam usu petiit, et, si quid ipse ausus est, perraro nec nisiin termi nationibus verborum, sed observata analogia, aliquid novavit. Ita fortasse *βοαγίδας* v. 652. et *ἀγαλματῶσαι* v. 845. ab ipso facta vocabula sunt.

V. 664. de Laestrygonibus navem Vlixis diffrigentibus scriptum est:

οἳ πάντα θρανύξαντες εὐτόρνῳ σκάφει,
σχοίνῳ κακὴν τρήσουσι κεστρέων ἄγρην.

Hic Bachmannus, postquam fuse de difficultate huius loci dixit, in quo Par. A. *ἐς τόρνῳ σκάφη* praebet, *σκάφη* autem etiam Ciz. Bas. I. et pro diversa lectione Par. C. L. habent, denique Par. L. recte *ἄγραν*, acquiescendum putat in emendatione, quam Schaeferus cum eo communicavit, *ἐν τόρνῳ*, *in circulo sive circuitu portus*. Omnino tum etiam *σκάφη* recipiendum erat, quod dicere oblitus est Bachmannus. Nobis tamen haec emendatio non videtur verum assequuta esse, non solum quia *τόρνῳ* perobscure de portu dictum esset, sed etiam quia non videmus quid faciendum sit *σχοίνῳ*, quod scholiastes incredibili quodam modo interpretatur. *Σκάφη* quidem certissime verum est, quum quia Homeri id narratio poscit, tum quia *πάντα* sine substantivo inceptum esset: at etiam *εὐτόρνῳ* sanum est, modo cum *σχοίνῳ* coniungatur, tollaturque interpunctio post *σκάφη*. Laestrygones dicit Lycophron, qui orbem circumsteterint, tamquam funis circum adstrictus. Id confirmatur repetitione eiusdem imaginis v. 704.

λίμνην τ' Ἄορνον ἀμφιτορνωτὴν βρόχῳ,

ubi recte interpretatus est Bachmannus.

V. 678. legitur:

ἀλλά νιν βλάβης
μώλυ σαώσει ῥίζα.

Typographi error est accentus in *μώλυ*. Quod dicit Bachmannus, *μῶλυ* apud Homerum ultima brevi esse,

commune est omnium, nec credi potest, contra analogiam ab Lycophrone productam esse eam syllabam. Par. A. praebet *μῶλος*, et scholiastes dicit, *βοτάνη τις ἡ μῶλυς, ἔστινος ἡ ῥίζα σαώσει*. Hinc vix dubitari potest, quin *μῶλυς* genuinum sit, formatum generis mutatione ex *μῶλυ*.

Etiam v. 686. ex eodem codice *πεμφίγων*, quod Bachmannus ipse non spernendum iudicavit, pro *πεμφίδων* erat reponendum.

V. 724. 725. male positus est articulus in his, *ἔνθα λάβρος Ἴς γείτων θ' ὁ Λᾶρις ἐξερεύγονται ποτά*. Videtur hoc quoque antiquum vitium esse, delerique articulus debere.

V. 759. *κρεαγρέπτους* in omnibus MSS. est praeter Par. A. in quo *κρεαγρεύστους* et Par. I. Vat. 1307. Pal. 40. in quibus *κρεαγρεύτους*. Hoc igitur confidenter recipi debebat pro *κρεαγράπτους*, quae Canteri coniectura est ex Tzetzae explicatione capta.

V. 812. non consentimus cum Bachmanno, qui optimorum librorum scripturam

χὠ μὲν τοσούτων θῖνα πημάτων ἰδών

damnavit, receptique *τοσοῦτον*, quod *ἰδὼν* epitheton ad *θῖνα* adiectum postulare videatur, aptiusque hic labores Vlixis dicantur *ingens malorum series*. Horum alterum fatemur sine caussa dictum nobis videri, alterum autem nec diversum et nullo pacto melius esse quam si dicitur *tot malorum series*.

V. 831. tumulus Adonidis a Venere defletus his verbis commemoratur:

καὶ τὸν θεᾷ κλαυσθέντα Γαύαντος τάφον
Σχοινῖδι μουσόφθαρτον Ἀρέντᾳ ξένῃ.

Paraphrasis habet *Σχοινῆδι*, Par. A. *Σχοινῇδι*, tres alii codd. *Σχοινῖδι*, caeteri *Σχοινίδι*. Si, quod receptum est, *Σχοινῖδι* verum esset, plane inutile esset scholion cod. Par. A. *Σχοινὶς δέ ἐστιν ἡ εὐθεῖα*, cuiusmodi quidem observationes etiam alibi, ut ad v. 651. et

1222. sed tamen non prorsus sine caussa adiectas videmus. At scholiastes ille scripserat *Σχοινῆϊς*, quo confirmatur scriptura codicis *Σχοινῆδι*, quae vel per se probabilis est. Pro *Ἀρέντᾳ* unus codex *Ἀῤῥέντᾳ*, alius *ἀρέτᾳ*. Bachmannus videtur hoc mirabile neque alibi repertum vocabulum (nam *ἀρέτης* in Etym. M. p. 436, 11. ex *ἀρότης* corruptum putamus) pro cognomine Veneris habuisse. Id si ita est, male collocatum est *μουσόφθαρτον*. Scholiastae hic nihil nisi hariolari videntur. Iam esti neque an recte scriptum sit *Ἀρέντᾳ*, nec quid significet aut quis ita vocetur scimus, tamen quum propter posituram verborum, tum quod veteres interpretes a Marte occisum Adonidem narrant, multo veri similius videtur, *Ἀρένταν* rarum nomen Martis esse, derivatum fortasse ex *Ἄρης*, ut coniungenda sint *μουσόφθαρτον Ἀρέντᾳ*, *propter Musas caesum Marti.*

V. 854.

Ταμάσιον κρατῆρα καὶ βοάγριον.

Non adducor, inquit Bachmannus, *vulgata lectione Ταμασσός apud Ptolemaeum, ut h. l. Ταμάσσιον contra omnes libros scribendum existimem.* Codicum multorum tractatione facile quis adduci potest, ut iis plus fidei habeat quam aequum est. Sed libere iudicanti non dubie praeferendum videbitur *Ταμάσσιον*, quoniam ex *Τεμέσῃ* non potest nisi brevi media *Ταμασὸς* fieri, duplicationem litterae autem confirmat *Τεμέσσαν*, positum v. 1067.

V. 874. 875. distincti sunt secundum paraphrasin:

κρόκαι δὲ Μινυῶν εὐλιπῆ στελγίσματα
τηροῦσιν, ἅλμης οὐδὲ φοιβάζει κλύδων.

At Homerica illa, *ἅλμην ὠμοιϊν ἀπολούσομαι* et *χρόα νίζετο ἅλμην*, ostendunt *ἅλμης* cum praegressis verbis esse coniungendum.

V. 894. legitur:

ὅταν παλίμπουν δῶρον ἄγραυλος λεὼς
Ἕλλην' ὀρέξῃ νοσφίσας πάτρας Λίβυς·

et v. 916.

Λύρα παρ' ὄχθαις ὅς ποτε φλέξας θρασὺν
λέοντα ῥαιβῷ χεῖρας ἅπλισε Σκύθῃ
δράκοντ' ἀφύκτων γομφίων λυροκτύπῳ.

Bachmannus hunc posteriorem locum pro exemplo habet elisionis *ι* dativi, *quod nullo neque emendandi neque interpretandi artificio tolli queat.* At nihil facilius est quam hanc removere elisionem. MSS. partim *λυροκτύπῳ*, partim *λυροκτύπον*, Par. A. cum aliis octo codicibus *λυροκτύπων*, unus liber *λυροκτύπην*. Sermo est de Philocteta, qui se arcu et sagittis Herculis armaverit. Iam quum *ῥαιβῷ Σκύθῃ* vel solum per se arcum significet, sagitta autem recte *δράκων*, sicut *ὄφις* in Aeschyli loco, quem ipse Bachmannus attulit, dicatur, nihil amplius ad accusativi vindicationem opus est, quam ut participium mutatione accentus restituatur:

δράκοντ' ἀφύκτων γομφίων λυροκτυπῶν.

Meliore iure contendere poterat Bachmannus, in priore istorum locorum nulla ratione tolli posse elisum *ι*. Verum etsi elisio hic concedenda est, tamen duobus aliis vitiis laborat hic locus, quorum unum, levius illud quidem, hoc est, quod *Ἕλλῃ* dativus non addito alio nomine aliquid duri atque obscuri habet, alterum autem idque gravius in eo est, quod *Λίβυς* loco plane inepto est positum. Rectius *Λίβυς* et *λεὼς* sedes suas commutarent: ac magis etiam probandum esset, si demonstrari posset, duorum minus bonorum codicum scripturam *Λίβης*, cui proxima est tertii cuiusdam libri *Λύβης*, novam esse formam, usurpatam pro *Λιβύης*. Quamdiu autem de ea forma non constabit, pro vero habendum videtur, quum unus codex *λεὼν* habeat:

ὅταν παλίμπουν δῶρον ἄγραυλος λεῷ
Ἕλλην' ὀρέξῃ νοσφίσας πάτρας Λίβυς.

Sic non solum verba recte collocata sunt, sed etiam *Ἕλλην'* adiecto altero dativo duritie omni atque obscuritate liberatur.

V. 952. ex melioribus et pluribus codd. receptum est *Λαομέδων*. Sed quum novem libri et praeter eos pro diversa lectione unus *Λαυμέδων* habeant, quae scriptura, etsi male, v. 157. in Par. A. pro *Ναυμέδοντος* invenitur; quumque apud Lycophronem non nisi unus, qui certus sit, sed ille inevitabilis anapaestus, *Παρθενόπην* v. 720. exstet: veri simile est eum hic vel *Λαμέδων* vel, ut codices illi habent, *Λαυμέδων* scripsisse, ex quo veteres Romani *Laumentum* fecere: vid. Scaliger. ad Festum v. *Alumento*.

Ad versum qui statim sequitur 953. nihil Bachmannus dixit de aperto vitio metri:

ναύταις ἔδωκε Φοινοδάμαντος κόρας.

Ita quum scribere Lycophron non potuerit, sed analogiae convenienter *Φοινοδάμαντος*, nisi *Φοινοδαμναίου*, scripsisse videatur, hic quoque versus indicio est, non nimium tribuendum esse codicibus.

V. 1038.

χέρσου πατρῴας οὐ γὰρ ἂν φονῆ ποσὶ
ψαῦσαι, μέγαν πλειῶνα μὴ πεφευγότα,
δίκης ἐάσει τάῤῥοθος Τελφουσία.

Habent quidem *ἐάσει* Par. A K. Vat. 1307. et paraphrasis: sed quum caeteri codices *ἐάσῃ* praebeant, sine dubitatione reponi debebat *ἐάσαι*, quia *ἐάσει* adiecto *ἂν* soloecum est.

V. 1152. miramur, quod ad *τίσετ'* adnotatum est: *poeta primam huius verbi syllabam Epicorum more produxit*. Non apud epicos tantum, sed ubique ea syllaba longa est.

Non magis quidquam de metri vitio adnotatum est ad v. 1157.

ὅταν ἀκάρποις γυῖα συμπλέξας φυτοῖς.

Quo vitio monemur, ut vel *ἀκάρποις* pro explicatione alius vocabuli habendum sit, vel, quum paraphrastae et scholiastae explicatio *ἀγρίοις* satis bene cum *ἀκάρποις* congruat, eamque vocem confirmet potius ut doctius positam, quam suspectam faciat, *ὅταν* et *φυτοῖς* locos suos commutare

oporteat. Credibile est numeros adscriptos fuisse *ά, γ'*, quibus construendi ratio indicaretur: quos librarius aliquis ordinis notas esse putans, quo scribenda essent verba, iustum ordinem mutavit. Certissime vero hic quoque versus ostendit, criticum ultra codicum fidem debere progredi.

V. 1162.

λαθραῖα κἀκκέλευθα παπταλώμεναι.

Bachmannus scribit: *κἀκέλευθα Par. A. Non invia et inaccessa (ἀκέλευθα), sed deria (ἐκκέλευθα) quaerebant: occultas semitas, quibus clam prorepentes Troiam pervenirent. Sola Edit. Reich. recte κἀκκέλευθα, reliquae κακκέλευθα sine coronide.* Itaque etiam codices praeter illum unum *κακκέλευθα* habent. Scholiastes codicis Par. A. id quod in codice est agnoscit. At si interpretationes consideresset Bachmannus, quos ex aliis duobus codicibus attulit, *κατὰ ὁδούς, κατὰ τὰς ὁδούς*, non dubitasset quin vera esset caeterorum codicum et editionum scriptura, separatis ut hodie usitatum syllabis, *λαθραῖα κἀκ κέλευθα.*

V. 1192. ad *τῶν Ὀφίωνος θρόνων* adnotatum est, uno in codice ad *ω* in *Ὀφίωνος* superscriptum esse *ο*. Conferri iubetur Potteri adnotatio. At Potterus non de forma nominis disseruit, sed in locis ab eo allatis duorum scholiastarum, quibus addi possunt Homeri scholiastae ad Iliad. VIII. 479. *Ὀφίωνα* scriptum legitur. Nihilo minus Lycophron censendus est *Ὀφίονος* scripsisse, quum in Etymol. M. p. 471, 51. *Ἰξίων* et *Ἰφίων* inter se comparentur, testisque sit Ovidius Metam. XII. 245.

primus Ophionides Amycus.

Credibile est epicos et *Ὀφίωνος* et *Ὀφίονος*, ut *Κρονίωνος* et *Κρονίονος* dixisse, prout corriperent vel producerent *ι*. Ex quo sequitur iambicos versus sibi *Ὀφίονος* ut *Ἐχίονος* vindicare.

V. 1353. Bachmannus edidit:

ἔνθα Τυφῶνος δάμαρ
κευθμῶνος αἰνόλεκτρον εὐδάνει μυχόν.

Plerique codices εὐδάνει cum leni spiritu; unus εὐδύνει; duo ἐνδύνει, quod ad sensum ferri potest; Par. A. ἐνδάνει. Itaque sane facilis mutatio est εὐδάνει. Verbum alibi non usurpatum tuetur editor comparatione aliorum sic formatorum verborum. Non fidimus tamen eius emendationi. Nam et nimis insolenter dictum εὐδάνει μυχόν, et vetustissimus codex ἐνδάνει, scholiastesque eius et paraphrasis ἐνδιατρίβει habent; alio autem in codice explicatio legitur διατρίβει; in alio vero καθεύδει, κρύπτεται. Et καθεύδει quidem sane pro Bachmanni sententia est: sed tamen qui nulla opinione praeditus istas scripturas atque explicationes consideret, facile intelligat nihil nisi hariolatos esse grammaticos, quumque alii corruptum ἐνδάνει in εὐδάνει mutarent, alios id in ἐνδύνει vertisse, vitiumque proinde antiquius esse omnibus codicibus. Interpretatio ea, quae in paraphrasi illoque antiquissimo codice est, maxime quadrat in ἐνναίει: non contenderimus tamen, non positum fuisse aliud minus usitatum verbum.

V. 1459. Par. A. pro βάζω praebet βαύζω. Id dignum erat quod reciperetur.

Dicebamus supra, aliquantum subsidii ad emendationem comparari potuisse, si praemissa esset dissertatio, in qua et de conditione expositum esset, qua Lycophronis tragoedia ad nos pervenisset, et illa essent explicata, quae hic scriptor in dictione potissimum et metris sibi propria habet. Quorum etsi quaedam iam attigimus obiter in iis, quae hactenus attulimus, placet tamen sententiam nostram etiam alia eaque non contemnenda observatione confirmare. Videtur Lycophron hanc sibi severam legem scripsisse, ut pedes trisyllabos quantum posset evitaret. Quare anapaestum non aliter quam in nomine proprio, idque semel tantum, invenimus, ubi prorsus eum pedem declinare non poterat, in nomine Παρθενόπη v. 720. Non enim huc pertinet v. 930. Eadem lege

usurpavit tribrachum, qui in nominibus propriis invenitur v. 520. 680. 700. 874. 920. 1046. 1288. ad quae exempla accedit, ut videtur, *Λαγαρία* v. 930. et corrupta verba *ἄλλοι Μελίτην* v. 1027. Nam quum *Μελίτη* media brevi sit, vera videtur scriptura *ἄλλοι δὲ Μελίτην*, quae in uno tantum codice exstat, et fuit fortasse apud Stephanum Byzantium in *Ὀθρωνός*. Iam vero praeter nomina propria tribrachum deprehendimus etiam in his versibus:

263. *κλάζων τ' ἄμικτον στόματι ῥιγίστην βοήν.*
962. *ἐξευξε λέκτροις ποταμός· ἡ δὲ δαίμονι.*
963. *τῷ θηρομίκτῳ σκύλακα γενναῖον τεκνοῖ.*
1164. *λιταῖς Σθένειαν ἱκέτιδες γουνούμεναι.*
1204. *νήσοις δὲ μακάρων ἐγκατοικήσεις μέγας.*
1218. *Λεῦκον στροβήσων φύλακα τῆς μοναρχίας.*
1222. *οὐ Κλεισιθήρας θυγατρός, ἧς πατὴρ λέχος.*
1242. *σὺν δέ σφι μίξει φίλιον ἐχθρὸς ὢν στρατόν.*
1469. *ἐπεί μ' ἔταξας φύλακα λαΐνου στέγης.*

Non numeravimus in his v. 991. in quo pro *ἑρείας* ex aliquot codicibus *ἰρείας* recipiendum fuit. Quod si consideramus hos versus, primo permira est tanta eorum paucitas in carmine versuum 1474: quo factum est, ut memorabiles visi sint scholiastis, quod ad v. 1218. et 1469. adscripta indicant *δάκτυλος* et *ἀνάπαιστος;* deinde illud quoque animadversione dignum, quod tribrachus nusquam in raris illis vocabulis cernitur, ex quibus carmen hoc composuit Lycophron, sed in verbis communibus atque usu quotidiano tritis. Qua observatione suspectus fit pes ille simul in omnibus istis versibus, et pene cogimur dubitare, an ista vocabula, nisi forte aliud vitium subest, explicationes sint, quae pro genuinis in textum irrepserint. Quum autem nonnulli horum versuum etiam ob alias caussas suspecti sint, eo minus dubitamus eos omnes non sic a poeta scriptos esse contendere, licet non in omnibus coniecturam, quae satis faciat, nobis

in promptu esse fateamur. Sed tamen non inutile fuerit singulos considerare.

Ac v. 263. *στόματι* tam languidum et supervacaneum vocabulum est, ut vel hoc ipso suspicioni locum faciat. Sumamus scriptum fuisse:

κλάζων δ' ἄμικτον χάσμα, ῥιγίστην βοήν.

Tum glossema videbitur *στόμα*, quod postquam in textum venit, non potuerit non et sententiae et metri caussa in *στόματι* mutari. Atque eo facilius Lycophron *χάσμα* ponere potuit, quod fortasse simile dictum Aeschyli in mente habebat, quod est in Agamemnone v. 928. s. *μηδὲ βαρβάρου φωτὸς δίκην χαμαιπετὲς βύαμα προσχάνῃς ἐμοί*, sicuti etiam *ἄμικτον* et *βοὴν* coniuncta ex Agamemnone v. 329. hausta sunt: *οἶμαι βοὴν ἄμικτον ἐν πόλει πρέπειν*.

V. 962. ubi *ποταμὸς* praegresso *Κριμισσὸς* nomini additum est, nihil obstabat quin *κρουνὸς* adderet poeta.

V. 963. tres codices *σκύλλακα*, unus *σκύλλα* habent. Hoc postremo si quis eo uti volet, ut ex his Tzetzae verbis, *Σκύλλα γὰρ ὠνομάζετο ἡ τοῦτου γυνή*, sic scribenda putet verba Lycophronis: *ἡ δὲ δαίμονι τῷ θηρομίκτῳ Σκύλλα γενναῖον τεκνοῖ τρισσῶν συνοικιστῆρα καὶ κτίστην τόπων*: iam Cluverius in Sicilia antiqua p. 258. et 378. quod fugit Müllerum, monuit Tzetzam *Αἴθυλλα* scripsisse. Memorabile est, quod paraphrasis illud *σκύλλα* plane praeteriit, ipsumque nomen posuit *τὸν γενναῖον Αἴγεστον*. Paraphrastes ergo non habuit in libro suo *σκύλλα*, sed aut deerat illa vox, aut scripta eius loco erat alia, quam quod non intelligeret non est interpretatus. Suspicamur scripsisse Lycophronem *κῦμα γενναῖον*, quod Hesychio interprete est *κύημα*: usurpavitque hoc significatu Aeschylus. Id si imperiti librarii, quoniam pater hic *ἰνδαλθεὶς κυνὶ* dicitur, in *κύνα* mutavere, consentaneum erat ut explicaretur per *σκύλακα*.

V. 1164. censemus *ἰχέιδες* interpretis esse pro *ἴκτορες*, quod Aeschyli exemplo in Suppl. 661. pro feminino positum erat.

V. 1204. vel ob fluctuationem scripturae suspectus est. In septem codicibus est *νήσοις δὲ μακάρων*; in uno eadem scriptura omisso *δὲ* exstat; quattuordecim habent *νήσοις μακάρων δ'*; unus *μακάρων δὴ νήσοις*: ut apertum sit, librarios metri vitium, quod in *νήσοις μακάρων δ'* inesse videbant, corrigere voluisse. Credimus igitur Lycophronem aut a *μάκαρς*, quod Hephaestio p. 3, 13. ex Alcmane affert, *μακάρτων* genitivum formasse, aut scripsisse *μακαριῶν*, ut Leonidas Tarentinus epigr. 69. (in epitymbiis Anthol. Pal. n. 740. p. 683.) dixit *ὁ πᾶσι μακαρτός*.

Etiam v. 1218. incerta est scriptura. Quattuor codices et paraphrasis praebent *φύλακα τῆς μοναρχίας*; septemdecim libri *φύλακα μοναρχίας* sine articulo, qui sane hic valde inutilis est. Non dubitandum videtur quin *φύλακα* explicatio alius vocabuli sit, quod fortasse *ῥύσιον* fuit. Certe hoc aliquanto magis placet, quam Ionicum Attica terminatione *οὐρέα*, quod quis forsitan ex Hesychio petat.

V. 1222. vitium non in eo vocabulo, in quo tribrachus est, sed in praegresso nomine *Κλεισιθήρας* quaerendum. Id nomen vix pro incorrupto haberi potest: sed fuit, opinor, apud antiquos epicos *Κλεισιθύρη*, convenientissimum nomen mulieri, quod ab Lycophrone in *Κλειθύρα* mutatum.

V. 1242. in quo omnium minime aliqua mendi species cernitur, deest in paraphrasi. Quinque codices habent *στρατῷ*. Scholiastae scribunt: *λέγει οὖν ὡς διάφορος ὢν, φίλον* (sic) *στρατὸν ἔχων, συμβήσεται διὰ τὰς σπονδάς*. Suspicamur antiquam scripturam fuisse: *σὺν δέ σφι μίξει φίλτρον, ἐχθρὸς ὤν*. Quod si cum istis codicibus legitur *στρατῷ*, coniungenda sunt *ἐχθρὸς ὢν στρατῷ*. Nec tamen eo opus est, sed servari potest *στρατόν*, si virgula post *ὢν* posita con-

iunguntur: *στρατὸν ὅρκοις κρατήσας καὶ λιταῖς γουνασμάτων.*

Denique v. 1469. non dubitamus, quin *φύλακα* ab interprete sit profectum. Fortasse poeta scripsit:

ἐπεί μ' ἔθηκας λαΐνου τηρὸν στέγης,

Aeschylum sequutus in Suppl. 256. ubi scholiastes *τηρὸν* per *φύλακα* interpretatur. Eiusdem significationis vocabulum, quod hic metro accommodatum est, habet Hesychius: *ναρούς, τοὺς φύλακας.*

Impresssa editio accurate est: quamquam in poetae verbis, praeter ea, quae supra notavimus, aliaque leviora, hos in corrigendis non memoratos errores deprehendimus: v. *κἀπὶ ῥοιζοῦσαν* pro *κἀπιροιζοῦσαν;* v. 479. *ἀγρόστης* pro *ἀγρότης;* v. 487. *τόρμαισιν* contra metrum pro *τόρμαισι;* v. 692. *κημασμὸν* pro *κηκασμόν;* v. 1038. *φωνῆ* pro *φονῆ.* In adnotationibus nimia spatii parsimonia cernitur, meliusque commoditati lectoris consultum esset, si singulae adnotationes et scholia novo versu inciperent, nec lineola aut perexiguo spatio in mediis versibus distinguerentur. Contra varietas lectionis ab I. Pottero et Sebastiano collecta, versioque Scaligeri diductius et spatiosius, quam pro parergis, descripta sunt.

Quum in primo volumine non indicatum sit, quid porro sit sequuturum, afferenda duximus, quae ab ipso editore accepimus. Alterum igitur volumen commentarios Tzetzae continebit ex novem codicibus emendatos, cum indicibus locupletissimis rerum grammaticarum, mythologicarum, geographicarum. Illi novem codices sunt Parisini B C. Vindobonensis III. Palatinus 40. Vitebergenses I. II. III. Cizensis, Rehdigerianus: quos Bachmannus aliquot in locis omnes ipse inspexit. Sperat se etiam codicis Neap. III. qui valde memorabilis est, discrepantias accepturum. Antiqua scholia Romana vel in hoc, vel certe in tertio volumine locum invenient, quod Bachmanni commentarios mythologicos et geographicos com-

plectetur. Haec omnia, maximeque tertium volumen eo cupidius exspectamus, quo minus satisfaciunt ea, quae a superioribus huius carminis editoribus allata sunt, quod amplissimam praebet materiam quaestionibus mythologicis et geographicis.

ADNOTATIONES

AD

IO. HENR. NEVKIRCHII LIBRVM

DE

FABVLA TOGATA ROMANORVM,

editum Lipsiae a. 1833*).

Io. Henr. Neukirchius in dissertatione, quam praemisit fragmentis fabularum togatarum, quum de diversis generibus poesis scenicae apud Romanos exponeret, ubi ad mimicam poesin venit, quoniam alii scriptores mimo Graeca argumenta, planipediae Romana tribuunt, sic statuit, ut mimi nomen latiore significatu utrumque genus complecti, angustiore significatione autem eo quem diximus modo a planipedia differre, sed dignitate parem mimo esse planipediam putaret. Hoc postremum in antiquiora fortasse cadat tempora: postea vero planipes contemptior erat. Nam Ausonius Symposiac. VII. 8. de quo loco multum disputatum est a viris doctis, quum extenuans artem suam se *nec de mimo planipedem nec de comoedia histrionem* vocat, non indiget coniectura, quae prolata est p. 7. *nec de mimo planipedem nec de comoedis histrionem*, ita ut *planipes de mimo* sit *mimus pla-*

*) Excerptae ex diurnis litterariis Lipsiensibus a. 1833. m. Novembr. n. 276—279.

nipes, histrio de comoedis autem *comoedus.* Sane quidem primo adspectu dicere debuisse videtur Ausonius, nec mimum se esse neque histrionem, i. e. artis scenicae plane imperitum: sed considerata totius illius loci ratione facile apparet hoc eum dicere: *et ne de mimo quidem planipes, aut de comoedia histrio sum*: i. e. inter mimos non planipedis, inter comoedos non histrionis loco numeror. Nam *histrio* vilior appellatio fuit. Hinc Cicero pro Roscio comoedo c. 10. *ex pessimo histrione bonum comoedum fieri posse* dixit, et c. 11. *qui ne in novissimis quidem erat histrionibus, ad primos pervenit comoedos.*

Non magis concedendum videtur, quod p. 13. dicit Neukirchius, ex Attae versu in Aedilicia,

daturin estis aurum? exsultat planipes,

apparere, planipedes antiquiori tempore etiam in fabulis togatis prodiisse. Nam hic versus, in quo nescio an scribendum sit *daturi si estis aurum*, alio spectare potuit: et, si est ad planipedem in togata referendus, haec planipedis introductio non ad ipsam fabulam togatam pertinebat, sed ludicrum erat inter actus insertum.

In omni hac disputatione, quae est de fabulis scenicis Romanorum, meminisse oportet, non multum fidei haberi posse testimoniis grammaticorum. Nam partim ex Graecis grammaticis hauserunt ea quae afferunt, Graecaque miscuerunt Romanis, partim prorsus non iusto ordine nec recte discernentes quae tradita inveniebant confuderunt. Quare non tam ea, quae dixerunt, sequenda sunt, quam quae pro rei natura dicere debuerunt. Ad haec accedit, ut saepe vel corrupti, vel interpolati, vel, ut Festus, male suppleti sint. Atque apud Festum id factum est statim eo loco, qui est p. 14. allatus, in *orchestra*: [*orchestra, locus in scena, quo*] *antea qui nunc pla*[*nipedes appellantur*] *non admittebantur* [*histriones, nisi tantum inte*]*rim dum fabulae ex*-[*plicarentur, quae sine ipsis*] *explicari non potera*[*nt*]. Aperte turbat hic *histriones* vocabulum, tota-

que ista explicatione nihil explicatur. Quare sic potius integrandus esse hic locus videtur: [*orchestra, locus in theatro, in quo*] *antea, qui nunc pla*[*nipedes, agebant.*] *non admittebantur* [*autem nisi tantum inte*]*rim, dum fabulae ex*[*plicarentur in actus, in quos aliter*] *explicari non potera*[*nt*]. Eo ducit Diomedes p. 487. qui appellationem planipedis explicans scribit: *sive quod olim non in suggestu scenae, sed in plano orchestrae positis instrumentis mimicis actitabant.* Cum his comparanda sunt, quae idem uberius dicit p. 489. *primis autem temporibus, ut asserit Tranquillus, omnia, quae in scena versantur, in comoedia agebantur: nam pantomimus et pythaules et choraules in comoedia agebant.* Quod porro dicit Neukirchius, ultimis fere temporibus Sullae planipedes se a comoedia segregasse, ac separatim suas fabulas agere coepisse, certe ex Diomedis quod in hanc rem affertur testimonio p. 489. (per errorem scriptum est 498) non elucet, in quo nec mentio Sullae facta est ulla, neque omnino tempus indicatur illius segregationis.

P. 15. disserit Neukirchius de Rhinthonis hilarotragoedia, cui generi adnumerat Plauti Amphitruonem, recte observans nomen tragicocomoediae ab ipso esse Plauto inventum. Forma ista nominis prava est: Graecis τραγοκωμῳδία, Latinis *tragicomoedia* dicitur. Quod Io. Laurentius Lydus narrat, Rhinthonem primum comoedias hexametris scripsisse, eoque ansam dedisse Lucilio satiras versu heroico scribendi, intactum reliquit Neukirchius: sed reiicere eum hoc testimonium apparet ex p. 54. nec sane quidquam ei veri inesse videtur, quando neque alius ullus huius rei auctor notus est, nec fragmenta quorum notitiam habemus alio quam iambico scripta metro sunt. Illud tamen non incredibile est, aliquando etiam heroicis versibus usum esse Rhinthonem, quum quidem epicos poetas perstringeret. Videtur enim poetas potissimum traduxisse.

Iis argumentis, quibus Neukirchius p. 18. seqq. Romanis etiam Satyros vindicare studuit, non multum

tribuimus. Quod Athenaeus VI. p. 261. C. de Sulla scribit: ἐμφανίζουσι δ' αὐτοῦ τὸ περὶ ταῦτα ἱλαρὸν αἱ ὑπ' αὐτοῦ γραφεῖσαι σατυρικαὶ κωμῳδίαι τῇ πατρίῳ φωνῇ, quum is non σάτυροι aut δράματα σατυρικὰ dicat, si non est, ut Casaubono de satyrica poesi II. 4. videbatur, ad Atellanas referendum, de comoediis intelligi potest, quibus ille certos homines facete deriserit. Quamquam pro moribus Sullae, quales eos Plutarchus in vita eius c. 2. descripsit, non incredibile est, eum etiam Oscos iocos Atellanarum attigisse. Versus autem ille apud Marium Victorinum p. 2591.

agite, fugite, quatite, Satyri,

quem Casaubonus quoque pro documento Latinorum habebat satyrorum, ab ipso grammatico, pariter ut aliquot alii versus, factus videtur. Porro quod Vitruvius tria genera scenarum memorat, tragicam, comicam, satyricam, non putamus, ut Neukirchio placet, propterea satyros testari, quod quae praecedunt quaeque sequuntur ad Romanum theatrum pertinent. Exstat locus ille libro V. c. 7. agitque potius universe de theatro: in qua re Vitruvius non solum, ut consuerunt scriptores Romanorum, ex Graecis fontibus hausit, sed debuit etiam Graecos ut regno Romanorum comprehensos respicere. Denique Horatius in epistola ad Pisones v. 225. videtur quidem praecepta satyros scribendi dare, sed possunt illa non minus sic dicta esse, ut doceatur, quomodo iudicandi sint scripti a Graecis satyri. Verene conati sint Romani hoc genus fabulae tractare, nisi aliis argumentis demonstretur, dubium manet.

De fabulis praetextatis assentitur Neukirchius Niebuhrio in Historia Romana vol. I. p. 543. (578. ed. tertiae) eas non proprie tragoedias fuisse, quod non fabulosa, sed historica argumenta, atque adeo res tum viventium hominum tractaverint: sed fatetur tamen p. 31. si tragoediae notionem, ut hodie solitum est, constituimus, nihil ista obstare, quin tragoediis adnumerentur. In eo autem recte dissentit a Niebuhrio, quod is fabulas prae-

textatas non potuisse unitatem quam vocant argumenti servare contendit.

P. 36. seqq. ostendere studuit Neukirchius, Melissum, libertum Maecenatis, de quo Suetonius scripsit: *fecit et novum genus togatarum, inscripsitque trabeatas*, id genus invenisse, ut quemadmodum senatorum essent praetextatae, plebeiorumque tabernariae, sic etiam equites suas fabulas, trabeatas istas, haberent. Ea vero valde incerta coniectura est, neque, quum istae fabulae tamen comoediae fuerint, aliud ex appellatione illa colligi potest, quam vitam in iis moresque hominum politiorum esse descriptos.

Facile probabuntur emendationes Io. Lydi, Diomedis, Festi in *togatarum*, propositae p. 39. 40. 41. non item Euanthius et Donatus, de quibus p. 48. et 49. dictum, correctione opus habent. Sententia Neukirchii haec est, togatas universe appellari comoedias argumenti Romani, tabernariarum nomen autem ab solis inventum esse grammaticis, postquam togatas iis visum fuerit omnes vocare Romani argumenti fabulas, sive praetextatae essent, i. e. tragoediae, sive comoediae, quae ab antiquis simpliciter togatae nominentur. Vnde coniicit, ubi togatae tamquam singulare genus a tabernariis distinguantur, id vel errore ipsorum factum esse scriptorum, vel culpa librariorum. Horum prius facilius concedi, quam alterum potest, et tamen ne illud quidem ex omni parte, quoniam grammatici temere nec certo ordine nomina fabularum posuerunt atque explicaverunt. Itaque facile tabernarias a togatis distinguere potuerunt, si togatas tales intelligebant, quales Graeco in argumento Terentianae comoediae sunt, tabernarias autem, quae hominum de plebe mores repraesentarent.

Iure suo negat Neukirchius Atellanas et planipedias in fabulis togatis esse numerandas, et quidem, Atellanas, quia personas Oscas habuerint, planipedias autem, quod planipedes non togam, sed ricinium gestaverint, etsi id a quibusdam Festo in *recinium* auctore pro genere quo-

dam togae habetur. Locus ille apud Vrsinum p. 84, 32. sic scriptus est: *Recinium omne vestimentum quadratum. hi qui XII. interpractati sunt, esse dixerunt vir toga mulieres utebantur, praetextum clavo purpureo. unde reciniati mimi planipedes. quam rem diligenter exsequitur Santra l. II. de antiquitate verborum.* Receperunt editores coniecturam Vrsini: *virilem togam qua — praetextam;* quae continet inter se pugnantia. Id vitium vitavit Lipsius in Epist. Quaest. I. 7. qui interpunxit post *dixerunt*, et tum legit *ver.* (i. e. *Verrius*) *togam qua.* Locum, ubi hoc Lipsius dixit, ipsamque coniecturam mendose indicavit Forcellinus. Ne Lipsius quidem verum invenit, sed sic potius scripsisse Festum credibile est: *hi qui XII. interpretati sunt, esse dixerunt velamen, quo mulieres utebantur.* Diomedis locum p. 487. optime sanavit Neukirchius eo, quod *togatarum* cum *Latinarum* permutans scribit: *Latinarum fabularum species tot fere sunt, quot et palliatarum.*

Praeterea Rhinthonicas quoque fabulas commemorat Neukirchius, refutatisque quae Bothius confusa protulit, locum considerat Euanthii, in quo ille videri potest Romanis tribuere fabulas Rhinthonicas. Et fieri quidem potuisse concedit, ut tentaverint aliqui Rhinthonicas fabulas Romano argumento scribere, sed tamen, si id fecissent, etiam nomen ei generi inventuros fuisse, neque id praetermissurum Diomedem existimat. Recte sane. Euanthius quidem, nisi interpolatus est, ordinem rerum pervertisse nec iustam scientiam prodere videtur. Caeterum tam parum de natura fabulae Rhinthonicae constat, ut illa cuius supra mentionem fecimus Neukirchii suspicio, quam Plautus iocose tragicomoediam vocat Amphitruonem suum cum fabula Rhinthonica comparari posse, non habeat idoneum fundamentum, neque, etiamsi Rhintho, ut p. 17. indicatum, Amphitruonem scripsit, non veri similis putanda sit A. W. Schlegelii opinio, ad Epicharmi exemplum, qui argumenta ex mythologorum fabulis deprompserit, Amphitruonem a Plauto esse compositum.

Denique Neukirchius omnem fabularum scenicarum apud Romanos varietatem duabus tabulis descriptam explicavit, una veterum rationem sequutus, altera ex recentiorum usu tragoediae nomen latius extendens, eo ut etiam praetextatae comprehendantur. Facilior nobis et planior illa descriptio videtur, quam Langius dedit in Vindiciis tragoediae Romanae p. 52. Quin, si solum respicimus antiquorum et probatorum scriptorum usum, etiam simplicior ratio invenitur, hoc modo:

Argumentum

Graecum	*Romanum*
crepidata (τραγῳδία)	*praetextata.*
palliata (κωμῳδία)	*togata, cuius alia trabeata, alia tabernaria.*
satyrica (σάτυροι)	*Atellana.*
mimus (μῖμος)	*planipes.*

Nam Atellanae etsi non erant fabulae satyricae, tamen vicem satyrorum apud Romanos sustinebant. Rhinthonicae fabulae si sunt in hac tabula memorandae, numerandae erunt in comoediis.

Ostendit porro Neukirchius, in togatis, quo nomine etiam praetextatas comprehendit, non semper Romae rem gestam fingi. Deinde Niebuhrii attingit opinionem, qui in Historia Romana vol. I. p. 543. (578. ed. tert.) sine caussa statuebat, non solum Atellanas, sed etiam praetextatas, quas minus accurate togatas vocabat, ab ingenuis Romanis esse actas. Deinde componit dissensum, qui est inter Asconium ad Ciceronis Div. in Q. Caecilium c. 15. et Diomedem p. 488. quorum Asconius de fabulis palliatis scribit: *in his enim, etiamsi Latinae sunt, Graeca omnia servantur: nam Latinae fabulae per pauciores agebantur personas, ut Atellanae, togatae, et huiusmodi aliae;* Diomedes autem: *in Graeco dramate fere tres personae solae agunt: ideoque Horatius ait, nec quarta loqui persona laboret, quia quarta semper muta. At Latini scriptores complures personas in fabulas in-*

troduxere, ut speciosiores frequentia facerent. Diomedem enim videri de palliatis fabulis loqui. Addi poterat, Asconium dicere numerum omnium fabulae personarum, Diomedem autem eas personas, quae in scena simul conspiciantur. Id vero non putamus concedendum esse, quod non histrionem, sed saltatorem fuisse Neukirchius existimat Stephanionem, Suetonio in Octavio c. 48. togatarium nominatum, de quo Plinius H. N. VII. 48. sic scribat: *Stephanionem, qui primus togatus saltare instituit, utrisque secularibus ludis saltasse et Divi Augusti et quos Claudius Caesar consulatu suo quarto fecit.* Nam neque Harduino assentitur, apud Plinium *togatas* scribendum censenti, neque Grysaro, qui in Diurnis scholasticis a. 1832. II. n. 46. p. 361. *togatarius* scribi iubet, sed putat *togatus saltavit* idem esse quod *saltavit togatas.* At non solum insolentius id dixisset Plinius, verum etiam res ipsa secum pugnat. Nam togata quae saltatur nihil aliud quam planipedia esset, nec iam recte togata vocaretur. Grysari vero haec opinio est, mimos interdum in ipsis comoediis egisse, sed tamen rursum invertere rem videtur, quum addit, Stephanionem primum fuisse, qui quum esset histrio comoediae togatae, etiam in mimo saltaverit. Sed etsi non male coniecit *togatarius* scribendum esse, tamen nulla mutatione opus videtur. Nam sane communis usus, quo saltare quis dicitur, etiam ut mimum prodiisse Stephanionem credi postulat, potuitque id fieri inter actus comoediae, si verum est, quod supra de Festi in *orchestra* verbis diximus: sed tamen id non impedit, quin Stephanio primus fuerit, qui in mimo pro ricinio togam gestaret. Si iam Iulius Caesar equitem Romanum, Laberium, cogere potuit, ut in mimo prodiret, non est quod miremur magis corruptis moribus mimum etiam in toga saltavisse.

Quod Naevium Neukirchius putat initio Graecis argumentis res Romanas admiscuisse, atque ita eo pervenisse, ut deinde penitus Romana argumenta tractaret, non videtur ulla probabili ratione demonstrari posse.

Nihil enim eo confert, quod in Acontizomeno Romanum nomen Sulpicii posuisse dicitur. Charisii, apud quem huius rei memoria exstat, haec verba sunt p. 185. *Naevius Acontizomeno: Sulpicii noctu interfecit.* Vel ipsa haec verba, quae sensu carent, vitii excitant suspicionem. Et quum haec praecedant: *Noctu diuque. Sallustius Historiarum secundo: noctu diuque stationes et vigilias tentare. at vero Titinius in Barathro noctu diuque ait:* veri simile est, si mendo vacat *Sulpicii*, alieno loco hoc nomen positum esse, pertinereque ad verba Sallustii, quae proinde sic erunt scribenda: *noctu diuque stationes et vigilias tentare Sulpicii.* Illud quaerendum relinquitur, quem istum Sulpicium dixerit Sallustius.

Accedimus ad fragmenta. Eorum sane difficilis emendatio est, quoniam pleraque et brevia et valde corrupta sunt, nec de singulis fabulis tanta eorum copia superest, ut de argumento probabilem coniecturam facere liceat. Maximam in hoc genere dubitationem metra obiiciunt. Ac fere critici plane contrariam quam in Graecorum comicorum fragmentis viam inivere. Graecorum enim permulta fragmenta eo corruperunt, quod fere versus iambicos et trochaicos mutando restituere conati sunt, ubi nulla emendatione opus erat, si paeonicorum, Eupolideorum, Cratineorum essent recordati. Contra in Latinorum fragmentis nonnulli, si non statim iambi trochaeive sese obtrudunt, continuo ad rariora et minus usitata metra confugiunt. Et Neukirchius quidem etsi laudandus est, quod Bothii in hoc genere temeritatem non est imitatus, tamen ne ipse quidem satis firmo pede videtur incedere. Id quum eo cernitur, quod multa vel in numeris vel in prosodia adscivit, quae adsuetam illi poesi aurem laedant, tum propensior ad rariora metra, in primis ad Bacchiacum, est, etiam ubi illa neque usurpata sunt nec potuerunt usurpari, et quidem ut etiam multas solutiones, easque naturam metri prope totam obscurantes admitteret. Accedit, quod etiam metra constituit plane abhorrentia a poesi scenica, alia-

que prorsus ignota, ut trimetrum iambicum hypercatalectum.

Quae nobis haec fragmenta perlustrantibus in mentem venerunt, hic subiecimus. Primus in hac collectione est Romulus Naevii, cuius duo exigui momenti fragmenta supersunt, utrumque apud Varronem de L. L. Eorum primum legitur p. 338. seqq. ed. Spengelii, quod in Mülleri editione est VII. 54. Eum locum, in quo de *caro* verbo sermo est, Neukirchius ita constituit: *Carere a carendo, quod eam* (lanam dicit Varro) *tum purgant ac deducunt, ut careat spurcitia, quum ex ea carunt, quod in ea haeret neque est lana: quae in Romulo Naevius appellat o s c a ab Oscis.* Quae post *spurcitia* leguntur verba, *ex quo carminari dicitur tum lana*, ut ab interprete adiecta delevit. At neque hoc recte factum, neque *osca* verum videtur. In libris est *asta, asca, hasta, osca, oscam.* Hinc credibilius est Varronem scripsisse: *quae in Romulo Naevius appellat c a s c a, ab Oscis.* Nam *casca* Osca vox est, de qua Varro p. 314. seqq. dixit, apteque casca appellari potuere inutilia illa et spurca, quae ex lana secernuntur.

Alter locus hic est, p. 386. (VII. 107.) *in Romulo: s p o n s u s: contra sponsum rogatus.* Hic, ubi Neukirchius legendum putat *consponsus, contra sponsus, rogatus*, nihil mutandum. Comparat quidem p. 246. seqq. (VI. 70.) ubi Varro ex Naevio *consponsi* affert. At non cogitasset de correctione, si etiam ad ea attendisset, quae illic sequuntur: *spondebatur pecunia aut filia nuptiarum caussa: appellabatur et pecunia et quae desponsa erat sponsa: quae pecunia inter se contra sponsum rogata erat, dicta sponsio.*

Sequitur Pacuvii Paullus, quem Neukirchius magna cum probabilitate L. Aemilium Paullum intelligit, qui in pugna Cannensi cecidit. Eo magis, quod ipse veri simile esse iudicavit, primum et tertium fragmentum Scaligero Delrioque auctoribus coniungi debebant. De posteriore, quod apud Nonium p. 510. ex his verbis con-

stat, *nunc te obtestor celere sancto subveni censori*, cum Bothio, qui haec Novio tribuebat, litigat Neukirchius, additque Scaligerum *nunc ted* scribere, pro quo ipse *nunc tete* posuit, et in edd. quibusdam veteribus *censore* legi. *Tete* hic non aptum. Quid est autem *sancto censori?* Quaerimus enim, qui sit iste censor, et cur sanctus appelletur. Ad haec vix est, quod responderi possit, credibiliusque est, prae indignatione ob collegam suum dicere Paullum:

patér supreme nóstrae progenií patris
nunc, núnc, te obtestor, célere sancte súbveni
censór.

Quartum fragmentum apud Priscianum VI. 1, 3. p. 677. sic scriptum legitur: *quae via caprigeno generi gradibilis gressio est;* apud Macrobium autem Sat. VI. 5. sic: *quamvis caprigeno pecori grandior gressio est.* Bothii portentosa inventa hic et alibi silentio praeterire debebat Neukirchius. Verum etiam quod ipse proposuit,

quaé via
caprígeno generi grádibilisque gréssio est,

vix habet quo commendetur. Veri simile est sermonem fuisse de loco invio, quem vel Hannibal occupasset, vel occupare deberent Romani. Vnde coniicimus:

qua víx caprigeno géneri gradilis gréssio est.

Qua codex habet apud Krehlium.

In Attii Aeneadis valde veremur ut recte scripserit Neukirchius:

A. *súmma tibi perduéllium est.* B. *quorum aút quibus se a pártibus*
glíscunt.

Vix enim primis verbis id quod vult significari potest: summa vis hostium in te invasum venit. Potius scripturae Nonii librorum hoc suadent:

vis súmma ubi perduéllium est.

In tertio fragmento servavit Neukirchius Nonii scripturam:

Cálleti vocé canora
fremitú peragrant minitábiliter,

statuitque Calletos pro universis Gallis esse nominatos. Dubium vero, an ea gens iam nota fuerit Attio, probabiliusque alii *Gallei* scribi voluerunt.

Bene tractata sunt alia fragmenta, maximeque quartum, sed in undecimo vix verum est hoc:

cástra haec vestra est. óptume est
ís meritus de nóbis.

Apud Nonium p. 200. legitur *optume essis meritus a nobis.* Ex eo aptius coniici posse videtur:

cástra haec vestra: óptume estis mériti id a
nobís. —

Dicta haec de castris Samnitium: v. Livium X. 29.

In tertio praeclarorum quae ex Bruto reliqua sunt fragmentorum, versu 8. apud Ciceronem de divin. I. 22. haud facile defendi potest correptum *ad* in his: *nam quod ad dexteram coepit cursum.* Videtur haec scriptura ab interprete profecta, Attius autem sic scripsisse:

nam quod déxterum
coépit cursum ab laéva signum praépotens.

Maecenati tributa est Octavia. Apud Priscianum X. 8, 47. citatur *in Octavia*, sed quinque codices praebent *in Octaviam*, idque minime contemnendum videtur, quidquid statuatur de illo scripto. Fabulam scenicam fuisse, ut Neukirchius cum aliis opinatur, ipsum fragmentum redarguit, quod in huiuscemodi Bacchiacos descriptum videmus:

pexísti capíllum natúrae munéribus
gratúm.

At dictio monstrat hanc prosam esse, nec tales Bacchiacos aetas Maecenatis scribi patiebatur.

Sequuntur commemoratis aliquot aliis praetextatarum scriptoribus, quorum nihil superest, tabernariae, secundum eas, quas Neukirchius probavit, definitiones, i. e. illae fabulae, quae ab antiquis togatae sunt appellatae. Naevii sola hic Clastidium in censum venit: caeteras enim, quae huic poetae tribuuntur, omnes Atellanas esse Novii putat Neukirchius. Id an ita sit, vellemus in perpetua nominum illorum permutatione accuratius esse quaesitum.

Proximus igitur est Titinius, de cuius et nomine et aetate diligenter disputatum est. Eius in Barbati fragmento primo non opus erat ordinem verborum mutare aut aliam facere coniecturam, sive *beneque*, sive cum antiquis editionibus *bene* legeretur:

Phrygió fui
prímo: bene id opús scivi: relíqui acus aciás-
que hero
átque herae nostraé.

Eadem secundi conditio est, quod certo non habuit metrum Bacchiacum, sed trochaicum:

— ubi ambitioném virtuti vídeas antecédere.

Tertium fragmentum, quod exstat apud Nonium p. 552. Neukirchio visum est Cretico numero scriptum esse:

— ita Spúrius animátur in proélium:
véles eques récipit se, néc ferit quémquam
hostem.

Tales versus Creticos non erat Titinio facere permissum. Neque illud facile credi potest, describi hic hominem ad rixam propensum et meticulosum, qui lacessito tantum hoste propere refugiat. Immo ea est huius fragmenti ratio, ut ne videatur quidem Titinii esse, sed magis conveniat fabulae praetextatae. Ac facile apud Nonium fragmentum Titinii cum nomine quod sequebatur Attii vel Pacuvii excidere potuit. Erat autem, nisi fallimur, sic scriptum:

— ita Spurius ánimat íram in proélium.
véles atque equés recípit se, néc ferit quemquam hóstium.

Nec sextum fragmentum insoliti asynarteti auxilio, quod Bothianum remedium est, indiget. Accommodatissima sunt verba tetrametris iambicis catalecticis:

quod quídem pol mulier dícit:
namque úni collegí sumus.

In Fullonibus non placet fragmento quinto:

formícae pol persímile rusticus ést homo.

Sic Neukirchius legit cum Bothio et Munkio, non optimis metrorum auctoribus. Libri *est* habent ante *rusticus*. Si consideramus quod apud Nonium statim sequitur: *Naevius Gymnastico: pol haud parasitorum aliorum simile est*: veri simile fit, *homo* alieno loco positum esse, et hunc versum sic scribi debere:

pol haúd parasitorum áliorum simile ést homo;

Titinii versum autem hoc modo:

— formicae pól persimile est rústicus.

In septimi fragmenti versu primo *ubi* non potest ultimam productam habere; in altero autem, quum *que* brevis syllaba sit, aliud quid scribere voluerit Neukirchius oportet, fortasse *qua* cum Bothio. Sic scribendi videntur hi versus;

térra haec est, non áqua, quasi ubi tu sólitus argutárier
pédibus, cretam dúm compescis, véstimenta quá lavas.

In octavo fragmento non cogitandum de metro Ionico a minore, quod plane alienum est a poesi scenica. Videntur hi trochaei fuisse:

víderam ego te vírginem
fórmosam, sponsó superbam, fórma esse ferocém. —

In nono fragmento *ei* non potest bisyllabum esse. Melius hoc fragmentum constituit Bothius, nec tamen sine vitio. Servari poterat scriptura Nonii:

— *sí quisquam hodie praéter hanc posticum*
nostrum pépulerit,
patíbulo hoc ei capút defringam.

Credibilius tamen est, prioris versus initium tale fuisse: *si quísquam hic hodie.* Quae Munkius imperitissime protulit, silentio praeteriri satius erat.

In duodecimo fragmento vix defendi poterit hiatus:

adspécta formam, átque os contemplá meum.

Post *formam* deesse videtur *meam*, ut Munkius coniiciebat, vel *hanc*, nisi poeta scripsit *contemplato.*

In tertio decimo non debebat Bothii transpositio admitti:

ni nós texamus, ést nihil, fullónes, vobis
quaésti.

Nam non solum *est*, quod apud Nonium post *nihil* legitur, pessime collocatum, sed etiam ictus in *nos* pravus est. Scribendum erat:

— *ní nos texamús, nihil, fullónes, vobis quaé-*
sti est.

In Geminae fragmento primo non possunt hi durissimi numeri placere:

— *líbram aibant satis ésse ambobus fárris*
intritae: plus comést sola uxor.

Vix est quod dubitetur quin scribendum sit:

líbram aiebant ésse ambobus fárris intritaé
satis.
plús comest sola úxor.

In secundo fragmento ectasis, Bothianae artis machina, in hoc versu,

párasitos amóvi, lenonem aédibus abstérrui.

reiici, scribique debebat *proterrui.*

De quarto fragmento, quod valde corruptum est, nihil certi licet pronunciari; videntur tamen apud Nonium ante *soles* pauca verba, in quibus *cur* erat, excidisse: ut scripserit poeta:

tu autem inqui, in urbem paúcies
venire — cúr soles?

Non est enim verisimile, hoc modo eum initium versus scripsisse: *venire cur solés.* Locus hic ex eo colloquio sumptus est, ex quo est tertium fragmentum, in quo *postquam* non erat in *posteaquam* mutandum. Potest enim initio versus particula, qualis *sed* vel *nam*, omissa esse.

Sextum fragmentum pravis ictibus in iambicum numerum pro trochaico distortum est, sic illud dimetiendum:

múlier, credo, advórsum illum res suás con-
-queritur. —

Septimum fragmentum sic constituit Neukirchius:

ergo út sua servét dona, nóbis faciúndum
ést ita, út cum ea.
primúm blanditér comparémus collóquia.

De Bacchiacis numeris vel propterea hic cogitari non potest, quia inter eos non potuit versus, qualis secundus est, interponi, qui nullum habet usitatum metrum. Edd. vett. Nonii praebent *est ut ita ut* et *colloqui.* Hinc coniici licet:

érgo ut sua servét bona,
nóbis faciundum ést, invita ut cúm ea primum blánditer
cómparemus cólloqui.

Octavum fragmentum sic restituendum videtur;

at aliquís vestrorum núnciet
géminae, ut res suás procuret, ét facessat aédibus.

Vndecimum fragmentum Neukirchius hoc modo scripsit:

sí rus cum scortó constituit íre, claves íllico
abstrúdi iubeo, técti ne sit cópia.

Bona quidem haec emendatio est, si verum est, quod Nonius dicit p. 406. *tectum* etiam pro *toga* dici. Nam apud eum scriptum est: *rusticae togae ne sit copia, id est tecti.* Sed primus versus pravos ictus habet, nec veri simile est alterum esse clausulam. Videtur pronomen omissum esse, eoque restituto scribendum:

si rús cum scorto cónstituerit íre, claves íllico
abstrúdi iubeo, rústici illi né sit tecti cópia.

Versum, qualem duodecimum fragmentum praebet,

eú ecastor, sí moratae sítis ambae ibús, ut ego,
móribus,

certo non fecit Titinius. Sic potius scripsisse ille videtur:

eú ecastor, sí moratae sítis ambae móribus
ibus prout ego.

Tertium decimum fragmentum Nonius ut exemplum accusativi singularis pro genitivo plurali, i. e. *um* formae pro *orum*, affert. Quem non credibile est hac in re errasse, ut visum Neukirchio, qui id fragmentum sic scripsit:

non éxsecratur ís parasitum, néc virum abspellít domo?

In libris est *exsecratis* et *exsecrat is.* Defenditur Nonius, si scribimus:

nómen exsecrát parasitum, néc virum abspellít domo?

Nec quartum decimum fragmentum sic disponi potest:

edepol hóminis
ignávi functus ófficium.

In tam brevibus fragmentis vix licet mutationes facere,

quae satis certae sint, sed plerumque in eo consistere cogimur, ut quid non potuerit fieri dicamus. Hoc loco de pluribus modis maxime probabilis hic est:

édepol ignavi hóminis functus óffícium —

Si vero manere verba sic, ut apud Nonium scripta sunt, versusque distingui sic, ut Neukirchius fecit, volumus, trochaicum esse debet metrum, ictusque sic poni: *ignavi functús officium*, ut *functus* contractum sit ex *functus es*.

In sexto decimo fragmento Neukirchius transpositis *has nocte* Bacchiacum fecit:

simul út pueras nócte has suspírare crévi,

quem pulcrum versum appellat. Nobis parum pulcer videtur. Nisi fallimur *ego* deest, metrumque fuit trochaicum:

símul ut pueras hás ego
nócte suspiráre crevi.

Neque in Iurisperitae fragmento primo opus transpositione, ut restituantur Bacchiaci, ad quos quaerendos nimis propensus est Neukirchius, sed si *aibat* pro *aiebat* et *se* pro *sese* scribitur, ultro se offerunt iambi:

nunc ádeo visam: vélle rem magnam aíbat
se mecúm loqui.
et cómmodo eccum exít.

Etiam in Psaltriae fragmento quinto duros Neukirchius constituit Bacchiacos, qui trochaici sunt, sic scribendi:

manus
lávite, mulierés, et capita vélate.

In Pyrrhiae fragmento secundo Lipsii vestigia sequutus Neukirchius scribit:

quia ego hódie extorrem
hánc domo faciam: pílatricem pállai evallá-
vero pulchre.

At saltem *evallaro* scriptum oportebat, videturque ita

legisse Nonius. Nam *evallavero* repugnat antiquae prosodiae. Verum ne sententia quidem satis apte cohaeret. *Quia* ab Lipsio profectum est. Libri habent *qua* et *pallia evallavit o pulchre*. Veri simile est scribendum esse:

qua égo hodie extorrem hánc domo actam
pílatricem pállium
évallaro púlcre.

De quarto fragmento dicit Neukirchius, metrum ostendere delendum esse *non*. At haec in orbem redit argumentatio: quia versus Creticus est, delendum est *non*, et quia *non* delendum est, versus est Creticus. Non necesse est Creticum esse, nec profecto est:

tibin' comoédiam,
quám sciam, non délicem?

In septimo fragmento versus non possunt sic distingui:

nae tu ístum
édepol inedia éxtulisti, páriter ut dignús
fuit,

nisi, quod non fecit Neukirchius, in fine prioris versus iambum deesse statuimus. Verum etiam *inedia extulisti* tam mire dictum est, ut suspectum esse debeat. Nam Bothii explicatio, quam probavit Neukirchius, *abstulisti*, *peremisti*, non est exemplis communita. Quare consultius videtur sic coniicere:

naé tu istum edepol ínedia
exércuisti, páriter ut dignús fuit.

Ingeniose emendatum est decimum fragmentum, nisi quod ictus in *rectius* primi trimetri non in ultima, sed in penultima syllaba notari debebat.

In Quinti fragmento primo minime opus erat, ut alterum *quid*, quod in uno apud Nonium loco deest, omitteretur, sed potius melior versus servatus est:

quid istúc est aut quid ístic sibi volt sérmo?
mater, délica.

Secundum fragmentum ita scripsit Neukirchius,

quod eá parasitus hábeat, ut qui illúm sciat delícere, et noctem fácere possit dé die.

Versus caussa inseruit *ut*: at tum *qui* abiiciendum erat, pro quo Vossius *quibus* scribendum coniecerat. Quum *ea* ablativus esse videatur, probabile est recte se habere *qui*, sed scripsisse poetam *qui se illum sciat*.

In quinto sextoque fragmento Neukirchius iambicos trimetros hypercatalectos effinxit, quod genus saepius a Titinio admissum putat. At iam supra diximus hoc metrum prorsus ignotum esse: repugnatque natura sua veterum arti rhythmicae.

In primo horum fragmentorum scribendum est:

nunc hoc úror, nunc me haec rés facit festínem.

In altero scriptura librorum est: *quanta stultitia cupidinis petunt consilium bona gratia ut parvi faciatur*. Sed apud Priscianum tantummodo postrema verba sic scripta exstant: *consilium bonum gratia parvi faciatur;* et alio loco: *bona gratia parvi ut faciatur*, ubi tamen sunt codices qui *bonum* habeant. *Cupidinis* ut in *cupidius* mutetur non opus est. Scripturae quae apud Priscianum inveniuntur veri similem faciunt hanc coniecturam:

quanta stúltitia cupídinis
petúnt consilium, bóna bonorum grátia
parvi út faciatur.

In Setinae fragmento tertio *eam* cum Bothio non apto loco insertum est:

ipsús quidem hercle dúcere sane eám nevult.

Debebat ante *sane* poni, sed prorsus carere eo possumus, si *sane nevult* initium versus est.

In nono fragmento leginus scriptum:

iám cum mulleis te óstendisti, quós tibi adscísti calceós.

Adscisti ingeniosa coniectura est, quam ab H. Sauppio secum communicatam accepit Neukirchius. At *calceos* isto ictu non potuit poni. Apud Nonium scriptum est *quos tibiatis in calceos.* Hinc colligimus:

iám cum mullis te óstendisti, quós tibi alis in cálceos.

In decimo fragmento non indicatum est, in Festi fragmento esse *oreae.* Vt Neukirchius versus divisit, pravi sunt ictus:

etsi tacébit,
tamen gaúdebit tibi prómitti oreás. —

Festi fragmentum habet *promiti*: vulgata scriptura est *permitti,* quod meliorem praebere videtur sententiam:

etsí tacebit, tíbi tamen gaudébit permitti óreas.

Etiam in quarto decimo fragmento trimetrum hypercatalectum fecit Neukirchius, qui sic potius verba disponere debebat:

an quia „pol, édepol" fabuláre,
edí, medi?

In quinto decimo fragmento non habet excusationem hiatus:

Paullá mea, amabo, pól tu ad laudem áddito praefiscini.

Versus hic trochaicus est, qui rotundior esset, si scriberetur *Paúlla, amabo, méa.*

In Vari quoque primo fragmento verba in trimetrum hypercatalectum coniuncta sunt, quae sic erant distribuenda:

toto fit in foco
de lígnis mihi dapális coena.

In Veliternae fragmento primo scriptum est:

quod péstis, senia et iúrgia
sesémet aedibus émigrarunt.

In libris est *sesemet diebus*. Vix dubitari potest, quin scenam aliquam inceperit hic asynartetus:

quot péstes, senia, et iúrgia sesémet emigrárunt
ex aédibus,

vel, ut in praefatione Plautini Trinummi p. 9. coniectum a nobis est:

quot péstes, senia, et iúrgia sese aédibus emigrárunt.

Secundum fragmentum non videtur finis fuisse iambici catalectici. Qui quaerunt quo metro quid scriptum sit, sedulo etiam qua de re sermo sit spectare debent, quia non omnibus rebus omnia metra conveniunt. Haec quidem multo veri similius est ex trimetris esse:

atque dúo postica, quaé loco
mercéde.

In tertio fragmento pessime positum est *eum*:

fortásse votum eúm fecisse, quó die libér
foret.
nunc éius voti cóndemnatust: immolavit hóstiam.

Non est in librorum scriptura *eum*, sed *notum fuisse*, quod quidam in *votum fecisse*, alii recte in *votum fuisse* mutarunt. In principio primi versus deest syllaba. Videntur enim hi versus trochaici esse, *eius* in unam syllabam contracto.

In quarto fragmento simplicius et aptius erat, *sine eam* in *sine me eam* mutare, quam scribere *sineque eam*.

In primo ex incertis fabulis fragmento Titinius in fine versus non posuisset *rapulá rumici*, et *rumici rápula*. Sed brevius est hoc fragmentum, quam ut

aliud quid dicere liceat, quam quomodo non aptum sit versui.

In secundo fragmento rursum offendimus trimetrum hypercatalectum: nec quod post *frontem* legitur *habeat*, pro quo una editio *labeat* praebet, in *lateat* mutandum, sed potius sic scribendum videtur:

expórge frontem: ne hábeat semper fácito rictus. —

Quintum fragmentum Neukirchius, ex parte Scaligeri superbum iudicium secutus, sic scripsit:

A. *obstrúdulenti áliquid, quod pectám sedens.*

B. *aut hic laetaster aút formaster frígidus.*

Hiatus in primo versu non potest defendi, sed quod Neukirchius non prorsus necessarium putavit, *da* inferendum. Porro in Festi fragmento legitur: *aut luculentaster aut formaster frigidus.* In his omnibus vel nullus vel non aptus sensus inest. Videtur omnia serva dicere herae, ventriculum per iocum cum fornace comparans:

obstrúdulenti da áliquid, quo pectám sedens.
haut lúculentust, éra, fornaster frígidus.

Recurrit in quarto decimo fragmento trimeter hypercatalectus, ubi *si erit tibi* ut postrema versus verba ab reliquis separanda erant.

Sequuntur fragmenta Attae. Eius in Aquis caldis fragmento primo male insertum est *in*, quo ictus perturbantur:

quum méretrices in nóstro ornatu pér vias lupántur.

Potius prima versus syllaba deesse putanda.

Secundum fragmentum Creticos vel per se parum venustos praebet:

átque etiam múginantúr hodie
átque ego occlúsero fóntem.

Praeterea non cohaerent haec verba, neque apparet quae sit in iis sententia. Scribendum videtur:

atque étiam muginántur hodie usque átque
ego fontem occlúsero.

In Megalensibus primum fragmentum nullo modo potest Bacchiacum esse, sed est iambicum, vel ex trochaicis:

némpe ad mensam, ubi sérmo de sinú solet
suboríri.

In Supplicatione fieri non potest ut ex tam paucis verbis (*nucem Graécam, favúmque; ádde quantúm libet*) colligatur, primum versum Bacchiacum, alterum Creticum esse, quod vel per se non credibile est. Bacchiacum quidem videtur hoc fragmentum esse, sed aliquid omisisse Macrobius post *Graecam.*

In Tirone proficiscente non opus erat *mater iam* scribi, ut numeri fierent Cretici, quum librorum scriptura iustos trochaicos praebeat:

pater
víllicatur túus: iam mater víllica est. —

Quae deinde sequuntur Afranii fragmenta, in his multo pauciora sunt, quae dissentiendi materiam praebeant. Nam et emendatiora sunt, quam caeterorum poetarum fragmenta, nec tam multum sibi in iis indulsit Neukirchius. In Abductae fragmento primo nec scriptura satis recta esse, nec numeri anapaestici videntur:

nescís, Numeri: mei omném melius callént
rem, quam volo: —

sed metrum erat trochaicum:

néscis, Numeri: mei ómnes melius cállent hanc
rem, quám volo.

In tertio fragmento non est de scazontibus cogitandum, qui alieni sunt a poesi scenica, prorsusque relicti iambographis. Duo alia huius metri exempla, quae se Neukirchius in Afranii fragmentis invenisse ait, infra

commemorabuntur. Etiam verba ipsa patet vitiosa esse: *quam senticosa verba pertorquet turba.* Simplicissimum videtur:

quam sénticose vérba pertorquét tua.

Quamquam Festus videtur *senticosa* legisse.

In Aequalium fragmento primo non est cur *iste, uti rem narras* scribatur, ut efficiatur trimeter, quo nihil opus, quum versus trochaicus esse possit:

— iste, ut tú rem narras, bóna comest quotídie hic.

In Auctionis fragmento tertio non in duas syllabas contrahendum est *femina*, sed satis est verba non in unum versum coniungere:

haúd facul, ut aít Pacuvius, fémina ínvenitur bona.

In Auguris fragmento quarto, si numerus, ut videtur putatque Neukirchius, anapaesticus est, scribendum erat *clamos.*

In Cinerario non erat Servii locus ad Virgilii Aen. IV. 194. praetereundus, qui commemoratus est p. 230. quia valde verisimile est, quod ibi legitur: *Afranius Neraria: alius est amor, alius cupido,* ad Cinerarium pertinere.

In Compitalium fragmento quarto durissima transpositione scriptum *conveniret quod mihi.* Versuum illorum haec videtur forma fuisse:

— fáteor, sumpsi nón ab illo soló modo,
sed út quisque habuit, quód conveniebát mihi,
quod mé non posse mélius facere crédidi,
etiam áb Latino.

Caeterum hoc fragmentum primo loco collocari debebat, quia aperte ex prologo sumptum est, id quod ipse vidit Neukirchius.

In Consobrinorum fragmento tertio Bacchiacum fecit Neukirchius non elidens *me* contra iustam rationem

ictuum. Versus hic trochaicus est, duaeque in eo personae loquuntur:

A. *nón sum apud me.* B. *hem léntus lente*
té rogabo. —

In Divortii fragmento tertio verba pravis ictibus maloque cum anapaesto fere ex Lipsii sententia sic scripta divisaque sunt:

leti omne genus cognominátionis
mórborum cognómine.

Veram scripturam putamus esse, qua *letium* in *letum*, i. e. *letorum*, mutato legatur:

letúm genus
cognátionis mórborum est cognómine.

In nono fragmento Neukirchius, ut saepius, in Bothii explicatione acquievit. Vellemus suopte potius iudicio fretus, ubi quid impediti occurrebat, rem pervestigasset. Cum Bothio sic legit:

A. *muliér, novercae nómen huc adde ímpium.*
B. *Spurca íngeni vestígia haud dicí potest.*

Ingeni, qui infinitivus sit, significans *ingenita esse*, Bothii inventum est. Vulgo *gingi*. Edd. vett. habent *gremi* et *gremio*. Invenitur etiam *vestigio*. Bothii scripturam nec per se stare posse, neque isto modo ullam probabilem sententiam in fragmento inesse, apertum est. Vnius haec omnia personae sunt, quae sic loquuta videtur:

muliér (novercae nómen huc adde ímpium)
spurca, ígnea e vestígio: haud dicí potest.

Emancipati quartum fragmentum et ipsum Bothio duce sic scriptum est:

quám beatae scaénicae
vidéntur mulierés mihi, quae iúrgio
et bénivolentia térrent desubitó viros.

Coniicit tamen Neukirchius *temulentia* vel *vinolentia*. At etiam si id aptam sententiam praebet, tamen non minus laborat prava contractione syllabarum. Praeterea ictus male in *mulieres* ultimam acuit, nec *mihi*, quod apud Nonium ante *mulieres* positum est, ultima potest producta esse. Videntur ad sententiae pariter et ad metri integritatem tres syllabae deesse, quibus restitutis ultro se offerunt optimi iambici asynarteti:

quám beatae scénicae vidéntur
mihi múlieres, quae iúrgio et bénevolentia
aéque
detérrent desubitó viros.

Femina quae loquitur beatas praedicat mulieres scenicas, quae modo iurgio modo blanditiis maritos a proposito abducant, quod sibi apud suum virum non ita succedere.

Nonum fragmentum ita scriptum:

póst narravero: núnc distentus ánimus est
negótiis.
porro aútem propero.

Primus versus si trochaicus esset, scribi deberet *narraro*. Nam in *narravero* et dactylus et correptio ultimae vitiosa sunt. Deinde secundus quoque versus pro trochaico habendus esset, quod quidem ferri posset, si sequebatur post *propero* vocabulum a vocali incipiens. Verum apud Nonium scriptum videmus *est distentus animus*, quod iamborum indicium est. Quod Neukirchius dicit, *parum accommodati sunt versus iambici trimetri, ubi aliquis cum animi perturbatione loquitur*, hic, etsi per se verum est, non habet locum. Non enim commotus animo et perturbatus est is qui loquitur, sed occupatus, ut ad manendum non habeat otium. Scribendum:

post narrávero:
nunc ést distentus ánimus meus negótiis,
porro aútem propero.

In vicesimo fragmento nulli positi sunt ictus, omniaque uno versu perscripta. At sunt illa ex trochaicis:

A. *au, quíd me censes?* B. *óbsecro, nón audisti?*

In Excepti fragmento sexto constituti sunt Bacchiaci, in quibus offensui est *abi* ultima longa. At sunt trochaici:

ábi tu: appellant húc ad molem nóstram naviculam. —

Vltima vox pronunciabatur *nauculam.*

In octavo fragmento ut versus Creticus exhibentur haec verba:

fít opus lúculentum; híc tibi hérbam dedet.

At id refutat *dedet*, quod verbum etiam per se non accommodatum est huic formulae. Apud Nonium legitur, *hoc dici herbam det.* Codex apud Mercerum *decet.* Metrum quidem recte indicatum videtur, sed cur non scriptum *hoc die herbam dabit?* Quamquam etiam *det* servari potest, si putamus ultimam versus syllabam in iis verbis fuisse, quae non sunt adiecta ab Nonio.

Quartum decimum fragmentum non potuit scriptum esse iambicis quadratis catalecticis, quod genus numeros fere habet accurate elaboratos. Nimis enim horridi sunt hi numeri:

proficíscor:
res, témpu', locus, simul ótium hortabátur,
ut operátum
illúm Dianae dégerem sanctúm diem.

Immo trimetri ante oculos positi sunt, praesertim quum *operatum*, quod versui nocet, non possit ut supinum cum *degerem* coniungi. Non dubium videtur scribendum esse:

proficíscor: res, tempús, locus,

simul ótium hortabátur, ut operárium
illúm Dianae dégerem sanctúm diem.

Si omnino scazontes a scenica poesi abhorrent, multo minus talis tolerari potest, qualem in primo fragmento Incendii videmus:

illúd memento, né quid in primis bláteres.

Si trimeter est hic versus, scribendum est *blatas*, pro quo Bothius vetustius *blatis*. Idem *in primis* pro *initio* dictum volebat, in quo eum non debebat sequi Neukirchius. Sed credibilius est poetam scripsisse:

illúd memento in prímis, ne quid bláteres. —

In Inimicorum fragmento primo versus iambicus catalecticus non potuit sic terminari:

— *multa átque molesta es. pótin' ut dicta*
facéssas?

Hic quidem Neukirchius probabiliter Bacchiacos restituere poterat:

— *múlta atque molésta es. potin' út dicta*
facéssas?

si tamen scriptura se recte habet, nec fragmentum hoc, quoniam etiam *dictis* et *dictus* legitur, correctum est, postquam superius positum erat post Ennii versum, in quo ultima sunt *dicta facessunt*, quum debuisset inferius poni, ubi de altero significatu exponitur, quem habet *facessere*. Tum quidem sic scribendum erit:

— *multa átque molesta es: pótin' ut hinc fa-*
céssas?

In Liberti fragmento secundo qui visus est trimeter hypercatalectus esse, tetrameter est catalecticus, cui finis deest:

nolo hic te videat: dóminus est: puér, fa-
cesse hinc. —

In Materteris fragmentum secundum sic scribit Neukirchius:

postquam se vídit
inibi ésse ingratam, párvulam soróribus com-
méndat.

Ingratam, quod pro *gignatam* posuit, explicat per *minus acceptam*. In hac interpretatione non est quod reprehendatur, sed tamen et *se* longa syllaba eo quo legitur loco, et quae corrupta sunt verba ad hanc potius coniecturam ducunt:

postquam esse vídit
inibi óbsignatam párvolam, soróribus com-
méndat.

In Ominis fragmento secundo non potuit in trimetri initio dici *tertiúm*. Facilius credi potest finitum eo verbo esse trimetrum.

Secundum fragmentum tantum abest ut sit trimeter scazon, ut aut in medio fuerit tetrametro trochaico catalectico vel iambico acatalecto,

— bacillum délicatum córneolum poscít —

aut ex iambicis catalecticis, si prima duo verba in fine versus erant.

In quinto fragmento quum se Neukirchius dixit versus gratia *tum* inseruisse, aliquid peccati admissum sit oportet. Vitiosus est enim quem dedit versus:

ea mémoriter, quum vénero, tum cónfecta ut
offéndam.

Fortasse sic volebat, *confécta tum ut offendam*, non facta elisione. At omnino non opus erat addito *tum*, sed ultimus pes deest iambico octonario.

In undecimo fragmento non est credibile Baccheos et Creticos esse coniunctos:

satís fortitér, Paulla, véstras
scíscidistís colus.

Fortasse Cretici erant hi versus, exciditque aliquid post *vestras*, cuiusmodi est *manu*.

Ad primum Pantalci fragmentum,

Contémnes? Liber nátus est. Ita máter eius dixit
in Gállia, quum ambos émerem,

hoc adnotavit Neukirchius: *Gallia hic disyllabum est; ut nudius multaque alia, his similia, haud raro.* In eo fallitur. Afranius vel *quum ambós ego emerem*, vel *ambos quum émerem* scripsit.

In Pompae fragmento secundo legitur:

— Téne tu. In medio némo est. Magnificé volo
Flúctuatim íre ad illum. Accípite hoc. Tege tu et sústine.

Hiatus vitandi caussa *adire* scribendum coniecit Neukirchius. Facilius erat et veteri sermoni accommodatius *fluctuatim me ire*.

In Privigni fragmento septimo decimo scribit:

quaequaé festo solémus facere nós die,
quotídiano operé promisces ómnia,
aequé profesto cóncelebras focúm tuum.

Sic scribi in corrigendis iubetur. At id nullo modo admitti potest, praestabatque quod antea placuerat *pérmisces opere*. Verum aperte *quaequae* non potest ferri, ictus autem aliquot vitiosi sunt. Antiquissimae editiones Nonii habent, *quae festi facere solemus die* (vel *de*) *quotidiano opere promiscuet* (vel *promiscue*) *aeque profesto concelebras focum*. Quaedam post *facere* inserunt *nos*. Omnes habent *quae*, nulla *quaequae*, nulla *tuum*. Hinc veri simile fit, sic scribendum esse hoc fragmentum:

quae fésto facere nón solemus nós die,
quotídiano tu ópere agis promíscue, et

aequé profesto ac fésto concelebrás focum.

In vicesimo primo fragmento legitur:

vivácx vetus, quam dúriter nunc cónsulit e tergó meo.

At non est credibile in scena caesum esse servum. Non dubitandum quin verum sit *consulito.*

In Prodigo non potest scribi:

nam mé pudet, ubi mécum loquitur Númerius:
aliquíd si suffero, Graéce irridet me íllico.

Non potest enim *suffero* dactylus esse. Libri non habent *si.* Itaque cum Bothio *aliquid sufferre* scribendum, quod pendet ex *pudet.*

Neque in Prodití fragmento tertio mixti Baccheis Cretici ferendi:

déliberátum est,
nón tacere ámplius:
Amýclas tacéndo perísse audió. —

Videtur poeta scripsisse:

delíberatum est nón tacere me ámplius:
Amyclás enim tacéndo periísse aúdio.

In Suspectae fragmento quinto in hoc versu,

in Arpínos iam, quantúm potis, explodam hóminem, ut villicétur,

recipi debebat quod quidam habent *pote*, quia damnandus in caesura anapaestus est.

In Virginis fragmento sexto hos Neukirchius Bacchiacos dedit:

verbís pauculís respondit tristis, vóce

dedúcta; malléque se non quiévisse díxit.

In *quievisse* primas duas syllabas in unam contractas esse voluit, quod fieri non potest. Nec sententiae, quae in his verbis est, aptus est numerus Bacchiacus. Videntur haec sic scripta fuisse:

verbis paúculis
respóndit tristis, vóce deductá, male
quod sé quiesse díxit.

Vopisci secundum fragmentum sic scriptum:

— novi, non ínspecturam ancíllulam
vespértino vestispicam.

Inspecturam dicitur codex Stephani habere: edd. vett. praebent *insciam* et *inscientia*; vulgata *inscituram*. *Vespertino*, quod vel pravo ictu vitiosam scripturam prodit, nusquam legitur, sed *vespere et*. Hinc coniici licet:

novi nón inscitam ancíllulam
véstram esse et vestíspicam,

vel, quum Gulielmus non inepte *inscitulam* scribi voluerit,

nóvi non inscitulam ancillám vestram et vestíspicam.

Septimum fragmentum sic scripsit Neukirchius:

— id est intus áctum. Periit ópera nimirúm mea.
Ea áio fidelitatis.

Horum versuum posterior non habet metrum. Nec verisimile est, si sic scripti hi versus fuissent, Nonium haec verba, *id est intus actum*, additurum fuisse, quae nihil *ad fidelitatis* nomen, quod explicat, conferunt. Antiquissimae editiones habent *idem intus actum*. Deinde libri *perit*. *Aio* in quibusdam veteribus editionibus lineam supra positam habet, ut sit *animo*. Ex his coniici potest:

id enim si intus actum, periit opera nimirum mea
ex animo fidelitatis.

In nono fragmento non placet *miserula* in his versibus:

non dolorum partionis veniet in mentem tibi,
quos miserula pertulisti, ut partum proiiceret pater.

In libris est *misera*, ut scribendum videatur *quos tu misera*. Neque quod coniecit Neukirchius, *ut partum proiecit* scribendum esse, probari potest. Nihil impedit enim, quin non de exposito iam puero, sed de exponendo sermonem esse credamus.

In vicesimo secundo fragmento typographi errore *puerítia* pro *puéritia* scriptum putamus.

In incertarum fabularum fragmento duodevicesimo *tibi* non recte longa ultima positum:

— accedo ad te út tibi cervícem fingam línteo.

Aut in *tibi* finis erat versus, aut ictus sic ponendi:

— accedo ad te, ut tibi cervícem fingam línteo.

Apparet ex his adnotationibus, quae laudabili diligentia exsequutus est Neukirchius, hic illic meliorem successum habitura fuisse, si magis ad ea attendisset, in quibus elegantia posita est artis, qua versus fecerunt veteres poetae Latini: quae quidem res sane non potest nisi longo usu penitus cognosci. Simul autem vellemus, non praecipuam curam in metra impendisset, quae etsi necessaria est ad constituendam scripturam, tamen, quoniam in solis vitiis removendis versatur, non satis facit, ubi explicationem requirimus. Ex quo genere patet multa adhuc, de quibus disputari possit, relicta esse,

maximeque etiam quod ad nomina quarumdam fabularum attinet. Sed tamen nemo non intelligit, id non ante feliciter agi posse, quam quum, quod iam sperare licet, ex codicibus emendatum acceperimus librum Nonii, quo nullus Latinorum grammaticorum uberiorem messem praebet fragmenta scriptorum colligentibus.

EXCERPTA

EX CENSVRA HENR. RASPII COMMENTATIONIS

DE

EVPOLIDIS

ΔΗΜΟΙΣ AC *ΠΟΛΕΣΙΝ**).

In Eupolidis *Δήμων* fragmento tertio patet neque ab interpunctione neque a caesura excusationem peti posse hiatui in his,

ὁπότε παρέλθοι, ὥσπερ ἀγαθοὶ δρομῆς,

sed inserendum esse *δ'*.

In sexto fragmento recte quidem Raspius Valckenarii emendationem probat, *κριοὺς ἐμὲ ἐκγεννᾶν*, sed afferre debebat proverbium, quo ea emendatio nititur, quod fecit demum p. 77. in adnotatione 41.

Ad septimum fragmentum p. 24. Fritzschii suspicio memoratur, ab scholiasta Aristophanis ad Vespas v. 997. (1001.) non recte in filiis Hippocratis Periclem nominari, sed legendum esse *Βουζύγην*, quod cognomen sit Demostrati. Id quomodo intelligi debeat, lectori demum p. 55. patescit. Sed tamen neque haec neque aliae de isto Pericle coniecturae valde sunt verisimiles. Reisigii conatus, qui

*) In Diurnis scholasticis a. 1833. m. Ianuar. n. 13.

more suo indicta ore alio proferre quaerens ex apertis trimetris dochmiacos dictione et metro aeque pravos effecit, silentio erat praetermittendus. Neque vero trimetri illi tales fuisse videntur, quales Raspius exhibuit:

> *Ἱπποκράτους δὲ παῖδες ἐμβόλιμοί τινες,*
> *βληχητὰ τέκνα, κοὐδαμῶς τοῦ σοῦ τρόπου.*

Multo minus *λοιδορία* in Aristophanis Cocalo secunda syllaba producta dici potuit, nec debebat non improbari Brunckii *τέκεα*, etsi id praecivit Fritzschius in dissertatione de Daetalensibus p. 129. *Τέκνα* scribere potuit Eupolis, ut gravitatem tragicorum imitaretur; non potuit autem *τέκεα*.

De verbis scholiastae ad Lysistratae v. 398. ex quo octavum fragmentum est, *Εὔπολις δ' ἐν Δήμοις ὡς μανιώδη αὐτὸν λέγει·*

> *τί κέκραγας, ὥσπερ Βουζύγης ἀδικούμενος;*

sic scribit Raspius: *in versu Eupolidis minime μανιώδης dicitur Demostratus. Itaque Scholiasta aut omisit proximum Eupolidis versum, quo aliquid huiuscemodi continebatur, aut (quod magis credo) tribuit homo Eupolidi, quod est Aristophanis, qui l. l. Demostratum appellat Χολοζύγης, h. e. μανιώδης Βουζύγης.* Id inconsideratius iudicatum videtur. Credibilius est, aliquem in Eupolidis fabula insane clamitasse, ut illa in eum verba dici potuerint.

Decimi fragmenti versus, qui metro soluto apud scholiastam Homeri atque Eustathium exstant, quum omnino non bene, tum non sine metri vitio in numeros redigere conatus est Raspius. Eorum duo posteriores sic videntur a poeta profecti esse:

> *ὃ μὲν λέγων φεύγωμεν, ὃ μὲν ἀναπτεροῖ·*
> *ὃ δ' αὖ λέγων μένωμεν, ὃ δὲ πείθει.*

In perobscuro fragmento, quod quintum decimum est, servato in Stobaei capite *περὶ βραχυλογίας*, XXXV. 2. adnotata quidem est scriptura ed. Trincav. et cod. D. a prima manu, *φράσω δὲ τὸ προῖκα*, pariterque

Salmasii et Wakefieldii coniectura, *διὰ τῶν καιρίων*, quam Raspius iniuria non Graecam esse opinatur, sed quomodo intelligendum sit, quod ait, *in vulgata acquiesco ego*, demum p. 60. et 78. discimus: et tamen vix quisquam adducetur, ut *διὰ τῶν χωρίων* significare credat *per singula, particulatim*, sive (Germanice enim indicavit vim verborum istorum, etsi ne Germani quidem sic loquimur) *in die einzelnen Felder gehen*. Immo *διὰ τῶν χωρίων* ad demos referri videtur, quique loquitur hoc dicere, desinere se velle coniunctim loqui, sed potius per demos, i. e. per chorum, rem expositurum esse. Verba haec sunt:

> *καὶ τοῦ μὲν ἐν κύκλῳ γε παύσομαι λόγου,*
> *φράσω δέ σοι τὸ πρᾶγμα διὰ τῶν χωρίων.*

Fortasse tamen non falsa est altera scriptura *τὸ προῖκα* vel *τί προῖκα, quid sit gratuito*. Et profecto deinde per chorum res exponitur eo fragmento, quod recte proximum posuisse videtur Raspius, qui p. 60. etsi falsa illa interpretatione captus, dicit: *loquitur enim iam διὰ τῶν χωρίων*. Non enim, ut putat, idem, qui trimetros illos dixerat, sive is chorus, sive Myronides sit, tetrametros qui sequuntur pronunciat, sed trimetri sunt Myronidis, chori autem, *τῶν χωρίων*, tetrametri, non illi tamen statim trimetros istos excipientes, si vera est ea, quam infra proponemus, opinio.

In duodevicesimo fragmento vera scriptura esse videtur *αὔαισι ταῖς κνήμαισι*, non *αὐταῖσι*.

Multum negotii Raspio p. 68. fecit fragmentum vicesimum tertium, ut denique putaverit verba, ex quibus constat, *τῷ δ' ἂν οἶνος εἴη πολὺς πίσει*, quia nullum in metrum quadrarent, Doricam prosam esse. At ante omnia removendus erat soloecismus, quo facto sponte apparitura erant metra:

> *ὅτῳ δ' ἂν οἶνος ᾖ πολύς,*
> *πίσει.*

Ὅτῳ, quum ᾧ coniecissem, praeferendum esse facile assentior monenti Fritzschio.

In sexto et vicesimo fragmento p. 69. repudiare videtur Raspius, quod p. 36. probaverat, *καὶ προσαγήλωμεν ἐπελθόντες*, quum id sic explicat: *quos demagogos honoribus decoravimus redivivos, eosdem, quum iam in eo sint, ut abeant, adoremus tamquam deos.* Nam haec explicatio pertinet ad scripturam, quam reiecit, etsi verissima est, *ἀπελθόντας*: cui tamen participio significationem tribuit, quae in eo inesse non potest: significat enim *reversos*, i. e. postquam ad inferos redierint.

Accedimus ad ordinem, quo disposita sunt fragmenta. Hac in re apparet, Raspium nimis ad singula quaeque intentum, magis alia aliis adnexuisse, quam universam rem ante oculos habuisse. Simul videtur interdum prima specie captus coniecturis se dedisse, quae accuratius consideratae firmo fundamento carent. Vnde rursum alia idoneis caussis destituta mansere. Proficiscitur p. 39. ab his Plutarchi in vita Periclis c. 3. *ὁ δ' Εὔπολις ἐν τοῖς Δήμοις πυνθανόμενος περὶ ἑκάστου τῶν ἀναβεβηκότων ἐξ Ἅιδου δημαγωγῶν, ὡς ὁ Περικλῆς ὠνόμαστο τελευταῖος·*

ὅ τι περ κεφάλαιον τῶν κάτωθεν ἤγαγες.

Hinc colligit, quattuor demagogos, Solonem, Miltiadem, Aristidem, Periclem, non simul, sed deinceps alium post alium in scenam prodiisse. Id credibile quidem est, sed non sequitur ex verbis Plutarchi, ex quibus potius satis apertum est, omnes iam ex inferis advenisse, et nunc quaerenti qui sint ordine nominari, sic ut postremus nominetur Pericles. Itaque non, ut Raspius fragmenta ordinavit, iam prodierat loquutusque erat Miltiades, quum iste versus dictus est: immo nondum ullus mortuorum quidquam dixerat: omnino, quum illi non sua sponte, sed, ut *ἤγαγες* ostendit, adducti ab aliquo venerint, fortasse a ductore mortuorum Mercurio, evocatio umbrarum in prima parte fabulae locum habere debuit. Nunc sacrificii in illa fabula mentionem factam videmus. De eo Raspius p. 67. non indicans cur sacra facta sint, nihil amplius dicit quam: *ut magis commoverentur specta-*

torum animi, sacrificia facta sunt; et p. 69. *sacris factis demagogi, quibus nihil iam erat inter vivos negotii, ad inferos redeunt.* His quidem non acquiescimus, nisi apertius declaretur, quae sint illa sacra et qua caussa celebrentur, quidque sit cur peractis demum ad inferos redeant umbrae. Defendit Raspium in litteris ad me datis Fritzschius, monens, quod ex dispersa Raspii disputatione non satis patet, sacra cum illa intelligere, quae fieri solita sint tertio die Apaturiorum, quo rem actam in Demis fingi. Et profecto bene congruit cum ea sententia illud quod supra commemoravimus,

ὅτῳ μὲν οἶνος ᾖ πολύς,
πίσει.

collato Photio in οἰνιαστήρια. Itemque alterum fragmentum, quod exstat apud Athenaeum III. p. 123. A.

τὸ χαλκίον
θέρμαινέ θ' ἡμῖν καὶ θύη πέττειν τινὰ
κέλευ', ἵνα σπλάγχνοισι συγγενώμεθα.

Sed illud tamen vereor, ne sine caussa statuerit Raspius, sacra facta esse ante quam umbrae in Orcum abirent.

Sunt autem alia quoque similiter comparata. Ac statim qui a Raspio ante hunc versum

ὅ τι περ κεφάλαιον τῶν κάτωθεν ἤγαγες

positi sunt septem versus Periclis laudem continentes, potius proxime sequuti esse illum versum videntur, ut adeo ille quoque versus a Myronide fuerit pronunciatus. Pariterque quae p. 27. allata sunt Aristidis verba, vol. II. p. 174. ed. Dind. quibus ille ex Eupolide refert, *πάντα δ' εἶναι φλυαρίαν πρὸς ἐκεῖνον· φησὶ γοῦν οὕτωσὶ δυσχεραίνων· δήτωρ γάρ ἐστι νῦν τις, ὧν γ' ἐστὶν λέγειν; ὁ Βουζύγης ἄριστος, ἀλιτήριος*, si accuratius considerantur, minime videntur eo ducere, ut, etiam si in iis lateat hic trimeter,

φλυαρία πάντ' ἐστὶ πρὸς τὸν Περικλέα,

cum eo continuati fuerint qui sequuntur apud Aristidem

duo versus: illud vero ex Aristidis loco, cuius pars ex septem illis versibus, quorum meminimus, sumpta est, colligi poterit, Myronidem, si hic is est qui loquitur, perrexisse de oratoribus dicere, ac proinde paullo post illos septem versus dixisse,

πάντα δ' ἦν φλυαρία
πρὸς ἐκεῖνον,

tum autem, ad eos qui iam viverent oratores transeuntem:

ῥήτωρ γάρ ἐστι νῦν τις, ὅν γ' ἔστιν λέγειν;
ὁ Βουζύγης ᾽Άριστος, Ἀλιτήριος·

postremo autem:

οἱ δ' Ἱπποκράτους γε παῖδες ἐμβόλιμοί τινες,
βληχητὰ τέκνα, κοὐδαμῶς τοὐμοῦ τρόπου.

Horum fragmentorum tria postrema hoc ordine sese excepisse propter argumenti similitudinem probabile est. Illud vero non licet certo affirmare, Myronidem haec omnia dicere. Potest enim primus illorum versuum Periclis esse quaestio,

ῥήτωρ γάρ ἐστι νῦν τις, ὅν γ' ἔστιν λέγειν;

Quod si ita est, in ultimo versu recte se habebit quod Raspius probat τοῦ σοῦ τρόπου.

Quemadmodum haec fragmenta nobis non videbantur satis recte atque idoneas ob caussas locos tenere, qui iis assignati sunt, sic etiam de illis apud Stobaeum XLIII. 9. octo tetrametris iudicamus, quos Pericli videmus esse tributos. At ultimos horum versuum,

ὥστ' ἀσφαλῶς ἐπράττομεν· νυνὶ δ' ὅποι τύχοιμεν,
στρατευόμεσθ' αἱρούμενοι καθάρματα στρατηγούς,

vix Periclis umbra dicere potuit, sed nunc viventis haec senis verba sunt. Et quum aliud eodem metro scriptum fragmentum, ut supra indicavimus, ex ipsius Raspii sententia choro sit tribuendum, quid potest veri similius esse,

quam ut utrumque fragmentum ex parabasi, et quidem ex epirrhemate et antepirrhemate, sumptum credamus? Ex quo sequitur, ut septimum decimum fragmentum, quod ab Harpocratione in *καθάρσια* servatum est, ut ex ea quae proprie parabasis vocatur petitum, ambobus praecedere debeat. Ostendisse videmur, alia et probabiliore ratione ordinari atque inter se coniungi fragmenta potuisse.

Progredimur ad alteram fabulam, cuius quoniam fragmenta nullum praebere visa sunt ordinis indicium, minus implicata evasit eorum tractatio. Itaque missis quae probamus, de eorum singulis fragmentorum dicemus, in quibus dissentiendi materiam invenimus. Ac p. 85. de tetrametro iambico catalectico, cuius ultima verba apud scholiastam ad Aves Aristophanis v. 881. sunt *αὕτη Χίος, καλὴ πόλις*, miratur Raspius, quod non dudum correctum sit metri vitium, scribitque: *nam quomodo tandem tetrameter iambicus desinere potest in iambum πόλις, cuius ultimus pes est amphimacer* (eum amphibrachum dicere volebat) *vel bacchius?* Sed quum pergit: *sine dubio scripserat Eupolis Χίος, πόλις αὕτη. Neque enim merito reprehenderis anapaestum sede septima quamvis rariorem*: gravis is error est in re metrica. Immo restituendum, quod apud scholiastam abest, verbum:

αὕτη Χίος, καλὴ πόλις πάρεστιν.

Non aliter enim illa in sede concessus est anapaestus, quam in nomine proprio, ut in Thesmophoriazusis v. 547.

ἐγένετο Μαλανίππας ποιῶν Φαίδρας τε· Πηνελόπην δέ.

Nec licebat Cratino talem iambicum facere, qualem in fragmento Deliadum apud scholiastam Aristophanis ad Aves v. 1294. reponendum putabat Fritzschius in dissertatione de Thesmophoriazusis posterioribus p. 49.

ἐν δὲ τούτοις
ὄπισθεν ἴτω φέρων δίφρον Λυκοῦργος ἔχων καλάσιριν,

sed unius litterae ibi adiectione opus erat ut plane alio in metro:

τούτοισι δ' ὄπισθεν ἴτω φέρων δίφρον Λυκοῦργος
ἔχων καλάσιριν.

Non minus vitiosos versus dedit Raspius p. 86. in fragmento apud scholiastam Venetum ad Pacem v. 1142. (1176.) Consideratis quae scholiastes dicit facile et metro et sententiae consuli potuerat:

ἡ δ' ὑστάτη ποῦ 'σθ'; ἥδε, Κύζικος πλέα στατήρων.
ἐν τῇδε τοίνυν τῇ πόλει φρουρῶν ἐγώ ποτ' αὐτὸς
γυναῖκ' ἐκίνουν κολλύβου καὶ παῖδα καὶ γέροντα,
κἄξῆν ὅλην τὴν ἡμέραν τὸν κύσθον ἐκκορίζειν.

Neque quae p. 90. his apud Pollucem VII. 13. verbis, *κακὰ τοιάδε πάσχουσιν οὐδὲ πρᾶσιν αἰτῶ* adhibita est emendatio, probari potest. Quod dicit Raspius: *sic codices. πάσχω μὲν est emendatio Hemsterhusii*, id ab Runkelio acceptum falsum est. Edd. vett. habent *πάσχουσιν* et *αἰτοῦσι*, neque id mutandum, recte verbis in versus distributis:

κακὰ τοιάδε
πάσχουσιν, οὐδὲ πρᾶσιν αἰτοῦσιν.

Quae in Bekkeri Anecdotis p. 453. leguntur, *ἄσπουδος δ' ἀνὴρ σπουδαίου κακίων*, non possunt, ut Raspius p. 91. putabat, ex versibus dochmiacis esse, neque est cur quis in sententia offendat, coniiciatque *ἄσπουδος δ' ἀνὴρ σπουδαίῳ κακόν*, sed terminabatur his verbis systema anapaesticum vel anapaesticus tetrameter, scriptis hoc modo:

ἄσπουδος ἀνὴρ δὲ σπουδαίου 'στὶ κακίων.

In verbis quae p. 93. ex Harpocratione v. *ἀκόκρι-*

σις afferuntur, *ὡς ὑμῖν πάντως ἐγὼ ἀποκρινοῦμαι πρὸς τὰ κατηγορούμενα*, illa certe, quae proposita est, coniectura non habet quo commendetur. Meinekium ad Menandrum p. 259. video nulla mutatione metrum trochaicum, sed illud vitiosum, constituisse; Bekkerum autem in Harpocratione *ἐγὼ πάντως*, non dicentem unde, posuisse. Mihi tres syllabae deesse videntur:

ὡς ὑμῖν πάντως ἐγὼ
ἀποκρινοῦμαι πρὸς τὰ [κακῶς μου] κατηγορούμενα.

P. 97. affertur hoc ex Athenaeo X. p. 425. A. fragmentum:

οὓς δ' οὐκ ἂν εἴλεσθ' οὐδ' ἂν οἰνόπτας πρὸ τοῦ,
νυνὶ στρατηγοὺς [λεύσσομεν.] ὦ πόλις, πόλις,
ὡς εὐτυχὴς εἶ μᾶλλον ἢ καλῶς φρονεῖς.

Verbum λεύσσομεν, inquit Raspius, *ex coniectura addiderunt viri docti.* Repudiari vero hoc inscitum supplementum debebat, pro eoque scribi *ἔχομεν*.

P. 101. Raspius fragmentum, quod ab scholiasta ad Vespas. v. 1263. servatum est, sic scribit ex parte Dobraeum sequutus:

Χἀμυνίας ἐκεῖνος ἀμέλει κλαύσεται,
ὅστις γ' ἀγροικος ἵσταται πρὸς τῷ μύρῳ,
ὅτι θεῶν ἕνεκεν ἔπλευσε κακὸς ὢν εἴσεται.

Apud scholiastam legitur *ὅτι ἀγροικος* et *ὅτι θεῶν ἕνεκ'*, in cod. Veneto autem *εἵνεκεν*. Vtitur autem hoc fragmento Raspius, ut *θεῶν* in unam syllabam contractum vindicet comicis. At vellemus tamen declarasset, quid esset illud *θεῶν ἕνεκεν*. Nobis scripsisse videtur Eupolis:

Χἀμυνίας ἐκεῖνος ἀμέλει κλαύσεται,
ὅτι τ' ὢν ἀγροικος ἵσταται πρὸς τῷ μύρῳ,
ὅτι θ' ὧν ἕνεκεν ἔπλευσε κακὸς ὢν εἴσεται.

Amynias ille, inquit, poenas dabit et quod, rusticus quum

sit, unguentis adstat, et quod cuius rei caussa legatus missus est, in ea se male versatum intelliget.

Postremo Raspius contra nos Fritzschii sententiam defendit, comicos putantis caesuram in versu Archilochio una syllaba priorem quam tragicos constituisse. At etiamsi multis in exemplis eo loco finiri verbum videmus, tamen nihilominus altera pars huius metri censenda est ex tribus trochaeis constare, quae lex etiam aliis est multis versibus communis. Id clare ostendunt huiuscemodi exempla:

ἡσθεὶς ἐπὶ τοῖσιν ἑαυτοῦ | παισὶ τοῖς τριόρχαις.
ἡμᾶς ταχύ· τοῦτο γὰρ οὐδείς | πω πάρος δέδρακεν.

Si in hoc metro caesura una syllaba prior esset, non esset permissa eius neglectio: quod contra si ante tres illos trochaeos est, nihil offensionis neglectio habet, ut in hoc:

αὐτὸς γὰρ ὁ ποντομέδων ἄ | ναξ πατὴρ προσέρπει.

Moverat Fritzschium illud potissimum, quod maior pars exemplorum apud comicos videretur hanc caesuram commendare:

αὐτὸς γὰρ ὁ ποντομέδων | ἄναξ πατὴρ προσέρπει:

At comici saepissime non curant caesuras, eas quidem, quae neglectae perpetuitatem numeri non turbant: quod cadit in hanc, quae in versu Archilochio ante ithyphallicum est. Quod si hic versus a comicis ita esset compositus, ut ithyphallicus ille anacrusin haberet, durissima esset caesurae violatio, si illa anacrusis longa syllaba finalis esset, ut in illo:

ἡσθεὶς ἐπὶ τοῖσιν ἑαυ | τοῦ παισὶ τοῖς τριόρχαις.

Nam etsi similis neglectio caesurae in aliis versibus invenitur, ut in tetrametro iambico catalectico, veluti in Aristophanis Equitibus v. 865.

ὅταν μὲν ἡ λίμνη κατασιῇ, λαμβάνουσιν οὐδέν,

tamen id multo minus ingratum est, ubi per dipodias versus incedit, quam ubi aliud genus numeri, idque ex triplici ordine sequitur.

Addimus his hoc. Quum Raspius p. 113. in adnotatione 15. putavit *πορθάων* Ionice pro *πορθήτωρ* dici, non meminit ab Eupolide hic *Παρθάονα* respici, memoratum mythologis et logographis, qui saepe etiam *Πορθάων* vocatur: v. Heyn. adnotatt. crit. ad Apollodorum p. 51.

QVID SIT
ΥΠΟΒΟΛΗ ET *ΥΠΟΒΛΗΔΗΝ.*

Legenti mihi dissertationem indici lectionum in Vniversitate litterarum Berolinensi per semestre aestivum anni MDCCCXXXIV. habendarum praemissam, in qua A. Boeckhius F. A. Wolfii caussam contra Gr. G. Nitzschium defendendam suscepit, nec Nitzschii sententia omni ex parte vera esse visa est, ea autem interpretatio, quam Boeckhius proposuit, etiam longius a vero recedere. Ac Nitzschius quidem in praeparatione indagandae per Homeri Odysseam interpolationis, parte I. p. 30. quum Diogenes Laertius in vita Solonis I. 37. scripserit: *τὰ δὲ Ὁμήρου ἐξ ὑποβολῆς γέγραφε ῥαψῳδεῖσθαι, οἷον ὅπου ὁ πρῶτος ἔληξεν, ἐκεῖθεν ἄρχεσθαι τὸν ἐχόμενον·* illud *ἐξ ὑποβολῆς ῥαψῳδεῖσθαι* non in Diogenis, quam Wolfius amplexus sit, sententiam accipiendum esse, sed subornatam rhapsodis recitationem, sive ita nexam, ut exhiberent, quod recitare iussi essent, denotare existimat. Amat vir doctissimus obscurius et loqui et disputare. Quo factum est, ut neque his verbis quid dicat satis apertum sit, nec plane ea consentire videantur cum eo quod scribit p. 39. *et ἐξ ὑποβολῆς longe facilius in nostram sententiam accipietur, neque ἐξ ὑπολήψεως tam est excipientis ut pergat, quam audientis ut reddat.* Omnem tamen eius de hac re disputationem perlegenti hoc apparet, visos ei esse rhapsodos

Homeri carmina in Panathenaeis sic recitare iussos esse, ut omitterent quae praeceptum esset omitti, quae autem recitanda essent, integra neque ullo modo mutata proferrent. Videtur ergo fere eadem esse putasse ἐξ ὑποβολῆς et ἐξ ὑπολήψεως, quod posterius positum est a scriptore Hipparchi, qui inter Platonicos dialogos circumfertur, p. 228. B. ubi sic est de Hipparcho scriptum: *καὶ τὰ Ὁμήρου ἔπη πρῶτος ἐκόμισεν εἰς τὴν γῆν ταυτηνί, καὶ ἠνάγκασε τοὺς ῥαψῳδοὺς Παναθηναίοις ἐξ ὑπολήψεως ἐφεξῆς αὐτὰ διϊέναι, ὥσπερ νῦν ἔτι οἵδε ποιοῦσι.*

Eodem modo Boeckhius quoque utramque dicendi rationem ad eamdem sententiam redire statuit, sed discedit ab Nitzschio eo, quod continuatam recitationem significari putat, qua alius rhapsodus eo loco, quo alter desiisset, illum exceperit, eoque modo plures totum carmen uno tenore ab initio ad finem peregerint.

Haec ego quum considero, videor mihi et in eo, in quo consentiunt ambo, et in quo dissentiunt, nonnihil erroris deprehendere. Nam non eadem sunt ἐξ ὑποβολῆς et ἐξ ὑπολήψεως, sed diversissima: quumque sint diversa, viri illi ambo neque illud recte fecerunt, quod ista idem significare putarunt, neque in eo sibi ab errore caverunt, quod alter ὑπόληψιν, uterque ὑποβολὴν male sunt interpretati. Et ὑπόληψιν quidem Boeckhius recte vidit susceptionem sermonis dici, quum alter priori in dicendo recitandove succedit. Non debebat autem eamdem potestatem etiam alteri vocabulo tribuere. In quo ducem quidem habuit Wolfium: sed miror ego, quod nec Wolfius nec Boeckhius, neque vero Nitzschius reputarunt, quam suspecto auctore illa prodita sit interpretatio. Est is Diogenes Laertius, scriptor negligentissimus, et cuius liber plenus est erroribus librariorum: ut illo quidem in loco, ubi ἐξ ὑποβολῆς explicat *οἷον ὅπου ὁ πρῶτος ἔληξεν, ἐκεῖθεν ἄρχεσθαι τὸν ἐχόμενον*, nesciamus utrum ipsius Diogenis levitatem notare debeamus, qui vel ἐξ ὑποβολῆς pro ἐξ ὑπολήψεως scripserit, vel ex alio auctore, apud quem non erat ἐξ ὑποβολῆς, po-

strema verba adiecerit, an culpa sit in librarios, qui etiam in iis quae sequuntur aliquid omisere, conferenda.

Ὑποβολὴ igitur quum quaeritur quid sit, mirum est, quod Boeckhius, quum rectam esset viam ingressus, rursum eam deseruit. Verissimum est enim, quod dicit, ἐξ ὑποβολῆς διέναι τι esse *aliquid dicere altero praeeunte verba*: in quam rem affert Polemonis locum apud Macrobium Sat. V. 19. qui de iurantibus per Palicos scripsit: ὁ δὲ ὀρκούμενος — ἐξ ὑποβολῆς δίεισι τὸν ὅρκον (exemplum vide apud Aristophanem in Lysistrata a v. 212.); et Isocratis in Panathenaico c. 91. sive §. 231. οὐ πρότερον ἐπαυσάμην, πρὶν ὑπέβαλον τῷ παιδὶ τὸν λόγον. At multo id melioribus confirmari auctoribus potest, in iisque Homero, quo usus quidem est Boeckhius, sed ut illos scholiastarum sequeretur, qui male verba poetae sunt interpretati. Sapienter eo de loco, qui est in XIX. Iliadis, iudicaverat Aristarchus, sive inserens ille, sive tuens versum 77. quo Agamemno orationem habuisse dicitur

αὐτόθεν ἐξ ἕδρης, οὐδ' ἐν μέσσοισιν ἀναστάς,

qui versus, damnatus ab aliis, plane necessarius est. Sic enim loquitur Agamemno:

ὦ φίλοι, ἥρωες Δαναοί, θεράποντες Ἄρηος,
ἑσταότος μὲν καλὸν ἀκούειν, οὐδὲ ἔοικεν
ὑβριάλλειν· χαλεπὸν γάρ, ἐπιστάμενον περ ἐόντα.
ἀνδρῶν δ' ἐν πολλῷ ὁμάδῳ πῶς κέν τις ἀκούσαι,
ἠὲ εἴποι; βλάβεται δὲ λιγύς περ ἐὼν ἀγορητής.
Πηλείδῃ μὲν ἐγὼν ἐνδείξομαι· αὐτὰρ οἱ ἄλλοι
σύνθεσθ' Ἀργεῖοι, μῦθόν τ' εὖ γνῶτε ἕκαστος.

Vulnere gravatus Agamemno oportere quidem dicit se stantem verba facere, nec decorum esse suggerere alii, quae is pro se dicat: quod difficile etiam perito esse: sed in tanto tamen concionis strepitu, in quo vix audiri orator possit, Achilli se dicturum, quae is deinde cum Graecis communicet. Pessime id is scholiastes, quem

sequitur Boeckhius, interpretatus est: *μὴ διακόπτειν ἐξ ὑποβολῆς τὸν λόγον· ὑββάλλειν γὰρ τὸ ὑποκρούεσθαι θορύβῳ τὸν λέγοντα.* Melius perspecta potestate vocis, sed in alienam sententiam detortis verbis alius scholiastes: *Ἀπολλώνιος μὲν οὖν ὁ διδάσκαλος ἡμῶν, καὶ αὐτὸς συγκαταθέμενος ὅτι ἔστηκεν ὁ Ἀγαμέμνων, παραιτεῖται, φησὶ, τὸν ὑποβολέα ὡς ἂν ἐκ τοῦ αὐτοσχεδίου λέγειν μέλλων· ἐμοῦ γάρ φησιν ἀκούσατε, καὶ μηδείς μοι ὑποβαλέτω, ἵν' εἴπω· χαλεπὸν γὰρ τὸ ὑποβαλλόντων ἀκούειν τῷ ἐπιστήμονι λέγειν· καὶ πῶς γὰρ ἄν τις ἐν πολλῷ ὁμάδῳ ἀκούσαι τοῦ ὑποβάλλοντος, ἢ ὁ ἀκούσας εἴποι; ὥστε καὶ λιγὺν ὄντα δημηγόρον καὶ δύναμιν ἔχοντα τοῦ αὐτοσχεδιάζειν βλάπτεσθαι ἐμποδιζόμενον τῷ ἐξ ὑποβολῆς λέγειν ἐν πολλῷ θορύβῳ.* Vera explicatio prostat in his Eustathii p. 1171. extrema: *τουτέστιν οὐκ ἐνδέχεται τὸν δημηγοροῦντα ὑποβάλλειν, ἤγουν ἄλλῳ ὑποτιθέναι ἑρμηνεῖ τὸν λόγον, ὃν αὐτός τις λέγειν βούλεται, κἂν ὅτι μάλιστα ἐκεῖνος ὁ ἄλλος ἐπιστήμων εἴη.* In qua tamen hoc falsum est, quod ei, cui suggeritur oratio, non illi, qui suggerit, difficile esse putat verba facere. Addit ille, aliam perversam interpretationem afferens: *ταῦτα δὲ οὕτως ἐξηγοῦνταί τινες, ὡς δῆθεν ἄρτι τοῦ βασιλέως μὴ δι' ἑαυτοῦ λαλοῦντος, ἀλλὰ δι' ὑποβολέως, ἤγουν ἑρμηνέως, ἵνα, ἐπεὶ μὴ αὐτὸς νῦν ἐν μέσοις ἔστηκεν, ὁ γοῦν ὑποβολεὺς μέσος ἑστὼς λαλῇ καὶ ἀκούσηται. ταῦτα δὲ τοῖς χαριεστέροις τῶν ἐξηγητῶν οὐκ ἤρεσκε, διὰ τὸ μὴ εὑρίσκεσθαί που παρὰ τῷ ποιητῇ τὴν δι' ὑποβολέως δημηγορίαν.* Illi quoque, quibus *ὑποβολεὺς* interpres esse visus est, vehementer errarunt. Non enim is, qui accepta ab alio profert, sed is, qui subiicit dicenti verba *ὑποβολεὺς* est appellatus. Id non solum ex his intelligitur Philonis Iudaei verbis de migratione Abraami p. 448. *καὶ ἐρεῖς πρὸς αὐτὸν καὶ δώσεις τὰ ῥήματά μου εἰς τὸ στόμα αὐτοῦ, ἴσον τῷ ὑπηχήσεις αὐτῷ τὰ ἐνθυμήτατα, ἃ ῥημάτων καὶ λόγων ἀδιαφορεῖ θείων· ἄνευ γὰρ τοῦ ὑποβολέως οὐ φθέγγεται ὁ λόγος· ὑποβολεὺς δὲ*

λόγου νοῦς, ὡς νοῦ θεός· sed luculentius etiam patet eo, quod in theatro ὑποβολεὺς dictus est, qui histrioni verba subiiciebat, quem nos Gallico vocabulo *souffleur* appellamus. Sic Plutarchus in Praeceptis gerendae rei publicae 17. p. 813. E. μιμεῖσθαι τοὺς ὑποκριτάς, πάθος μὲν ἴδιον καὶ ἦθος καὶ ἀξίωμα τῷ ἀγῶνι προστιθέντας, τοῦ δὲ ὑποβολέως ἀκούοντας, καὶ μὴ παρεκβαίνοντας τοὺς ῥυθμοὺς καὶ τὰ μέτρα τῆς διδομένης ἐξουσίας ὑπὸ τῶν κρατούντων.

Intelligi nunc poterit, quid sit ὑποβλήδην ἀμείβεσθαι. Quod cum Boeckhius fere idem esse censuit quod ὑπολαβόντα προσειπεῖν, *suscepta oratione respondere alteri sive simpliciter sive interpellando*, sequutus ille est vulgarem opinionem, quae tamen neque exemplis, quae allata sunt, confirmatur, neque omnino videtur pro vera haberi posse. Quemadmodum ὑποβολὴ et ὑποβολεὺς de subiicienda oratione dicuntur, quam is cui subiicitur proferat, sic etiam ὑποβάλλειν dici constat, quod verbum saepe fere idem est quod ὑπομιμνήσκειν, *in memoriam revocare*, *admonere*, ut apud Aeschinem in Ctesiphontem §. 22. αὐτὸς ὑποβάλλει καὶ διδάσκει ὁ νόμος ἃ χρὴ γράφειν. Putant id etiam de occurrendo atque obiiciendo dici, falsa opinione decepti. Nihil est enim aliud, quam illud ipsum, quod dicebam, subiicere alicui, quod recordetur: quod fere fit monendi caussa, ut quis moneat alterum eius sententiae occurrens intercedendo. Saepe ita loquuntur oratores: ut Demosthenes in Midiam §. 204. postquam commemoravit, qualia Midias dictitare consueverit, sic pergit: δεῖ τοίνυν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ ὑμᾶς οὕτω νῦν, ὅταν ἐξαπατῶν καὶ φενακίζων ὀδύρηται καὶ κλαίῃ καὶ δέηται, ταῦθ' ὑποβάλλειν αὐτῷ· τοιοῦτος γὰρ εἶ, Μειδία· ὑβριστὴς γὰρ εἶ· et quae sequuntur. Eodem modo in oratione ad Macartatum §. 33. 34. et ad Timotheum §. 63. atque Aeschines in Ctesiphontem §. 23. 48. 208. Ex his colligi poterit, quid sit ὑποβλήδην. Grammatici enim temere commenti sunt quas protulerunt interpretationes: ut quod est apud Hesychium:

ὑποβλήδην, ὑποβάλλων τὸν λόγον πρὶν σιωπῆσαι τὸν λέγοντα. Non nego ita potuisse dici hoc verbum: veluti si quis, quod apud Aristophanem in Ranis a v. 1208. recitanti Euripidi toties subiicit Aeschylus,

ληκύθιον ἀπώλεσεν,

id ὑποβλήδην subiici diceret. At hauserunt grammatici interpretationes suas ex Homero, apud quem quod legitur Iliad. I. 292.

τὸν δ' ἄρ' ὑποβλήδην ἠμείβετο δῖος Ἀχιλλεύς,

id plerisque visum est de interpellata oratione dictum, aliis tamen aliter sentientibus: unde Hesychius addit: ἄλλοι, ὑπολαμβάνων. At neutro modo illud verbum aut Homerus aut Apollonius usurpavit. Et hic quidem propterea reprehensus est a scholiasta ad III. 400. qui sic scripsit: κακῶς τὸ ὑποβλήδην. κεῖται γὰρ πρὶν ἢ καταλῆξαι τὸν ἕτερον λέγοντα. Alius autem scholiastes ad I. 699. videns non interpellatam, sed peroratam esse mulieris, quae loquebatur, orationem, ad aliam explicationem, sed ipsam quoque vanam, confugit. Eius haec verba sunt: ὑποβλήδην κυρίως σημαίνει, ἐπειδὰν λέγοντός τινος ἕτερος περικόψας τὸν ἐκείνου λόγον λέγῃ. καὶ ὑποβάλλειν ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ. ἔστι δ' ὅτε τὸ ὑποβάλλειν σημαίνει τὸ ἐνίστασθαι καὶ ἐναντιοῦσθαι. ἐνταῦθα δὲ τὸ ὑποβλήδην ἀντὶ τοῦ λάθρᾳ συναινεῖν κεῖται. Nusquam ὑποβλήδην interruptam orationem, nusquam susceptam significat: sed quemadmodum ὑποβάλλειν est subiicere quod recordetur alter, eoque eum admonere, admonendoque intercedere iis quae ille dicturus sit, sic etiam ὑποβλήδην de admonitione intelligendum est, quasi dicas *admonendo occurrens*. Apud Homerum illo, quem dixi loco, qui unicus in eius carminibus est, Agamemno exprobraverat Achilli, quod manuum robore fretus nemini parere vellet. Ibi Achilles ei admonens intercedit, ignarum se habendum dicens, si illi in omnibus rebus morem gereret; nunc permissurum illi Briseidem, sed, si quid aliud ereptum eat, non pas-

surum. Apud Apollonium I. 699. suaserat Polyxo mulieribus Lemniis, ut suboli procreandae prospicerent: quae postquam peroravit, sic scribit Apollonius:

ὡς ἔφατ᾽· ἐν δ᾽ ἀγορὴ πλῆτο θρόου. εὖαδε γάρ σφιν
μῦθος. ἀτὰρ μετὰ τήν γε παρασχεδὸν αὖτις ἀνῶρτο
Ὑψιπύλη, καὶ τοῖον ὑποβλήδην ἔπος ηὔδα·
εἰ μὲν δὴ πάσῃσιν ἐφανδάνει ἥδε μενοινή,
ἤδη κεν μετὰ νῆα καὶ ἄγγελον ὀτρύναιμι.

Vbi hic aut interrupta, aut suscepta oratio, aut, quod somniavit scholiastes, clandestina assensio? Immo, quum non diserte dixerit Polyxo, arcessendos esse Argonautas, Hypsipyle, cupere id videns mulieres, intercedit, apertiusque eloquitur illud consilium, ac statim iubet Iphinoam advocare advenas. Apud eumdem poetam in tertio libro quum iratum Aeetam placare volens Iaso opem Argonautarum adversus hostes eius promisisset, sic scriptum est v. 396.

τοῖο δὲ θυμὸς
διχθαδίην πόρφυρεν ἐνὶ στήθεσσι μενοινήν,
ἦ σφέας ὁρμηθεὶς αὐτοσχεδὸν ἐξεναρίζοι,
ἦ ὅγε πειρήσαιτο βίης· τό οἱ εἴσατ᾽ ἄρειον
φραζομένῳ· καὶ δή μιν ὑποβλήδην προέειπεν.

Non magis hic, quam in eo de quo ante diximus loco, interpellatae orationis ullum vestigium est, et ne susceptae quidem: deliberat enim Aeetes, priusquam loquatur: ac tum demum, abiecto occidendi consilio, ita occurrit Iasoni, ut eum ignivomos tauros aratro iungere iubeat. Quod si is, qui post alterum loquitur, ὑποβλήδην verba facere diceretur, mirandum profecto esset, quod tam raro eo verbo usi essent epici. In eodem libro Medea, discessu Iasonis, cuius amorem iam dissimulare non potest, dolens, optat ut praesens ei adstare possit, si sui obliviscatur. Ibi poeta v. 1118.

ὡς ἄρ᾽ ἔφη ἐλεεινὰ καταπροχέουσα παρειῶν

δάκρυα· τὴν δ' ὅγε δῆθεν ὑποβλήδην προσέειπεν.

Cur hic *δῆθεν* adiecit, nisi ut diceret, *scilicet quo intercederet, eloquereturque quod eam cupere videbat?* Et facit hoc: admonet, consolatur, ostendit connubium. Apertius etiam vim vocabuli declarant haec Dii apud Stobaeum LXV. 17. *ἀλλ' ὑποδραμών τις σχεδὸν φάσει· ἀλλ' ἐγὼ χαίρω ἐπὶ τῇ ἐμαυτοῦ εὐμορφίᾳ τῷ καὶ ἀρεκῶς ἀγάλλεσθαι. ποθ' ὃν ὑποβλήδαν φαίξω πάλιν· ἀγάλλευ, μειράκιον· εὐδαίμονα μὲν γὰρ οὐκ ἔχω ὅπως τυ φαΐζω ναμερτέως μυθαρευόμενος.* Iam vero etiam explicari posse videtur locus in Homerico hymno Mercurii v. 414. ubi de Mercurio boves, si possit, occultaturo scriptum est:

τότε δὴ κρατὺς Ἀργειφόντης
χῶρον ὑποβλήδην ἐσκέψατο, πύκν' ἀμαρύσσων,
ἐγκρύψαι μεμαώς.

Ingeniose quidem Passovius *ὑποβλήδην* coniiciebat: sed tamen haec vox non est alibi inventa. Videtur vero defendi posse *ὑποβλήδην*, quod sit *significanter*, ut solent, qui locum designare oculis volunt, quasi suggerentes alteri, ad quem locum animum advertere debeat. Describitur Mercurius crebro oculorum motu locum quaerens, quo boves abscondat, sed eum ita designans, ut fallat Apollinem, quippe non ibi, ubi videbatur locum delegisse, occultaturus.

Ostendi, non perspectum fuisse, quid esset *ὑποβολή*, *ὑποβάλλειν*, *ὑποβλήδην*. Nunc venio ad eam *ὑποβολῆς* significationem, quam Boeckhius inscriptionis cuiusdam Teiae ope constituit. Is quoniam in inscriptione Chia, quae numero est 2214. in secundo Corporis volumine p. 201. certationes nominatae sunt *ἀναγνώσεως*, *ῥαψῳδίας*, *ψαλμοῦ*, *κιθαρισμοῦ*, in Teia autem illa apud Maittairium Append. Marm. Oxon. n. 3. p. 10. et Hesselium Append. praef. ad Inscr. Gud. n. 20. certamina memorantur *ὑποβολῆς ἀνταποδόσεως*, *ἀναγνώσεως* adultiorum, *ὑποβολῆς*, *ἀναγνωσέως*, *πολυμαθίας*,

ζωγραφίας mediae aetatis, denique iuniorum, quorum primi certaminis genus in lapide deletum est, ἀναγνώσεως, καλλιγραφίας, λαμπάδος, ψαλμοῦ, κιθαρισμοῦ, κιθαρῳδίας, ῥυθμογραφίας, κωμῳδίας, τραγῳδίας, μελογραφίας· ex harum inscriptionum comparatione collegit, ὑποβολὴν nihil aliud esse nisi ῥαψῳδίαν. Nullius enim momenti esse, quod in Teia inscriptione ὑποβολὴ praecedat ἀνάγνωσιν, in Chia autem ῥαψῳδία post ἀνάγνωσιν nominetur. Non contenderim hoc magni momenti esse, sed tamen non temere dixerim nullius esse momenti. Nam quod res ipsa suadebat, fere etiam consuetudo probavit, ut a facilioribus studiis fieret initium: unde in cursu στάδιον, δίαυλος, δολιχὸς sese excipere solebant, quo ordine illi cursus memorati sunt in Etymologico M. p. 765, 41. Quod si mutatus interdum hic ordo fuit, suspicari licet, id singulari quadam de caussa factum esse: ut in ipso illo certamine Chio δολιχὸς primus fuit, deinde autem sequebantur στάδιον et δίαυλος. Itaque saltem veri similius est, si ὑποβολὴ idem esset quod ῥαψῳδία, ea non ante ἀνάγνωσιν esse certatum. Sed sumens Boeckhius ὑποβολὴν et ῥαψῳδίαν eiusdem rei diversas appellationes esse, *quis non intelligit*, inquit, *singulare quiddam et in reliquis certaminibus musicis non usitatum ὑποβολὴν fuisse rhapsodorum, idque tale, ut in eo potissimum vis et natura rhapsodici certaminis posita fuerit?* Hanc ego ratiocinationem nego recte procedere. Nam ex eo, quod in utraque inscriptione ψαλμὸς et κιθαρισμὸς memorantur, nullo modo sequitur, si in altera nominata est ῥαψῳδία, in altera autem ὑποβολή, his vocabulis idem genus certaminis designari. Atque etiam caeteris praeter ψαλμὸν et κιθαρισμὸν certaminibus Teii ludi a Chiis diversi erant, in quibus musicas certationes, easque multo pauciores quam in Teiis, excipiebant δολιχός, στάδιον, δίαυλος, πάλη, πυγμή. Porro dicit Boeckhius: *ubi invaluerat, ut in rhapsodia carmen carmini ex ordine Iliadis et Odysseae annecteretur ab iis, qui sese excipiebant, atque haec successionis ratio,*

quae in aliis musicis generibus locum non haberet, vocaretur ὑποβολή: *ipsa rhapsodia potuit* ὑποβολὴ *dici.* Haec quoque ratiocinatio omni modo laborat. Proficiscitur enim ab eo, quod non est demonstratum, ὑποβολὴν dictam esse illam successionem carminum: sumptum est enim auctoritate Diogenis Laertii, quae quam suspecta sit supra indicavimus: redit autem eo, ut potuisse ῥαψῳδίαν appellari ὑποβολὴν audiamus, non ut esse appellatam eo vocabulo doceamur. Atqui quod potest esse, non continuo est, si tamen potest. At ne potuisse quidem ὑποβολῆς nomine rhapsodiam vocari credibile est. Nam quod ait Boeckhius, *hoc enim aliquid et multo distinctius est et cum rhapsodiae ratione ita coniunctum, ut vel vulgari conveniat vocabuli originationi, quod sic carmen assuitur et nectitur carmini*, id tantum abest ut confirmet eius sententiam, ei ut potius adversari videatur. Valde enim diversa utriusque nominis ratio est. Vt dicta sit rhapsodia ab assuendis et nectendis carminibus, at usu amisit illam significationem hoc vocabulum, dictumque est sic, ut nihil nisi recitationem carminis epici significaret: quod contra ὑποβολή, si est id quod vult Boeckhius, coniunctionem ipsam plurium carminum notat. At quis credat, ubi recitandi facultatis atque exercitationis certamen memorandum erat, non recitationem, quae est ῥαψῳδία, sed coniunctionem carminum, quae recitarentur, esse nominatam? Immo nihil ineptius fieri poterat, quam ut carminum successionis victor diceretur, qui nihil nisi unum ex his carminibus ita recitasset, ut superaret caeteros.

Haec igitur quum parum probabilia sint, minus etiam probari posse arbitror ea, quae deinceps addit Boeckhius. Scribit autem sic: *Difficilius dictu, quid sit* ἀνταπόδοσις ὑποβολῆς *initio tituli Teii. Sed quum posthac tantum* ὑποβολῆς *scriptum sit, nec probabile videatur initio tituli aliud quiddam intelligi ac deinceps, ἀνταπόδοσιν* ὑποβολῆς *iudicamus idem ac nudam* ὑποβολὴν *esse, ac priore dictione rem*

eandem exactius proponi. Coniicit hoc vir doctissimus, sed non habet quo firmet eam coniecturam. Immo minime probabilis est. Nam accurate solet in eiusmodi inscriptionibus genus certaminis designari, nec tam parci verborum fuere, qui istos titulos faciebant, ut quod prius disertius dixissent, deinceps brevius indicarent. Quare si idem esset *ἀνταπόδοσις ὑποβολῆς* atque *ὑποβολή*, omnibus locis aut *ὑποβολῆς* scriptum inveniremus aut *ὑποβολῆς ἀνταποδόσεως*. Quod quum non sit factum, diversa potius nominari certamina existimandum erit. Pergit vero: *Quod si id tenemus, quod de ὑποβολῇ diximus, esse eam recitationem carminis epici talem, qua succedens quisque rhapsodus continuet priorem, ita ut singulae partes canantur ab aliis; concedemus rectissime dici potuisse ἀνταπόδοσιν ὑποβολῆς, quod hoc genus successionis cantum quasi amoebaeum referebat, et unaquaeque pars, quae post primam recitabatur, erat ὑποβολὴ ἀνταπόδοτος, ipseque rhapsodus partem poematis reddebat praecedenti congruam et sic ἠμείβετο ὑποβλήδην.* In his quum ipse diserte non dictum esse illud genus *ὑποβολήν*, sed potuisse dici declaret, ne ei quidem, qui concedat potuisse, persuadebit esse dictum. Nos vero non concedimus potuisse, non solum quia negamus *ὑποβολὴν* esse coniunctionem carminum, sed etiam, ut supra dictum est, quia, si id significaret hoc vocabulum, recitatio potius, quam recitatorum carminum coniunctio et copulatio nominari debebat. Quid autem, si is vincebat, qui primum carmen recitaverat? Num hic quoque *ὑποβολῆς ἀνταποδόσεως* victor dici potuit? Sentiebat Boeckhius, quam id non aptum esset. Itaque addidit: *At prima tamen ὑποβολὴ sive primi rhapsodi recitatio sic non erat ἀνταπόδοτος. Sed quis non concedat, ut a potiori fiat denominatio, quemadmodum ipsa rhapsodia est ὑποβολὴ vocata, licet primus rhapsodus non successerit ulli? Quamquam res potuit ita institui, ut singuli bis prodirent; ita ut ipse etiam primus recitaret ὑποβολὴν*

ἀντιδόσεων. Ne in his quidem quidquam firmi est. Sumit, a potiori factam esse denominationem; sumit, rhapsodiam vocatam esse ὑποβολήν: neutrum demonstratum est. Id igitur sentiens, comminiscitur aliquam rationem, qua potuerit dici ἀντιδόσεις ὑποβολῆς. At non quid potuerit fieri, sed quid factum sit, cupimus cognoscere.

Videor mihi ostendisse, quae dispatavit Boeckhius, partim ex meris coniecturis hausta esse, partim rationibus non recte conclusis contineri, postremo autem eo redire, ut potuisse esse statuatur, quod nec demonstratum sit fuisse, nec potuisse esse veri simile sit. Itaque alia tentanda erit explicatio. Eam autem illa, quae certissima est verbi significatio, tam planam, tam simplicem, tam rei accommodatam offert, ut non dubitandum de eius veritate videatur. Nam quum ὑποβάλλειν, ὑποβολή, ὑποβολεὺς proprie destinata ei recitationi vocabula sint, quae fit alio verba suggerente, quid aliud in inscriptione illa quod positum est ὑποβολῆς significare censebimus, quam recitationem vel sermonis alicuius vel carminis, factam memoriter, sed, ut hodie quoque fit, quum pueri atque adolescentes in scholis aliquid coram coetu auditorum recitant, adstante, qui ex scripto verba suggerat, ne forte haesitet et conturbetur is, qui eiusmodi specimen exhibet? Id si ita est, facile intelligitur, quae initio inscriptionis Teiae leguntur verba, ὑποβολῆς ἀντιδόσεως, aliud quid esse, quam quod deinde positam est ὑποβολῆς. Est id autem non, ut Boeckhio videbatur, recto casu ἀντίδοσις ὑποβολῆς, sed naturali ordine verborum ὑποβολὴ ἀντιδόσεως, recitatio diverbii, in quo, qui recitabat, utriusque colloquentium ingenium animique affectionem variata voce debebat exprimere. Quod quum esset maioris exercitationis et peritiae, quam unius sermonem recitare, certatum eo genere videmus ab adolescentibus adultioris aetatis, mediae autem aetati simplicem assignatam esse ὑποβολήν.

ORATIO

IN CREATIONE AA. LL. MAGISTRORVM ET PHILOSOPHIAE DOCTORVM

A. CIↃIↃCCCXXXIII.

POST OBITVM CHR. D. BECKII.

Verissime simul et gravissime dictum est, quod summus ille Thebanorum poeta Pindarus quodam in carmine scripsit: *quid est aliquis? quid non est? Vmbrae somnium sumus homines.* Nam ne hanc fragilem vitam commemorem, quae quum omnino homini non sit nisi brevis concessa, tum tot improvisis, tot fortuitis casibus obnoxia est, nullum diem ut nostrum dicere possimus, nisi quem sospites transegerimus, illud multo mihi quidem videtur magis dolendum esse, quod etiam qui maxime vel virtutibus vel factis insignes viri fuerunt, ubi quem tenebant locum reliquerunt, post breve luctus desideriique spatium, languescente sensim recordatione oblivioni traduntur. Est illud quidem ab ipsa natura ac profecto sapienter ita institutum, ut, quoniam discedendum est omnibus, tempore minuatur dolor, marcescatque desiderium, et, sicut in flumine quamvis magnus aquae haustus non relinquit hiatum, sed statim impletur vacuum explanaturque communi fluidi nisu superficies, sic etiam in rebus humanis, ne domus, ne civitas, ne universi generis consociatio dissolvatur, intercapedo non sit diuturna, sed

succedat alius alii, neque interrumpatur ordo cursusque negotiorum. Verum etsi sic omnes deinceps cedimus aliis, memoriaque obruitur singulorum, tamen pietatis est meminisse eorum, qui aeternae legi debitum persolverunt, praesertim si desiderii iustas caussas reliquerunt. Ideirco et mihi ipsi et vobis, venerandi collegae, vobisque, humanissimi candidati, iniquus parumque memor officii mei esse viderer, nisi hac quamvis laeta in panegyri mentionem facerem eius viri, quem de ordine nostro deque universa Academia longam per seriem annorum praeclare meritum nuper mors nobis eripuit. Nolim tamen vos exspectare, me laudes illius viri hac oratione persequi in animo habere. Non ego id mihi arrogo, ut me putem aut recte satis aut digne celebrare posse ingenium, quod in eo eximium fuit; doctrinam, quae fuit amplissima planeque admirabilis; merita, quae tot tantaque fuerunt, ut ne enumerari quidem, nedum convenienter laudari posse videantur. Illud tantum propositum habeo, pietati ex aliqua parte satisfacere quum nostrum omnium, tum meae ipsius, qui illum adolescens magistrum, post in omnibus quos in Academia nostra consequutus sum honorum gradibus testem, comitem, adiutorem habui. Sic autem exsequar illud officium, ut, quod hic dies atque haec solemnitas me facere postulant, vobis, candidati doctissimi, quod ad studia vestra recte atque utiliter persequenda profuturum credam, ab illius nuper collegae nostri recordatione repetam. Nam eruditio, quo uno nomine omnes quas in homine litterato sitas esse virtutes oportet intelligimus, quum his tribus rebus contineatur, doctrina, ingenio, liberali cultu: harum nulla est quae in Chr. D. Beckio non fuerit eximia ac plane singularis. Atque ut singula paucis attingam, historiarum ille omnis aevi immensum ambitum ita erat memoria, qua tenacissima utebatur, complexus, ut non solum res gestas populorum, institutaque gentium antiqua et nova, sed etiam litteras, litterarumque incrementa variamque fortunam teneret atque in numerato haberet: quid autem de illo genere dicam, quod vel solum infiniti laboris est, quod in ecclesiae Christianae litibus et discepta-

tionibus versatur? linguarum denique illarum, a quibus munus quo fungebatur nomen habet, quanta in eo quamque accurata fuit scientia: et tamen non in his solis eius industria sese continuit, sed penetravit etiam in orientis litteras linguasque, ut praetercam vivarum cognitionem linguarum, a quibus nemo doctior apud nos facile abhorret. Ingenium vero ad illa omnia tam sollers, iudiciumque tam promptum, tam rectum, tam acutum afferebat, ut quarumlibet rerum caussas atque rationes et celerrime et verissime perspiceret, neque, etiamsi quid difficillimum atque impeditissimum videretur, non inveniret aptam et commodam viam, qua labendi proclivitates caute evitaret. Ornabat ille denique has virtutes etiam eo humanitatis cultu, ut nihil non et cum dignitate illa, quae studiis litterarum consentanea est, et cum decore atque adeo elegantia quadam atque urbanitate ageret, longeque ab se sperneret istam rudem ferociam morumque rusticitatem, qua nonnulli hominum doctorum, dum admirationem se consequuturos sperant, vix imperitum vulgus in stuporem coniiciunt, ab eruditis autem nihil nisi contemptum stoliditatis suae reportant. Talis igitur quum esset Beckius, iure eum, candidati optimi, pro exemplo habebitis, cuius semper sitis memores, in quod intueamini, quod imitemini, quod aemulari studeatis. Sed tamen sic id agere debebitis, ut simul cogitetis, hanc ipsam viri eximii incredibilem industriam nonnihil obstitisse quo minus, quum maximam sit claritatem adeptus, assequutus sit etiam maiorem famam nominis: potuerat enim, ut viribus iis omnibus instructissimus, quibus ad id opus erat. Aestimate enim ipsi, qui tot artibus excelluit, tot tamque variis in partibus doctrinarum egregius fuit, quantus is quamque immortalis esset, si uni paucisve ex illis doctrinis se totum dedisset, viresque illas et indolem ingenii non dispersisset et distraxisset tanta rerum diversissimarum copia, sed contulisset in unum locum et quasi conglobasset ad promovendam unam ex illis molibus, quibus vel protrudendis vel repellendis novae in litteris viae per avia prius atque

inaccessa aperiuntur. Atque est hoc quidem animi generosa indole praediti, mente et scientia quam quis possit plurima studere amplecti, quo ne peregrinus in hoc mundo, sed civis esse videatur: verum quum omnia exhaurire tantopere vel virium humanarum modum vel vitae breve spatium excedat, ut vix uno aliquo in genere litterarum artiumve cuncta, quibus eius natura ratioque contineatur, liceat pervestigando comprehendere, illud in primis curandum est, ut aliquod quis quasi domicilium habeat, quod iure suum dicere in eoque regnare possit, nec tamquam hospes propriae sedis expers vagetur per alienas domos, notus quidem ubique, et fortassis etiam acceptus, sed nusquam dominus et iure suo possessor. Cogitare enim oportet, discendo cognoscendoque illud acquiri, ut quid alii industria sua ex tenebris in lucem protraxerint, quoque in statu nunc sit doctrinarum scientia et ratio teneamus: sed nisi fuissent illi, quorum id studio est et labore effectum, ignoraturos nos fuisse illa ipsa, quae didicisse nobis contigerit. Quod si cuiusque hominis litterati officium est pro virili parte operam dare, ut novis augeatur incrementis rerum scientia, quaeque adhuc non reperta, non cognita, non intellecta latent, inveniantur, discantur, perspiciantur: in tam immensa rerum discendarum varietate tamque inexhausta materia non alia patet via, qua quis ipse aliquid conferre ad communem utilitatem possit, quam ut uno aliquo in genere, unaque in re studia sua coarctet, viresque intendat animi, ut cognita eius rei natura altius atque altius in eam penetret, vestigandoque ultra, quam ante se factum sit, perficiat inchoata, corrigat vitiosa, stabiliat dubia, illustret obscura, proferat latentia. Deterreant quidem fortasse aliquem tum difficultates et magnitudo laboris tum exempla virorum doctrina ingenioque excellentium, quos se non modo superare, sed ne aemulari quidem aut ex longinquo sequi posse existimet: at reformidare ardua non est erecti generosique animi, quem alliciunt potius atque excitant ea, quae virium requirunt contentionem maiorem quamdam, quam cui quivis se pa-

rem fore speret. Nulla est autem pars, nullum genus scientiae, in quo non, qui naviter elaborare voluerit, permulta sit inventurus, quae agenda reliquerit superior aetas. Ipsa illa doctrinarum omnium princeps, quam mathesin vocant, cuius aeternae sunt et immutabiles leges, cuius haec plane incomparabilis virtus est, quod errorem omnem ab se segregat, et quidquid novi in lucem profert, id etiam verum esse admirabili illa numerorum ratione evincat, quae tam divinum quid esse non immerito visa est Pythagorae, numeros ille ut rerum omnium esse principia et quasi semina, ex quibus composita esset universa mundi machina, censeret; Plato autem, in mente humana infixas esse arithmeticae et geometriae rationes intelligens, recordando memoriam earum, quae sopita in animo iaceret, quasi ex somno suscitari ostenderet: ac tametsi hanc doctrinam ab tot summis ingeniis ad incredibile quoddam fastigium evectam videmus, tamen, quo ad obscuriores eius oras accedi, quo subtiliores et implicatiores eius rationes enodari cernimus, eo minus dubitari potest, quin haec quoque scientia non secus quam ipsa rerum natura infinita sit, idque non solum quum adhibetur ad siderum meatus explorandos aut corporum magnitudines viresque metiendos, sed etiam quum ipsa per se spectatur, legumque eius multiplex explicatur varietas. Quae autem ei coniunctissima est physicorum ars et scientia, a quam parvis quamque tenuibus profecta initiis ad quem vastum extensa est ambitum, quamque non dicam quotannis, sed pene quotidie sollertium virorum indefessa opera ingeniosisque artificiis nova rerum elementa, novas naturae virium cognitiones atque affinitates, novas et inopinatas caussas atque effectiones aperit et clara in luce conspiciendas exponit, ita ut hic in quo vivimus orbis terrarum in dies magis patescat, et iam non ea tantum, quae oculis intuemur, rectius videamur cognoscere, sed illud quoque mente assequamur, quae multis ante humanum genus seculis facies et quasi vita fuerit huius globi, cuius recentem et nuper demum ortam incolimus superficiem. Tum illa, quam historiam naturalem

vocant, ex rudi indigestaque congerie ita est expansa, expanditurque perpetuo latius tum inquirendo in metallorum, germinum, animalium naturam, tum adeundo ad ignotas adhuc oras, ut iam non temere comportatam rerum multitudinem et varietatem, sed descriptam in classes et ordines, mirificoque inter se nexu copulatam habeamus, et magis magisque ad aliquam perfectionis speciem adducamus. Non minus rerum ab genere humano publice privatimque gestarum historia tantam experta est pervestigationis industriam, ut, quocumque quis oculos coniiciat, pene magis quam multa nondum cognoverimus, quam quid sciamus, appareat. Nam quum vel eorum, quae hodie atque adeo nobis inspectantibus aguntur, pleraque ambigua sint atque incerta, quanto obscuriora esse necesse est, quae multis ante nos seculis gesta vel monimentorum penuria aut depravatione, vel testium dubia fide, vel inanium commentorum fama, vel barbari aevi oblivione sic obscurata et perturbata sunt, ut vera a falsis internoscere labor sit difficillimus. Accedit, quod qui explicare ista atque expedire conati sunt, quorum nostra potissimum aetas non paucos tulit eximios viros, dum iure incredüli veteres fabulas spernebant, iudicii acumine errores quidem inveteratos expulerunt permultos, plurimarumque rerum veritatem stabiliverunt certissime, sed iidem etiam audacia coniectandi non pauca, quae sibi vera videbantur, ita exornarunt, ut novos pepererint errores, laboremque eorum, qui deinceps eadem vellent attingere, simul adiuverint, simul autem etiam auxerint. Magnum etiam et laudabile studium impensum est in linguas veterum populorum, multoque illud sanius et re illa dignius, quam quo non ita pridem illi ipsi, qui toti se huic negotio dederant, consueverant procedere. Nec profecto hoc studium vile aut leve est putandum. Quid enim divinius concessum est hominibus, quam lingua, quae verbis notare et comprehendere rerum notitias possit, solaque id efficiat, ut non solum cogitata communicare inter nos, sed ipsum illud possimus, cogitare, id est, per signa quaedam retinere notiones rerum, comparare inter

se. distinguere, explicare, omnesque in formas vertere, quibus infinitam illam multitudinem ac varietatem et rerum cogitatarum et sensuum atque affectionum significemus et declaremus. Est enim lingua effigies animi, quam quo attentius contemplamur quoque accuratius eius formas rationesque persequimur, eo maiore perfundimur admiratione, quod nullo magistro, sed naturali quodam instinctu ipsa sibi mens paullatim illam artificiosissimam machinam creavit, in qua tamquam in speculo vel tenuissima lineamenta sententiarum repraesentarentur. Eam diligenter perquisitam habere caussasque eius et rationes perspexisse, quasque mutationes vel temporum cursu vel dicendi variis consiliis vel animorum atque ingeniorum diversitate contraxerit cognovisse, id demum est linguae vim et usum tenere. In quo genere hodie si multum profecimus comparatione diversarum inter se linguarum, tamen etiam non nihil turbari animadvertimus, quum non omnes, qui illa in re sibi placent, satis accuratam sibi paraverint linguarum, quarum aliam ex alia explicare student, cognitionem. Nam saepe prorsus ignorare aliquid melius est, quam parum recte didicisse: quod alterum horum non affert opportunitatem cognoscendi, alterum, profectum ab errore, non potest non gignere errorem. Quid dicam denique de philosophia, quae quum sit animi mentisque perscrutatio, indagatioque fontium omnis scientiae, per viros quosdam divino praeditos ingenio adducta quidem eo est, ut iam unde petenda sit compertum habeamus, sed, quoniam animi humani tam profundi sunt atque obscuri recessus, in eos ut omnium minime illud lumen videatur immitti posse, quo imus eius fundus collustrari penitus, animusque simul et cernere sese et ab se cerni queat, multi dum illuc penetrare conantur, quasi vertigine quadam correpti vana in somnia incidunt, suisque ipsi laqueis capti delirare incipiunt, ut nec se ipsi intelligant, neque intelligantur ab aliis. Apertum est autem, quoniam philosophiae usu quum in omni genere scientiae, tum iis maxime in rebus opus est, quibus vitae rationes gubernantur, quam salu-

taris est philosophia si sobrie, recte, clare, perspicue caussas investigat, tam eamdem perniciosam esse, si vanae imaginationis lusibus indulgens vel lymphatae mentis quodam furore acta modo religionibus animos et superstitione implet, modo iura populorum, commercia gentium, leges civitatium, institutionem cultumque universi generis humani, artes denique et doctrinas omnes temere fingit ac refingit.

Commemoravi eas doctrinas, candidati humanissimi, quae nostri potissimum ordinis, cuius honoribus mox ornabimini, propriae sunt, ut videretis, nullam earum esse, in qua non plurimae propositae sint bene merendi novaeque laudis reportandae occasiones. Quare si, uti decet, ipsi quoque aliquid conferre ad utilitatem atque incrementum doctrinarum cupitis, illud animo reputate et tenete firmiter, eligere sibi quemque debere unam aliquam materiam, in quam totus incumbat in eaque quasi domicilium ponat suum. Nam in eo demum, quod quis penitus cognitum habeat, ita elaborabit, ut fructus laboris ad eam rem ipsam redundet, simulque hoc lucri faciet, ut suis viribus confisus, quippe suo in regno, illud ipsum discat, laborare utiliter. Apertum est autem, cum, qui sic sibi quasi arcem quamdam communiverit, quoniam mutuis vinculis omnes inter se colligatae sunt doctrinae, ipsa tuendi quem tenet locum necessitate admoneri, ut auxilium petat a coniunctis artibus, eaque re latius paullatim ac latius proferat regni sui fines. Sponte vero intelligitis, hanc demum optimam esse et certissimam viam, si quis vere et ipse proficere in litteris et litterae facere ut sua opera incrementum capiant velit. Nam quae eo dumtaxat consilio discimus ut ne ignorare videamur, nec satis firmiter inhaerent animo nec levitate carent illa, quae coniuncta est cum omni scientia, cuius nec necessitatem nec certum usum videmus: quod contra, quum quid agimus propositi cuiusdam perficiendi caussa, non solum studiosius ei rei impendimus operam, sed quaerimus etiam et quid adiumenti nobis opus sit, et eo qua ratione uti oporteat, ut quo volumus perveniamus: quo

fit, ut, dum omnia ad illud propositum referimus deliberatoque ea consilio aggredimur, singula accuratius consideremus, memoriae firmius imprimamus, multumque tractando et versando rectius cognoscamus, perspiciamusque penitius. Hoc modo autem eo pervenitur, ut, etsi unum sit illud, quod quis praecipue tractet et in quo se excellere cupiat, tamen non spernat caetera, neque ab iis abhorreat, sed potius dignitatem omnium parem esse fateatur, sibi autem ex singulis ea decerpat, quae suis sint studiis profutura. Hac via qui incedunt, simul indecoram illam levitatem effugiunt, quae omnia obiter attigisse contenta, nihil autem penitus cognitum habens, eruditionis quamdam elegantisque cultus speciem affectat, simul immunes manent ab sordida illiberalitate illorum, qui nimis angusto in orbe conclusi eius unius rei, quam ipsi sibi tractandam sumpserunt, tantum esse pretium existimant, ut caetera contemnant, hoc uno autem in genere qui minus versatus sit, cum indoctum atque adeo stultum esse dictitent. Verissimum est illud vetus dictum,

quam quisque norit artem, in hac se exerceat,

cui qui recte parent, sic id faciunt, ut locum in quo ipsi firmo pede consistant sibi legentes, neque impediant alios, quominus illi alibi idem sibi iuris sumant, neque nihil velint cum iis commercii habere, sed potius, quemadmodum civitates sic demum florent, si singulae civium classes sua negotia recte et cum caeterarum classium emolumento agunt, ita etiam litterarum studia quadam quasi civitate contineri censeant, in qua coniunctis multorum, sed suo cuiusque in genere studiis universus ille eruditionis scientiaeque campus colatur, conseratur, fruges-que ferat. Ea igitur demum iure dici respublica litteraria potest, in qua suis quisque partibus recte et naviter fungitur, non ut hostis aut adversarius aut contemptor eorum, quorum alia officia sunt, sed ut amicus, ut adiutor, ut laudator eorum, quae quisque recte et uti communis utilitas postulat, agit atque administrat. Id ergo, optimi candidati, tenete animo neque umquam excidere

vobis patimini, ut aliquam vobis veluti domum illa in republica comparetis, quae vestra sit, quam propriam habeatis, in qua dominemini, qua exaedificanda et percolenda vobis decus, ornamentum, laudem, communi autem hominum litteratorum societati adiumentum, utilitatem, prosperitatem paretis. Sic illud consequemini, ut nec vosmet ipsos vixisse poeniteat, et fuisse vos ac vixisse grata olim recordetur posteritas.

INDICENDIS EXSEQVIIS
HENRICI GVILIELMI BRANDESII.

Exsequias indicimus, Cives, quales rarissime vidit haec Vniversitas nostra, nos autem visuros esse nec putabamus, nec potuimus putare. Scimus nasci nos morituros, incertumque esse, quam longum cuique cursum fata destinaverint: sed quoniam hanc esse naturae legem videmus, ut nata adolescant, adulta vigeant, quae viguere senescant, quae consenuere intereant, securi fidimus sperantes de die in diem, nec credimus eventurum, quod contra consuetum et legitimum ordinem naturae, ut nobis quidem videtur, accidit. Nam quum quis extrema in senectute ad eam pervenit metam, quae terminus vivendi est constituta, aequiore id animo ferimus, nec conquerimur crudelitatem omnia perimentis necessitatis, sed admiramur potius divinae mentis sapientiam, alia deinceps atque alia ad vitae successionem vocantis: gravius vero affligimur iustoque corripimur dolore, quum medium vitae cursum repentina vis mortis intercipiens et nobis affert immaturam orbitatem, et morientem cogit relinquere ea, quibus se fruiturum iure suo sperabat. Id nos ita cumulate, ut magis non potuerimus, experti sumus in collega nostro, cui iam supremum sumus honorem habituri. Nam vir ingenio, doctrina, eruditione egregius, vita integer, moribus pius, iustus, probus, aequus, humanus, comis, coniugio liberisque optimis felix, collegarum,

amicorum, auditorum, civium omnium gratia et amore florens, munerum amplissimorum administratione egregie probatus, ipso in maximo vigore aetatis virilis, in ipso, quem admirabili sapientia gerebat summo magistratu, eo ipso tempore, quo filia dilectissima in amati sponsi manum conveniebat, filiusque natu maximus et affinis ex longinquis locis eas nuptias concelebraturi approperaverant, paucorum dierum morbo rapide ingravescente absumptus, fletu et lacrimis implevit domum, quae modo laetissima spe exsultaverat; uxorem, liberos, propinquos, collegas, amicos, discipulos, totam Vniversitatem nostram in luctum et maerorem coniecit; quemque paullo ante in senatu, in conventibus Ordinis philosophorum, in publicis solemnitatibus, in coetibus amicorum valentem, alacrem, hilarem, laetum conspexeramus, subita vi prostratum tristissimo funeris comitatu intulimus sepulcro. Solitudo domus, vacua sedes in consessibus Academiae, deserta cathedra, propinquos, collegas, auditores orbitatis, in quam sunt redacti, admonet. Frustra quique requirunt de medio sublatum, nec quidquam sibi relictum vident, nisi dolorem et maestitiam, crescitque erepti desiderium, quo magis singuli recordantur, quantam fecerint iacturam; uxor, quem maritum; liberi, quem parentem; amici, quem amicum; collegae, quem collegam; discipuli, quem doctorem; Academia, quem rectorem amiserit. Sed tamen haec ipsa recordatio etiam solatium affert, idque tale, eo ut nullum aut exoptabilius aut potentius inveniri possit. Non enim omnis interiit, cui superstes manet virtutum memoria, quae facit ut quasi vivam imaginem intueri, delectarique eius adspectu videamur. Quae imago, etsi ad alloquia non respondet, tamen monitrix adstat animis, et ad imitandum aemulandumque excitat contemplantes.

Fuit autem tota viri vita talis, ut et testetur eius laudes, et tamquam exemplum exstet, quo disci possit, quid ab inani fuco distet vera virtus, quae contemnens cito perituram gloriam, quam arrogantia et temeritas parit, pudenter et modeste ad illa enititur, ex quibus mansurum omni aevo decus emergat. Non est nobis in animo

splendida oratione laudes celebrare viri optimi, sed satis ducimus breviter de eius vita et simpliciter exponere. Ea est enim verae et genuinae virtutis natura, ut non indigeat laudatione, a qua numquam abest rei in maius auctae suspicio, sed satis per solam factorum commemorationem suo ipsius lumine eluceat.

Apparet in Henrico Guilielmo Brandesio, quid valeat bona indoles, quam et adiuvet recta educatio, nec mollescere patiatur fortuna. Natus ille est Alberto Georgio, sacrorum antistiti Grodenii, qui locus ditionis Hamburgensis est, iurisdictioni Ritzebütteliensi subiectus, anno superioris seculi LXXVII. die XXVII. m. Iulii, tertius de quinque filiis. Superstes est soror, nupta Puhstio, mercatori. Pater sextum annum agenti improviso ereptus est. Nam modo valere visus, ulceris in pulmonibus ruptura momento est exstinctus. Ita patre orbati liberi omne in matris cura habuere praesidium. Ea femina, quae ex gente Menkingia apud Ritzebüttelienses erat, graviter afflicta morte mariti, tam religiose functa est bonae matris familias officio, ut, quamvis in ipso flore aetatis esset, vitaret coetus et frequentiam hominum, suaque se in domo contineret, quo se totam educationi dederet liberorum. Atque quum et piissima esset et ea animi moderatione, quae severitatem lenitate temperatam servaret constantissime, praetereaque litteris atque artibus, ut illo tempore, optime erudita: animos liberorum non solum maxima pietate erga deum implevit, sed omnino ea imbuit modestia, ut vix umquam aliquis effervescentis laetitiae strepitus audiretur, eaque tranquillitas animi et aequabilitas iis penitus impressa per omnem vitam permanserit. Concessit autem Attendorium, quo filii illic gymnasium adirent, in quo gymnasio hic noster mathematum studio ita captus est, ut profectibus in eo genere caeteros discipulos multum antecelleret. Qui quum omnium quos illud gymnasium habebat librorum arithmeticorum calculos pertractasset, incidissetque in unum, qui algebraicas computationes contineret, ipse sine duce in huius quoque artis se penetralia insinuavit. Vnde ma-

ter, cui parum utilia tractare videbatur, id indicandum duxit tutori eius Petersonio. Is vero eam consolatus est, quumque Woltmannum convenisset, qui Ritzebüttelii munitionibus aquariis praefectus erat, hic, admiratus indolem pueri, eum nondum absoluto cursu scholastico suam in domum recepit, quo eum structuris illis rite faciendis erudiret. Brevi post idem eum non amplius sedecim annos natum praefecit inspiciendis operibus aggerum non exiguis in insula, cui nomen Neuwerk, rationibusque conficiendis mercedis fabrorum. Eius insulae in deserta pharo, quam a ventorum atque undarum impetu tutandam accepit, domicilium ei datum, in quo studia sua persequeretur. Ibi igitur fere biennii spatio praecipue libros Batavorum, qui de coercendis aquis et muniendis lacubus praeciperent, tractavit atque in patriam linguam transtulit. Deinde vero se Goettingam suasu Woltmanni contulit, invitante stipendio, quod a maioribus eius conditum erat in usum gentilium, qui illa in Academia litteris operam darent. Itaque anno XCVI. in civium Academicorum numerum a Meinersio tum prorectore relatus, quum lectiones mathematicas et physicas audiret, praecipue veneratus est Lichtenbergium, quicum postea quoque iunctus fuit litterarum commercio. In primis autem cum amico suo socioque studiorum Benzenbergio eam est viam ingressus, in quam saepius postea rediit, ut stellarum cadentium altitudines, magnitudines, meatus investigaret, refutatisque inanibus quae vulgo circumferebantur commentis ostenderet, diversissimas res esse, quae eo nomine appellarentur, quarum alias materias esse phosphoricas, quae in terram deciderent, alias autem maiora corpora, quae XXX. amplius miliaribus a terra flexuoso cursu moverentur.

Discesserat ex Academia litteris optime formatus vitaque puriter acta anno XCVIII. biennioque post ediderat una cum Benzenbergio illum de stellis cadentibus librum, communem utriusque amici studiorum fructum, quum ei Hamburgi munus magistri in paedagogio clarissimae feminae, Carolinae Rudolphi, oblatum est: quod munus

tamen, quoniam nimia modestia, ut saepe alias, viribus suis diffidebat, cedere maluit amico illi suo Benzenbergio, ipse autem praetulit necessaria sibi parare scholis privatis in eo paedagogio et in domo Davidis Schlüteri, senatoris, cui olim pater eius doctor domesticus fuerat. Illo tempore contigit ei, ut in notitiam et familiaritatem veniret gentium, quae tum liberali eruditione primariae Hamburgi erant, Reimari potissimum et Klopstockii. Ita factum est consuetudine hominum litteris atque artibus cultissimorum, ut praeter severiores doctrinas etiam amoenioribus studiis delectaretur: semperque iucundissimi illius temporis, quod inter Hamburgenses egit, gratam servavit memoriam.

Inde anno MDCCCI. Woltmanni commendatione eximius ille dux Oldenburgicus, Petrus Fridericus Ludovicus, cum Eckwardae munitionibus lacuum curandis cum salario DC. Ioachimicorum praefecit: quo loco, sicut olim Neuwerkii, expers fere omnis litteratorum hominum consuetudinis vixit, nisi quod quosdam in vicinia sacrorum antistites habuit quos conveniret: quorum unus, Barelmannus fuit, Tossensii sacra curans, qui et ipse scriptis innotuit. Tanto alacrius vigebat eius cum absentibus amicis per litteras commercium, exstantque etiamnum illae mutuo datae epistolae. Florebat autem iam tum ea fama, ut anno MDCCCV. in eorum numerum cooptaretur, qui in diurnis litterariis Ienensibus librorum censuras scriberent, quod genus scribendi tum iis tantum, qui doctiores essent, hodie cuivis committitur, habentque illa diurna ab eo tempore haud paucas ab eo scriptas censuras. Transtulit illo tempore in patrium sermonem Euleri librum de aequilibrio in motu fluidorum; quumque regionis illius, in qua vivebat, planities ei opportuna esset ad lucis fractiones memorabiles observandas, huic quoque rei illustrandae viam aperuit edito de radiorum fractionibus primo volumine.

Illa quam ei cum Barelmanno fuisse diximus consuetudo occasio fuit iucundissimae necessitudinis. Habebat ille in matrimonio filiam C. Krusii, consiliarii in

consistorio Oldenburgensi. Illa igitur in domo in notitiam Brandesii venit altera Krusii filia, Henrietta, quae cum animi virtutibus aeque ac liberalis eruditionis cultu valde retinebat, ita ut eam sibi coniugem peteret: duxitque illo ipso infelici tempore, quo post pugnam Ienensem ducatus Oldenburgensis principi suo ereptus et regno Batavo est adiectus. Itaque etsi munus quo fungebatur non ademptum est vehementer abhorrenti a dominatione Gallorum, tamen multa perpessus est gravia militum ferocium et fastidiosorum contuberniis, quae tenues eius opes exhauriebant. Accedebant quibus valde affligeretur morbi mortesque propinquorum. Nihilo minus fortiter illa omnia sustinuit, ut adeo libros eo tempore conscriberet, e quibus luculenter appareret, quanta in eo indoles et facultas esset. Iam eo tempore, quo sponsus erat, cum sponsa per litteras communicaverat praecipuas partes doctrinae astronomicae. Eam expositionem postea inito iam coniugio continuavit ita, ut, quantum permitteret temporum iniquitas, omnem illam doctrinam isto modo persequeretur: quod ita fecit, ut, si quid uxori non satis planum videretur, id retractaret, usque dum ad summam perspicuitatem esset adductum. Ita exortae sunt illae ad amicam epistolae de praecipuis partibus doctrinae astronomicae, quae merito maximam laudem sunt adeptae. Sed priusquam hae sunt in lucem editae, alios quoque libros mathematicos fecit, in iisque compendium doctrinae mathematicae, scriptum hortatu soceri, qui Oldenburgi scholarchae munere fungebatur: qui liber statim in gymnasium Oldenburgense est introductus, brevique post receptus etiam in aliis scholis adhibitusque lectionibus Academicis.

Ita quum magis magisque inclaruisset, vocatus erat ad munus Academicum in Batavis: quod tamen et propter caeli humidam temperiem, et quod linguae illius usu non satis exercitatus esset, non accipiendum duxit. Non potuit tamen evitare quin magnam fortunae mutationem subiret, quum anno MDCCCXI. inferior Germania occidentalis imperio Gallico esset adiecta. Nam invitus et

reluctans praefectus est Vegesacci tertiae classis inspector aggeribus aquae coercendae, ea lege, ut simul adhiberi posset regundis operibus canalis, quo Rhenus esset cum mari Baltico coniungendus. Salarium ibi ei datum MDCCC Francorum, quo ipso quum ei peius quam antea consultum esset, accedebat metus, ne saepius domo abesse iuberetur, praetereaque contra voluntatem suam cogeretur fidem imperatori Gallorum iurare. Fuit autem haec conversio fortunae eo atrocior, quod simulatque nuncium de munere, quod ei mandatum esset, accepit, discedere domo, quam sibi Eckwardae exstruxerat, relicta familia coactus est, quo viam Hamburgum inter et Bremam ad libellam exigeret. Nec rursum vidit illam domum: uxor eum medio altero mense sequuta est Vegesaccum. Illud, quod ibi egit, vitae tempus ei acerbissimum et periculosissimum fuit. Timendum erat enim ne vel in vitae discrimen incideret, ut qui et deditissimus esset duci Oldenburgico, et constanter detrectaret fidem promittere imperatori Gallorum. Sed affulsit lux, quae has tenebras discuteret. Nam mense Maio anni MDCCCXI. litteras ab Süvernio, qui Regi Borussorum a consiliis regni regundi erat, accepit, quibus ille quaerebat, velletne, quum Francofurtensis Academia Vratislaviam transferretur, illic professionem mathematum cum salario DCCC Ioachimicorum suscipere. Cognoverat enim Süvernius ex scriptis Brandesii, potissimeque ex illis epistolis astronomicis, quam eximiam ille boni doctoris exspectationem ostenderet. Libenter accepta conditione, concessisque ei D Ioachimicis ad impensas itineris, impetravit missionem a Gallis, statimque profectus, quum in itinere Lipsiam visisset, ubi interea socer eius perfugium invenerat, Vratislaviam se contulit. Ibi eodem anno auctum ei ad MCC Ioachimicos est salarium, dato munere gratuito quadringentorum. Itaque anno insequuto honorem doctoris philosophiae adeptus, statim magno cum applausu professionem mathematum ingressus est, simulque in specula astronomica sese sideribus observandis exercuit. Ibi tertium quartumque

volumen epistolarum astronomicarum perfecit, occupatusque fuit cometarum tractibus et tempestatum vicissitudinibus explorandis. Ad hanc tempestatum considerationem eum excitaverat soceri Krusii diligentia, qui magno labore ex ingenti copia eorum, quae diversis in locis observata essent, certi quid eruere erat conatus: accesserantque Haberlii et Ditmari vana somnia, qui temere praedicendis tempestatum mutationibus omnem illam doctrinam risui et contemtui exposuerant. Brandesius igitur trecentenis millibus observationum in diversissimis terrarum oris factarum ad computationem illius rei adhibitis, etsi non illud est assequutus, ut praesciri tempestas posset, tamen ostendit quae naturales caussae quibusdam in regionibus regerent vices et variationes temperaturae. Ita quum docendo scribendoque litterarum studiis prodesset, accessit salario eius incrementum CCC Ioachimicorum, partim quod collegio adscriptus esset, a quo candidati examinantur, partim propter institutionem studiosorum rei metallicae, quos Vratislaviensem Academiam adire oporteret. Optabant eum ad se perducere Vniversitates litterarum Ienensis et Gryphiswaldensis, sed quum uberiores reditus Vratislaviensis Academia praeberet, has vocationes declinavit. Amplioribus vero promissionibus a. MDCCCXVIII. ab Academia Dorpatensi, intercedente eius Vniversitatis professore Struvio, invitatus, quum aucto liberorum numero maiores sumptus, quam quibus Vratislaviense munus sufficeret, facere cogeretur, Dorpatum transferre domicilium in animo habebat: sed protracta in sequentis anni initium negotiatione, quum Regis Borussorum liberalitas ei et conclave in specula astronomica, et denuo munus CCC Ioachimicorum, ac paullo post quingentorum accessionem annuam ad salarium concessisset, mansit Vratislaviae, indefessoque labore perrexit studia sua quum muneri Academico tum libris scribendis impendere.

Accedimus ad eius temporis commemorationem, quo nobis contigit, ut eum nostrae Vniversitatis doctorem nancisceremur. Nam quum mortuo Gilberto huic successor

luculentioribus quam quisquam alius vocatus esset conditionibus, movit eum potissimum ut Vratislaviam relinqueret, quod mitior apud nos caeli temperies valetudini uxoris salubrior futura videretur, sed haesitabat tamen ea caussa, quod, si ipse moreretur, viduae liberisque melius illic esset prospectum. Lenita haec sollicitudo est, quum ei si non certa promissio, at spes tamen non dubia data esset, non neglectum iri, qui ei superstites forent. Ita quum apud nos anno MDCCCXXVI. munus professoris physices suscepisset, per hos octo annos, quibus eum iuvenes litterarum studiosi doctorem, nos autem collegam habuimus, tantam eius in obeundis muneris officiis religionem et diligentiam, tantam in omnibus publicis privatisque negotiis fidem, dexteritatem, prudentiam, constantiam, moderationem, tantam in amicorum coetibus humanitatem, aequitatem, benevolentiam sumus experti, ut nemo sit, qui umquam habuerit quod de eo conquereretur, immo omnes ei bene cuperent virumque optimum esse fatérentur. Tanta autem erat eius modestia, ut tum demum penitus quae eius quamque eximiae virtutes essent cognosceremus, quum videbamus, quanta cum dignitate et gravitate sustineret, quod ei suffragiis senatus delatum erat, munus rectoris Academiae. Est enim huius muneris administratio quum in omnibus Academiis hoc tempore difficillima, tum apud nos propter duas caussas, de quibus infra dicetur, haud paullo, quam alibi, difficilior. Ordiamur ab iis, quae communia sunt. Nam quum aliquot abhinc annis saevum Gallicae dominationis iugum excussisset Germania, laetiorque lux affulsisset liberatae patriae, erectique essent omnium animi spe magnae conversionis, qua qui strenue pro libertate patriae pugnassent, etiam regundae civitatis magis quam ante compotes fierent: exstitere nonnulli, insana rerum novarum cupiditate flagrantes, qui vi everti antiqua, quam, quae minus recte instituta viderentur aut temporis diurnitate obsoleta essent, consilio et prudentia corrigi mallent. Vnde clandestina inita sunt sodalitia nefariaeque coniurationes: quibus quum, ut fit, iuniores potissimum

implicati essent, quorum animi facile inanibus simulacris incenduntur, in iisque essent etiam quidam, qui litteris in Academiis operam dabant: suspecti esse coeperunt litterarum studiosi, ut quos semper inter se factiones quasdam et consociationes habuisse constaret, auctaque est ea suspicio non minime eo, quod inventi sunt, qui atrocissima patrarent facinora. Qui quamquam neque effugerunt quam commeruerant poenam et profecto puniti sunt meritissimo, tamen gliscere in occulto visum est illud malum, praesertim quum novis quibusdam improborum conatibus nova quoque suspicioni fomenta subiicerentur. Hinc factum est, ut non solum vigilantia maxima imperaretur iis, qui res Academicas regerent, sed etiam severitas. Verum indiget et severitas illa et vigilantia sapientissimo quodam temperamento, ne plus damni, quam utilitatis afferat, neve quod coercendum atque evellendum est malum, roboret latiusque diffundat altioribus defixum radicibus. Nam neque in effrenatam licentiam et ferocitatem, legumque et morum contemptionem, minime omnium autem in seditiosas conspirationes et caedium expetendarum furorem degenerare debet illa quae appellatur libertas Academica, neque vero opprimi eam atque exstingui optandum est, quia adempta facultate et litteras ut cuique placitum est tractandi et vivendi suo arbitrio, dum ne quis aliis iniuriam faciat, omne liberale studium, omnis amor litterarum, omnis eruditio deprimitur, debilitatur, exstirpatur. Regenda potius moderate gubernandaque sapienter illa libertas est, quam severitate legum constringenda et vi reprimenda. Neque enim evitari potest, quin, si propter paucorum temeritatem multi durius quid sustinere cogantur, dum illi iusta se perpeti fatentur, hi aegrius ferant et non aequum esse censeant, eadem in se quae in illos esse statuta: ut non mirum sit eos indignari, irritari, exasperari, reluctari, quod insontes in poenae consortium incidant. Nec sane possumus infitiari, iniquum esse, si propterea, quod pauci quidam eorum, qui litterarum caussa in Academiis versantur, desertis his studiis res novas moliri, turbas et seditiones

excitare, caedes et sanguinem spirare conati sunt, ob id universi cives Academiarum pravorum consiliorum perniciosarumque conspirationum suspecti habentur, quique nihil in se culpae admiserunt, observantur, custodiuntur, et quasi in vinculis tenentur. Accedit aliud, quod augere iniquitatem videatur. Nam vix usquam aliquid nefarii perpetratum est, quin aut totum ab aliis susciperetur perficereturque, aut longe plerique eorum, qui illarum rerum conscii et participes fuerunt, non essent litterati: ut eodem iure nullus ordo civium, nulla classis non debeat suspecta esse et censoribus subiici. Et tamen horum in illos tantum animadvertitur, qui ipsi criminis rei sunt, nec cuncti pro maleficis et nefariis habentur. Quo magis curandum est, ut severitas illa, qua litterarum studiosi observantur, intra iustos fines consistat. Facile quidvis impetratur ab eo, cui quis fidere se ostendat: quod contra aut invitus facit, aut non facit, qui non facturum credi videt. Nec tam vetando, coercendo, castigando, puniendo corrigas ullos (non est enim corrigere facere ut ne committant aliquid), quam monendo, hortando, docendo, monstrando quid rectum sit, atque ante omnia animis tuo ipsius exemplo ad virtutem excitandis atque erigendis. Et profecto plerique omnes, qui literarum studiis in Academiis operam dant, si magistros habent eos, qui iis amorem litterarum non solum instillare, sed eum etiam accendere atque inflammare didicerint, sponte sua ab iis rebus, quae vel alienae ab litteris, vel indecorae, vel adeo iniustae atque iniuriosae sint, abstinent, studiisque suis eo qui ingenuam indolem decet ardore sese dedunt. His delectantur, in his voluptatem, laudem, gloriam quaerunt, si nullis se sentiunt vinculis esse constrictos. Libenter totoque animo agit quis, quod libere agit. Coactus, coercitus, metu circumseptus segnis et invitus ad opus accedit. Abstrahitur enim animus cogitatione necessitatis, praesertim iniquae, et quomodo se ea liberet cogitat potius, quam quomodo patienter pareat. Haec consideranti facile appareat necesse est, quanta et sapientia et fortitudine et moderatione hoc in

temporum discrimine opus sit ei, cuius in potestate summa est rei Academicae, quum ei quasi inter Scyllam et Charybdin naviganti is tenendus sit cursus, quo libertatem honestam dignitatemque Academiae, quae ei regenda est, tueatur et adversus internam atque externam vim muniat. Fecit id in magistratu suo Brandesius ita, ut quemadmodum ea ipsa die, qua munus illud adiit, egregia oratione eam, quae vera est libertas Academica, commendaverat, sic omni illo tempore, quo functus est munere rectoris, aeque et fortitudinem eius et moderationem simus admirati, intellexerimusque, non minus eum defensorem Academiae strenuum, quam paterni in cives animi gubernatorem fuisse.

Dicebamus supra, multo apud nos quam alibi difficiliorem hoc quidem tempore ob duas caussas esse administrationem rectoratus Academici. Earum caussarum una in institutis nostrae litterarum Vniversitatis est posita. Perantiqua est haec Academia, cuius conditores postquam Praga Lipsiam commigrarunt, Ordinemque constituerunt philosophorum, alia deinceps atque alia accessere collegia et congregationes, tum pro quattuor nationum, in quas divisa erat omnis Academia, opibus et iuribus inter se diversa, tum fundata et constituta partim principum Saxoniae munificentia, partim privatorum donationibus, partim decretis ipsorum professorum Academiae. Habet Vniversitas agros et villas, silvam, aedificia, reditus, stipendia, iura et privilegia: quarum rerum omnium tam variae tamque multiplices ac tam singulari modo inter se nexae et complicatae rationes sunt, eas ut vix longissimo usu aliquis penitus cognoscere, et, si quid consilii capiendum est, recte discernere de iisque iudicare possit, praesertim quum aliae institutiones aliis derogaverint, aliae temporis longinquitate obsoleverint, aliae interierint vel cum aliis sint commutatae. Haec Brandesius quum intelligeret non solum non ignota, sed accurate perspecta rectori Academiae esse debere, simulatque id munus ad eum pervenit, quamvis pleraque illorum, ut qui non diu inter nos vixisset, non cognita haberet, tamen indefesso studio atque

infatigabili labore effecit, ut brevissimo tempore non secus in his rebus versatus esset, ac si nihil unquam ei potius agendum fuisset. Itaque quum praesidebat senatui, tam omnia quae proponebat ordinata, deliberata, perpensa erant, ut admiraremur accuratam scientiam, gauderemusque perspicuitate et facilitate, qua etiam res impeditissimas explicabat, summamque ex sententiis, quae dicta essent, colligebat. Tanta ille religione satisfacere studebat officio: tantum tamque molestum laborem, ut recte praeesset Academiae, exhauserat: tam parum, dum publice utilis esset, suis viribus, suae valetudini pepercerat. Neque enim dubitare possumus, quin illa nimia virium contentio aliquantum eo contulerit, ut minus resistere morbo, quo in medio munere correptus est, posset.

Maiorem etiam laborem neque cum cura et aegrimonia vacuum ei creavit alterum illud, quo hoc tempore rectoris Academiae munus molestissimum esse indicavimus. Nam quum in eo statu res nostrae sint, ut antiqua novis commutentur, quaeque a maioribus nostris instituta erant, quod vetustate iam minus utilia nec nostri aevi rationibus apta iudicantur, partim plane submoveantur, partim alium in modum conformentur: facile existimari potest, quanta et prudentia et cautione et constantia opus sit, non modo ne ius cuiusquam laedatur, neve inter se pugnantia aut parum apte cohaerentia constituantur, verum etiam ne mutetur aliquid magis quam corrigatur, neve, quae specie utilia sunt, postmodo damnosa inveniantur. Aliud est enim aliquid plane novum condere: quod qui facit, et operis omnem designationem et opes ac praesidia ante oculos posita videt, quibus quod in mente habet perficiat. At ubi mutanda corrigendaque sunt vetera, quorum partem servare, partem removere, partem novam adiicere, partem refingere volumus, ubique impedimenta obiiciuntur, praesertim in tanta institutionum varietate atque inter se conflictione, quantam nostra habet Academia, modo iuribus obstantibus, modo caussis, quibus quid a maioribus statutum erat, non satis perspectis, modo eventis eorum, quae nova conduntur, non

praevisis aut recte ponderatis, modo etiam seculi in prava ruentis impetu ad resistendum excitante, quum inverso veteris disciplinae ordine in scholas immigrare videamus ingentem multitudinem artium, quae olim sapientissime soli Academiae servabantur, scholisque in Academias mutatis Academias deprimi in conditionem scholarum, non dubio detrimento liberalium studiorum: siquidem etiam qui docent in Academia litteras inviti et segnes faciunt opus, cui non ipsi per se, sed pro fructu, quem civitas ex eo percipiat, pretium statui animadvertunt.

In hac igitur fluctuatione novarum institutionum et hoc huius aevi nisu ita praefuit Academiae Brandesius, ut hoc sollicitudinis, laboris, aerumnarum, aegrimoniae plenum munus non solum sustineret constantissime fortissimeque, sed etiam admirabili prudentia salutare Academiae praestaret. Nihil inconsiderate, nihil cupide, nihil iracunde agebat; summa tranquillitate animi ponderabat omnia; capta cogitate consilia ea firmitate exsequebatur, quae quod asperitate omni vacua erat, sine cuiusquam offensu effectum dabat id, quod erat propositum. Quae adversa atque ingrata acciderent, quamvis eum non mediocri dolore et cura afficerent, tamen ita accipiebat, ut ne minimum quidem commotus videretur: provide et caute avertere potius mala, quam acriter atque impetuose resistendo augere; leniter placideque monendo mitigare potius animos, quam quemquam incendere studebat, ea suadens, quae quod aequissima essent facillime satisfaciebant omnibus, planissimeque rem ad exitum perducebant. Ita cedebat non gravate voluntati optime cupientium Vniversitati nostrae summorum virorum, quorum supremo subiecti sumus arbitrio; sed idem tuebatur etiam et defendebat honorem Academiae, dignitatem ordinum, iura civium, auctoritatem muneris sui eo et fortitudinis et moderationis temperamento, ut, quod difficillimum in tot tantisque discriminibus est, non modo non laederet quemquam, sed omnium animos sibi conciliaret, cunctorumque consensu optime fungi magistratu iudicaretur.

Hunc talem virum, Cives, in media tam praeclara administratione rectoratus infestum nobis eripuit fatum. Subito captus inflammatione pulmonum, quinto post die, qui fuit XVII. mensis Maii, obiit, qui morbus fratribus quoque eius omnibus fuerat exitialis. Nobis ille luctum, desiderium, memoriamque exempli sui reliquit. Convenite igitur ad exsequias, quibus honoremus manes viri numquam nobis, numquam huic Vniversitati, numquam hominibus litteratis obliviscendi. Ornabit eum debito laudum monumento vir plurimum reverendus, qui novissime sacrarum doctrinarum professor oratorque templi Paullini ad nos accessit, Augustus Krehlius, Doctor theologiae, digno dignus postremi pietatis officii interpres.

IN NVPTIIS
FRIDERICI AVGVSTI
DVCIS SAXONIAE SOCII IMPERII

ET

MARIAE BAVARAE
D. XXIV. APRIL. A. CIↃIↃCCCXXXIII.

ACADEMIA LIPSIENSIS.

Saxonum Fortuna, tuum vocamus
Numen, o regina, veni iugali
Fridericique et Bavarae Mariae
pronuba sacro,

Et sinu quae fers bona dona pleno
Largius promens ades auspicato
Foederi testis veniensque in aevum
provida custos.

Quid magis Regis placidam senectam,
Quid magis fratrem potuit beare
Regis, et cives geminata regni
Sceptra probantes,

Quam novas quum vinxit Amor catenas,
Vt soror caram traheret sororem,

Fratris et frater sequeretur omen
augurinmque?

Audiunt famam proavi sub Orco
Caesares magni geminumque vinclum,
Temporis prisci decora ac potentis
robora regni,

Vna quum nomen tuba convocabat
Omne Germanum, et galeatus ibat
Ipse communi sacer Imperator
obvius hosti,

Principesque inter solio sedebat
Aureo iudex, gravibusque summus
Arbiter caussis procerum, atque iuris
conditor aequi.

Inferis illas animas in umbris
Altius cristas video comantes
Tollere et praesaga oculis serenis
fundere verba:

„Ergo aperte di populum tuentur
Remque Germanam, domus una si stat
Saxonum binis Bavarisque binis
fulta columnis.

Vnde venturis orietur annis
Signifer magnis animosus ausis,
Consili promptus, rigidique Martis
acer in armis,

Moris antiqui veterumque patrum
Gloriae vindex sociis sub una
Lege Germanis et ad aspra fido
foedere firmis,

Regibus recti monitor severus,
Subdolae si quis volet arte suadae

Laedere, aut iniusta ferox ciebit
bella tyrannus.

Illius, si sic superis statutum est,
Ne nimis longe remorentur astrum
Temporis, neu dira sinant videre
monstra minores.

Nube nam sacrum caput obvolutus
Seculi versat genius profunda
Mente nascendi taciturnus aevi
Spemque metumque,

Anxius, quo caeca feratur oestri
Vis, novas rerum paritura formas,
Pervicax antiqua nimis protervo e-
vertere ludo,

Quae semel postquam cecidere, frustra
Molis ingentis stupuit ruinas
Poenitens sero temerator incon-
sultaque facta.

Funditus sed dum tremefactus orbis
Nutat, atque effrena ruens libido
Saevit et regum male tuta ferre
sceptra recusat,

Mutuum Saxo reverens amorem
Principum, concors animis quietis
Ordinat, si quid iubet innovari
discolor aetas.

Cedat ex voto: sapiensque rectam
Si voluntatem ratio magistra
Diriget, scitis populi probator
concinat usus.

At Tibi pondus grave publicarum
Sublevet curarum amor atque blanda

Te suum poscens sibi, Friderice,
voce Maria.

Sic bono cum Rege novae salutis
Clareas auctor, populoque amatus
Saxonum rector meritis in omne
nobilis aevum.

LATINAE INTERPRETATIONIS AESCHYLI SPECIMINA.

I.

INITIVM AGAMEMNONIS.

Excubitor.

Ab dis laborum terminos horum expeto,
finem perennis vigiliae, qui ceu canis
in hoc Atridarum excubans tecto procul
concilia servo noctiluca siderum,
quique aestum hominibus, quique frigus afferunt
alto coruscos principes in aethere,
quando occidunt, et alterorum ortus notans.

*) Non digna publica luce iudicassem haec, quae olim otiosus lusi, nisi Aeschylum quam magis editur, tam magis sui dissimilem fieri viderem. Possunt huiusmodi interpretationes, quae multum quidem absunt ab elegantia Hugonis Grotii, sed tamen pressius Graeca sequuntur, interim pro explicationibus, quales in adnotationibus adiici mos est, haberi. Itaque in Graecis quas scripturas sequutus sim, non indicavi. *Μαθοῦσιν αὐδῶ, κοὐ μαθοῦσι λήθομαι.* In metris ponderosior syllabis Latinus sermo non assequitur volubilitatem Graecorum. Eam facilius, sed tamen parum feliciter aemulantur, qui Germanice rudi prosodia vertentes contortiplicata oratione, ut obscure perceptis Graecis magna sonaturi, ampullas proiiciunt.

Et nunc statuta signa prospecto indicis,
flammantis ignis nunciam ab Troia facem,
captaeque testem. Sic enim sperans iubet
plenum virilis consili cor mulieris.
Proin roscido noctivago ut in strato institi,
non per quietem visitato somniis,
quid tandem? ibi adstat quippe pro somno timor,
ne forte firmus palpebras claudat sopor.
Sin minurio aut cantare visus sum mihi,
hoc repperisse remedium somno ratus,
tunc aedium harum delleo sortem gemens,
quas non ut olim iusta moderatur manus.
At iam laborum optata liberatio
surgente veniat igne tenebricae facis.
Io, io:
o salvae opacae flamma noctis, aureum
pandens diei lumen, et multas ferens
Argis choreas propter hanc victoriam.
Agamemnonis nunc coniugi exponam illico,
lectum ut relinquens per domos citissime
bene ominatis gratulari vocibus
hoc igne iubeat, Ilii quando oppidum
captum est, ut iste fulgor ostendit facis.
Atque ad choreas ipse me primus dabo:
nam salva res herorum uti sit fecero,
quando iste mi ignis Venereum iactum obtulit.
Sit modo revertentis domum regis mihi
caram manum tandem hac manu contingere.
Caetera silebo: pondus in lingua grave.
Sponte ipsa, vocem accipere si queat, domus
clare eloquatur omnia: ego quidem volens
gnaris profabor, nesciis dicam nihil.

Chorus.

Decimus iam annus, postquam Priami
gravis inimicus,
Menelaus rex atque Agamemno,
duplici sceptro duplicique throno

validum bello par, Atridae,
classem Argivum milleratitam,
grave praesidium,
patria eduxere relicta,
magnum ex animo vociferantes
Martem, natis ut vulturii
raptis, nido qui super alto
gyris volitant
trepido alarum cum remigio,
quia pullipremi
cruciat iactura laboris.
At de superis vel quis Apollo,
vel Pan, vel Iuppiter, aligerae
vocis acutae stridorem audit,
mittitque olim rapti memorem
Furiae peccantibus iram.
Sic et Atridas gravior vindex
laeso hospitio in Paridem mittit
Iuppiter, uxorem ob multiviram
multum manuum saevumque labo-
rem atque in campo flexos poplites
fractasque hastas per primores
dispensaturus Achivis,
Troiaeque simul. Quidquid gestum est,
ut fata iubent perficietur:
non adolendo nec libando
nec lacrumando haud rite litati
fervens placabitur ira.
Nos inhonori senio, illius
belli orbati laude manemus
resides, fulcris
robur puerile pedum fulti;
namque novellae quum se extollunt
corde medullae,
senibus similes, nec Marte vigent:
et canities fronde caduca
tripedes gressus librat, puero
mage debilior, medioque die

somnurna vagatur imago.
At, Tyndareo
sata, quid tandem, regina, agitas?
ecquae nova res? quid inaudisti?
cuinam famae
fidens fieri sacra ubique iubes?
nam cunctorum divorum urbis,
superum, infernum,
caelicolarum, regumque fori
donis altaria fumant,
aliusque alia parte aetherius
tollitur ignis,
blando unguenti non temerato
litus hortatu atque interioris
regum libamine celiae.
Horum si quid pote, nec prohibet
fas, eloquere at-
que hoc servatrix nos solve metu,
qui nunc animo mala portendit,
nunc e sacris laeta refulgens
spes sollicitae semper vivos
pellit curae cruciatus.

Fas mihi dis carum robur celebrare virorum *str.*
ductorum, quod adhuc quoque carminibus spem
coepti tempus
belli caelitus afflat,
ut evocarit
bithronos animisque gemellos
pubis Achivae
reges, hastifero grege fretos,
praepes ad oras Teucridis ales,
rex avium, classis ducibus, niger
alter, at alter candidus infra,
fores prope ipsas
visi ab dextra venientes
in pulcra regione,
quum leporem ingenti lacerabant pondere fetam,

cursu prehensam in ultimo.
Lugubre concinito, bona sed vincunto.

Providus at cernens duo fortia pectora vates *ant.*
Atridas, leporis noscens laniatum et
belli reges,
sic est vaticinatus:
„labore longo
capiet Priami hoc iter urbem,
et simul omnis
turribus altis gaza reposta
impete fati diripietur.
ne modo, ne qua deum citius Troiae frenum grave nubilet ira
morata castris:
namque invida casta Diana est:
partum quippe sub ipsum
bestia pennigeris patris est lacerata ministris:
atque odit aquilinas dapes.
Lugubre concinito, bona sed vincunto.

Tantum cruentorum dea *epod.*
favens tenellis catulis leonum
omnigenaeque sub ubere matris
agresti suboli, tamen bonum vult
praestare augurium horum
dextra quidem, sed tristia passerum visa.
At, o, precamur opifer te Apollo,
adversis Danaum ne classem diva retardet
in portu ventis,
festinans alia ac scelerosa infandaque sacra
principia in domibus rixae insidiosa marito:
namque manet rediviva
ira, dolosa domi custos, prolis memor ultrix.“
Talia Calchas multis iuncta bonis memorabat
augurium hoc genti regis portendere fata.
Consonus illis
lugubre concinito, bona sed vincunto.

Oro, Iuppiter, quicumque is est, *str.* 1.
sic vocari si probat,
hoc vocatum nomine.
Non potis sum consequi,
cuncta quamvis ponderem,
an deceat vanos, nisi Iuppiter auctor,
cordis expelli metus.

Nec qui praepotens quondam fuit *ant.* 1.
et vigens ferocia,
nunc iners, opem feret:
quique post regnavit, hic
vindicem expertus iacet.
Iuppiter at victor cui pectore toto
dicitur, recte sapit:

qui genus mortale cer- *str.* 2.
ta via coegit ut
fas malis cognoscerent.
Instillatque dormientibus
cura praesaga poenae pudo-
rem, atque ad invitos venit.
Gratia illa vi deum
tenentium verenda culmina.

Inde dux Achaica- *ant.* 2.
rum supremus navium,
vatibus nil exprobrans,
cedens fortuitis casibus,
vasa inanita quum classe fi-
xa angerent exercitum
Chalcidis sedentem ad ar-
cta reciprocis in Aulidis locis,

et ventus a Strymonis fluentis, *str.* 3.
famis, laboris dator, repulsor
vagae ratis,
neparcus et navium et rudentum,

duplum mensum trahens dierum,
florem virorum fatigaret mora;
sed aspero malo
postquam aliud levamen
durius indicavit
vaticinator, memora-
vitque deae vota, ut Atri-
dae inciderent sceptra solo,
nec lacrimas tenerent:

tum sic loquutus ducum supremus: *ant.* 3.
„grave est repugnare me monenti:
grave autem et hoc,
necare natam, decus domorum, et
profuso virginis cruore
manus paternas ad aram tingere.
Ab utro abest malum?
classene destitutus
ab sociis relinquar?
namque sacrum, virgineo
sanguine quod flamina pla-
cet, cupide poscere fas
est: bene vertat ergo.“

Iugum ut recepit necessitatis, *str.* 4.
contrariam spirat impiam auram,
infandam, abominabilem,
patrare inaudita facta certus:
nam fingit audacem ad omne crimen
primipara consili turpitudo.
Mactare ausus est suam progeniem,
uxorio subsidium duello,
primitiasque classis:

et nec preces nec patris vocatus *ant.* 4.
quivere nec virginalis aetas
movere pugnaces duces.
Iubet ministros pater peracta

precatione, ut capellam, in ara
statuere protinus comprehensam
peplis cernuam obvolutam, atque sonos
in ore pulcro resides tenere
dira domo precantes,

muta repressos capistrorum ope. *str.* 5.
Crocique fucos humi profundens
spectus dolentis sagitta
omnes petebat immolantes,
decora, pictae in modum, alloqui volens,
sui in patris saepe quos
domo hospitali videre suerat:
sed ore casto nihil conquerens,
nec ferox, sui
patris vota tertia
sortemque pie colebat.

Postrema non vidi ego aut eloquar: *ant.* 5.
sed dicta Calchantis haud caduca, et
iusta deus lege passis
affert scientiam futuri.
Sed ante nosse exitura sit procul:
id ante flere est enim:
aperta sol ortus ipse prodet.
Sed exitum coepta pergant modo ad
prosperum, haec uti
cupit proxima Apii
nunc sola columna regni.

II.

EVMENIDVM PROLOGVS ET PRIMAE SCENAE.

Pythias.

Primam deorum hac invoco Terram prece,
primaeva vates quae cluet mortalibus:

exinde matris quae secunda oraculum
tenere fertur, Themidem adoro: tertia hic
sedit voluntate huius, haud ingratiis,
Titanis alia, nata Telluris deae,
Phoebe, unde natali die initiatus est
Phoebus, vocatusque a parentis nomine.
Lacum relinquens ille et ocres Delios,
postquam ad Minervae venerat navalia,
haec occupavit tesqua Parnassi loca.
Comitantur autem honore cum multo fabri,
viae struentes strata, Vulcani genus,
et arva cultu mollientes aspera.
Ergo receptum populus apprime deum
Delphusque, terrae qui gubernator, colunt:
ac fata nosse nactus ab summo Iove,
vates potitus quartus hoc oraculo est,
et gentibus vocatur interpres patris:
hos casta puris precibus alloquor deos.
Simul Minerva Provida invocabitur,
precorque nymphas, Corycis qua stat petra,
antrumque sedes alitum, divis frequens,
Bromio sacratum, ex quo deus, nec sum immemor,
Baccharum in haec exercitum adduxit loca,
leporisque ad instar Pentheum leto dedit.
Plistique fontes atque vim Neptuniam
precata, victorem invoco summum Iovem.
Post deinde vates ipsa considam throno:
ac laeta nunc me fata di, si umquam prius,
accipere dent. Quod si quis hic Graiorum adest,
introire iubeo quemque sortito, ut solet:
nam dictiones edam, ut afflarit deus. —
Horrenda dictu, horrenda conspectu retro
pepulere me ex Apollinis templo foras,
metuque fractam ferre detrectant pedes,
curroque manibus, non pedum valentia:
nam pavida mulier similis atque infans puer.
Vittata ut accedo intus ad sacraria,
in umbilico conspicor nefarium

virum sedentem, supplicem impurum, manus
tinctum cruore: strictus illi ensis simul
oleaginusque tenditur ramus teres,
praelongifilo sobrie aptus vellere,
candente lana: sic enim clare eloquar:
ante hunc virum autem mulierum mirabilis
dormit reclinis in sedilibus cohors:
non mulieres, sed Gorgones dicam magis:
neque compararim Gorgonum formis tamen:

* * *

pictas videre memini, coenam Phineo
ut afferebant: hae tamen pennis carent,
et ater habitus omnis ac mores feri,
stertuntque anhelis imitus spiratibus,
oculisque manat taeter effusus liquor:
ornatus ipse, qualis inferri neque
templis deorum neque hominum tectis solet.
Non nationem gentis huius vidi ego,
nec tale quae terra alere se iactet genus
impune, nutritoque non gemiscere.
Sed caetera huius ipse rex templi deus
sat providebit, praepotens natus Iovis:
nam medicus et piaculi averruncus est
fatidica ab arte, et februus aliorum aedibus.

Apollo.

Non prodam ego: immo perpetim custos tibi
propinquus adsto, quumque procul ero, tamen
non mollis umquam fiam ego inimicis tuis.
Nunc quoque furorem harumce victum conspicis;
somno iacent sopitae abominabiles
veteres vetustae virgines, quarum abstinent
contagione dique et homines et ferae,
caussa malorum nata gens: ergo malam
noctem incolunt et Ditis infernam domum,
mortalium odia pariter ac caelestium.
Nihilo minus tu profuge, nec remittito:

nam persequentur usque, seu longam vagis
per continentem cursibus iactabere,
seu pontum et urbes adieris circumfluas.
Ac ne fatigare hoc labore exercitus,
sed denique urbem Palladis quum veneris,
signum vetustum brachiis amplectitor.
Illic patrati reperiemus iudices
et apta caussae verba placatoria,
quae te hoc labore in omne tempus liberent,
quoniam et necare matrem ego hortator fui.

Orestes.

Tu scis, Apollo, iusta necne fecerim:
ergo et videto in posterum ne negligas:
et facere certum tua potestas pignus est.

Apollo.

Memento, Oresta, ne opprimat mentem timor.
Tu vero, amice sanguis ex uno patre,
cura, tuere, Mercuri, quo verius
ductor vocere, hunc supplicem comes meum.
Honore summo hoc munus est apud Iovem,
homines benigne prospereque prosequens.

Vmbra Clytemnaestrae.

Dormitis? eheu, vosne dormire addecet?
ego interim sic despicata et prodita
aliis in umbris, numquam ab his quos perdidi
destituor inter mortuos convicio,
sed foede oberro. Dico ego hoc vobis, datas
caussas mi ab illis criminandi maximas.
Tam dira vero passa ego a carissimis,
nullus deorum est, qui ultor exsistat mihi
per matricidas contrucidatae manus.
Adspicite vulnus cordis, unde sit mihi:
sopita somno mens enim clare videt,

nec sic diurna luce prospici datum.
Quam multa iam sorpsistis oblata a meis
iciuna sacra et sine mero libamina,
multasque nocturno igne mactavi in foco
nulli deorum tempore accepto hostias:
quae cuncta video abiecta pedibus obteri.
At ille profugus abiit, hinnulus velut,
facilique mediis e plagis saltu pedis
erupit, ora valgiter sannis movens.
Audite: nam vos pro anima ego obtestor mea:
expergite, o quae inferna inhabitatis deae:
nam somnium iam vos Clytaemnestra invoco.

Chorus.
(muttitio)

Clytaemnestra.

Muttite: at ille ereptus aufugit procul:
meis enim sunt vindices, non sunt mihi.

Chorus.
(muttitio)

Clytaemnestra.

Profunda dormis, nec mali piget mei,
matrisque Orestes abiit occisor fuga.

Chorus.
(gemitus)

Clytaemnestra.

Gemisne? dormis: non resurges illico?
quid nisi patrare mala tuum negotium est?

Chorus.
(gemitus)

Clytaemnestra.

Somnus laborque foederatis viribus
saevae dracaenae robur omne eviscerant.

Chorus.

(multitio duplex, acuta)

Cape, cape, cape, cape, lustra.

Clytaemnestra.

Venaris in somnis feram, latrasque, ceu
canis laboris perpetim curam gerens.
cessas? resurge, ne fatigata abstine,
neu victa somno facinus ignoraveris.
iecur perurant iusta tibi convicia:
stimulorum enim loco esse sapienti solent.
tu ergo cruentum spiritum illi intendito,
anhelituque ventris igneo enecans
persequere, et iteratis fatiga cursibus.

Furia prima.

Exsuscita tu, exsuscita hanc, sicut te ego.
dormisne? surge, surge somnumque excute:
videamus haec num falsa sint praesagia.

Chorus.

II. Hei mihi, vae, papae, perpessae sumus, *str.* 1.
III. Hei multa iam perpessa gravia incassum ego.
II. perpessae gravem luctificum dolorem intolerabilem.
IV. Ex retibus profugit, evasit fera.
V. Sopore constricta praeda excidi.

VI. O suboles Iovis, perfidiosus es, *ant.* 1.
VII. Novusque prisca numina afflixti solo.
VI. misertus viri dis inimici, acerbi genitoribus.
VIII. Matrisque servasti peremptorem deus.
IX. Quid aiat horum quis actum bene?

X. Mihi excitatum somniis convicium, *str.* 2.
ut auriga, percutit, prehensum aculeum impingens,
praecordia et iecur.

XI. Adest feri immane tortoris ut publici
percipere grave, praegrave flagrum.

XII. Haec illa sunt, quae di novitii patrant, *ant.* 2.
potiti, nefas, superbiter
sanguineam guttam
circa pedem et manum.

XIII. Adest receptum umbilico cruentum impii
percipere maculam facinoris.

XIV. Domestico, vates licet, piaculo *str.* 3.
ipse tuam domum, ipse temeras sacellum,
supra fas deum res hominum aestimans,
Parcasque perdens veteres deas.

XV. Et mihi molestus, nec scelestum a me
abstrahet: *ant.* 3.
nec fugiens sub Orcum umquam erit ille liber,
sed impurus illic capiti suo
disperditorem inveniet novum.

GRAECE VERSA

EX

SCHILLERI WALLENSTEINIO*).

Quum ante hos viginti annos edito in lucem Schilleri Wallensteinio vehementer commota essent nostratium studia, saepe me dicere memini, sensisse Schillerum, in quibus rebus posita esset natura Graecae tragoediae, sed, quoniam non perspexisset, non satis vitasse vitia recentiorum. Neque exordium facere, nec finire fabulam scivisse; ingenti numero personarum introducendo nocuisse simplicitati illi, in qua maxima cerneretur laus tragoediae; multa etiam in singulis partibus admisisse, quae a gravitate tragoediae plane essent aliena; caeterum plurima esse talia, ut, si Graece scripta essent, Graeco tragico non possent non haberi dignissima. Idque ut exemplo confirmarem, interdum vesperi, in communi conclavi familiae obambulans, ubi inter confabulationes mulierum non est seriis rebus tractandis locus, nonnulla Graecis versibus exprimebam: quas schedulas deinde amicis quibusdam dedi. Earum

*) Edidit haec primum Fr. Thierschius in Actis philologorum Monacensium tom III. fasc. 1. cum parte epistolae ad se meae scriptae a. 1820. quam hic repetendam duxi. Ex Actis Monacensibus eas interpretationes recudendas curavit Franc. Göllerus Coloniae ad Rhenum a. 1825. in libello quem inscripsit: *Μεταφράσεις*. Sammlung von Uebersetzungen ins Griechische.

